



Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>

D E

JURIS NATURÆ , ET GENTIUM
PRINCIPIIS , ET OFFICIIS .

D E

JURIS NATURÆ , ET GENTIUM
PRINCIPIIS , ET OFFICIIS.

JURIS NATURÆ, ET GENTIUM PRINCIPIA, ET OFFICIA

AD CHRISTIANÆ DOCTRINÆ REGULAM
EXACTA, ET EXPLICATA

A JOANNE BAPTISTA LASCARIS

G U A R I N I

OPUS THEOLOGIS ÆQUE, AC JURIS CONSULTIS
ACCOMMODATUM.

T O M U S S E C U N D U S

E X P L I C A N S O F F I C I A .

Accedit De Juris Civilis cum Jure naturali connexionem Dissert. XV.

Rectè a Viris doctis inter desiderata relatum est Jus Naturæ, &
Gentium traditum secundum Disciplinam Christianorum, idest
ex Christi documentis τὸ ἀνώτατον sublimia, divina
sapientum.

Leibnitius in Pref. Cod. Jur. Gen.



Jacob. Bapst. inv. et scul.

ROMÆ MDCCLXXIX.

Ex Typographia Pauli Junchi, Provisoris Librorum
Bibliothecæ Vaticanæ.

SUPERIORUM PERMISSU.

EMINENTISSIMO PRINCIPI
D. JOANNI BAPTISTÆ
CARDINALI
REZZONICO
MAGNO HIEROSOLYMITANI ORDINIS PRIORI
SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI PII PAPÆ VI. A SUPPLICIBUS
LIBELLIS PRO-SECRETARIO

JOANNES BAPTISTA LASCARIS GUARINI
FELICITATEM.



Prodiit, alacrique animo præ-
ditus, & causæ suæ ni-
miùm quantùm fidens in lucem pro-
dire gestit Liber hic *de Juris natu-
ræ Officiis ad Christianæ Doctrinæ*
regu-

regulam exactis, & explicatis : eo vel maximè quòd priorem illum *de Juris naturæ Principiis* , quem sibi conjunctissimum , & in Doctrina Catholica veluti germanum agnoscit , ab eruditis , sapientibusque Lectoribus summâ fuisse novit benignitate exceptum , & comitate . Verùm non est dissimulandum , *Eminentissime Princeps* , aliquâ eum tangi , nec levi planè formidine , dum contra infensissimos Romanæ Ecclesiæ hostes pugnam se initurum animadvertit : nec sibi , quo tueatur , unam si excipias Sanctissimæ Religionis Veritatem , vel ab Auctore suo , vel a temporum conditione , vel ab seculi hujus moribus præsidium habet , ac tutamen . Hæc utique ratio fuit potissima , *Princeps Eminentissime* (neque enim diffiteri fas est) cur Te enixè deprecari sim ausus , ut Operi huic eâ qua pol-

les

les & generis, & nominis, & dignitatis amplitudine patrociniū velles impartiri. Equidem in spem maximam veni, & ut confido, verissimam, fore, ut opus hoc meum tuo sisti conspectui patereris, tuasque manus ad illud excipiendum humanissimè porrigeres, & summæ auctoritatis præsidio tuereris: satis enim perspectam habui generosam animi tui indolem a primo illo, quo me dignatus es, colloquio: Vultus namque, frontisque hilaritas illa, qua ad Te omnium animos blandè allicis, bono cuivis ut ut pavido, ac meticuloso tutelam spondet firmissimam. Satis multa etiam de Te ab aliis hac super re accepi; & plurima illa, quibus patrocinaris, ad fovendam christianam pietatem Instituta te Religioni addictissimum prædicant. Quid igitur diffiderem, librum hunc, quem Catholicæ

Reli-

Religionis ergo exarare libuit, tuam in fidem committere? Illud etiam accedit, quod libri hujusmet, quem tibi exhibeo, breve compendium, olim a me veluti specimen aliquod conscriptum, paucis antè annis iterum typis Romæ ab eruditissimo viro edendum, nonnisi Eminentissimo Principi D. CAROLO CARDINALI REZZONICO S. R. E. Camerario, Germano tuo fuerit dictum. Est ergo Rezzonicæ Familiæ in librum hunc meum quodammodo Jus acquisitum. Neque mihi prætereunda est SS. Pontificis CLEMENTIS XIII. Patruï tui veneranda in perpetuum memoria. Profectò summo huic Ecclesiæ Christianæ Sacerdoti quantum Religio debeat, nemo unus ignorat, atque ad eo fateantur omnes, oportet. Inde etiam nescio quid in libri hujus argumentum auctoritatis in te quoque de-

riva-

rivari video . Eo siquidem Pontifice ,
 Christianam rem e Suprema Petri Ca-
 thedra curante , *Juris hujus Naturæ* ,
 & *Gentium* prælectiones Pontificia in
 Ditione Auditoribus pluribus tradendi
 facta mihi e Sicilia venienti facultas
 fuit ; quas deinde ad exitum perducere
 per illorum temporum adjuncta non
 licuit . Quòd si tandem ad illum ocu-
 los convertam , quem Dei admirabilis
 Providentia bono Ecclesiæ suæ Recto-
 rem constituit , amoris scilicet donum ,
 non iræ argumentum : cujus lateri ad-
 stas , Fidelium nempe ubique terrarum
 supplices libellos exhibiturus , more spi-
 rituum illorum throno Dei , Optimi,
 Maximi adstantium , teste Joanne (1) :
 Si , inquam , ad SS. Patrem nostrum
 PIUM VI. oculos , animumque con-
 vertam ; & concepto jam proposito

b

præ-

(1) Apoc. 8. 3.

præsidiū tui reposcendi firmiùs adhære-
re, & mecum præterea gratulari fas
erit, quòd iis temporibus, eoque sub
Principe, ac Supremo Pastore mihi
scribere *de Juris Naturæ Officiis* con-
tigerit, quando nimirum ejus voce,
& exemplo omnia cum hoc divino Ju-
re consonent adamussim. Eum enim
conspicimus Petri Successorem, nem-
pe quælibet explentem Juris naturalis
Officia, Principis nimirum, ac Patris,
Morum, ac Fidei Magistri, Religionis-
que Custodis fidissimi, intento studio,
alacri semper animo, hilari blandoque
vultu, uno verbo *formâ factum gre-
gis ex animo*, ut Petri Apostoli vota
poscebant (1). Eum planè, cujus pri-
mæ, potioresque partes fuerunt semper,
ac sunt perquirendæ, promovendæque
solidæ felicitatis, quæ in vera cum
Deo

(1) 1. Petr. 5. 3.

Deo primùm, deinde cum Principibus, postremò cum Populis pace sita, constitutaque sit. Eum tandem, cui re datum sit ipsâ, Pacem hujuscemodi firmissimè stabilire; & a quo, Christi Domini vices in terris gerente, liceat quàm primùm illud sperare, quod ejusdem Servatoris jussu, Apostolis inspectantibus, olim contigisse novimus, ut nempe imperet *ventis, ac mari, & fiat tranquillitas magna*. Hanc esse optatissimam Votorum metam (quid enim ultra exoptari liceat?) in confesso est apud omnes.

Hæc itaque cùm ita sint: habes profectò, *Princeps Eminentissime*, quot capitibus Tibi liber hic debeatur, ut non Tibi dicatus revera dici possit, sed Tuo redditus nomini jure putetur. Eum idcirco ad Te confugientem grato excipias vultu; Auctoremque suum pa-

trociniò etiam Tuo non indignum existi-
stimes. Hoc enim uno fatìs mecum a-
ctum iri, apertissimè pronuntio.

Dabam Romæ VIII. Kal. Martias MDCCLXXIX.

DIS-

DISSERTATIONUM DE J. N. ET G. OFFICIIS

I N D E X

DISSERTATIO Preliminaris . *Quid nomine Officii intelligatur ? Quot genera sint Officiorum ?*

DISSERTATIO I.

Officia erga Deum theoretica .

D *Ei existentia contra Atheos . Dei Unitas contra Polytheos . Deus Incorporeus contra Materialistas . Dei Creatoris dominium in res omnes .*

DISSERTATIO II.

Epicureorum , ac primæ Classis Deistarum errores circa Providentiam . Duplex Providentiæ pars explicatur ; & contra negantes asseritur . Eorum argumenta refelluntur . Secundæ Classis Deistarum errores de Mali natura impugnantur . Eorum cavillationibus respondetur .

DISSERTATIO III.

Officia erga Deum practica .

Explicantur Officia practica erga Deum . De Fide , quod primum est erga Deum ex J. N. officium . Hic Protestantes J. N. Scriptores a vera Fide aberrare convincuntur , & Coccejus apertè impugnatur . De Spe , altero J. N. erga Deum officio . Ubi de Desperatione , & Prasumptione . De Caritate , quod tertium est erga Deum J. N. officium . Ac tandem de Poenitentia , quæ ad J. N. spectat . Atque hæc etiam Adversariis nostris , J. N. Scriptores nempe eorum errores deteguntur .

DISSSERTATIO IV.

Quid Religionis nomine intelligatur? Necessitas Religionis in J. N. asseritur. Vera Religio quanam? Indifferentiæ qui sint? Impugnantur. Pari modo Latitudinarii. Revelationis utilitas; atque etiam ejus contra Protestantes necessitas ad veram constituendam Religionem. Heterodoxos debere ad Romanam Ecclesiam accedere. De Cultu externo Religionis. Burlamaquii, aliorumque errores circa Religionem. De vitiis Religioni oppositis: eorumque pœna.

DISSSERTATIO V.

Officia erga seipsum theoretica.

In quonam fundentur hominis Officia erga seipsum theoretica? Quid sibi velint hæc Officia theoretica? Animam esse a corpore distinctam. Animam hominis esse Spiritum. Explicatur mutua dependentia, & commercium animam inter, & corpus ex Tournemino. De animarum origine inquiritur; ac plures errores confutantur. Pari modo refellitur Metempsychosis. Wolfii, ac Leibnitzii sententia Inventorum exploditur; ac vera exponitur, quæ lumini naturali æquæ, ac Fidei optime congruit. De Præexistentia animarum opinio, & ratione naturali, & Putrum auctoritate convellitur.

DISSSERTATIO VI.

Explicatur vox hæc Immortalis: & in quo sensu Deus solus sit immortalis? Animam nostram esse immortalem naturâ suâ, quid sit? Pomponatii error exponitur. Argumenta ex lumine naturæ ad animæ immortalitatem probandam. De animarum differentia inter se. De Leibnitzii Monadibus. Ac tandem de Spinozæ unica Substantia nonnulla differuntur.

DISSSERTATIO VII.

Officia erga seipsum practica.

*Quanam sint Officiorum hominis erga seipsum practi-
corum Objecta? In quo sita sit Intellectus, & Voluntatis per-*

perfectio? *Hic Wolfii errores deteguntur, qui notantur etiam circa corporis curam ex J. N. Quid de aliis externis bonis dici debet? De bona sui existimatione, & fama.*

DISSERTATIO VIII.

Autochiriam, sive Suicidium esse contra Jus naturæ: verum nempe homicidium sine debita auctoritate: quod probatur multiplici ratione. Quid ex Grotio contra Suicidia? Resolvuntur nonnulla; quæ adduci possent pro Autochiria. Error Donatistarum, seu Circumcellionum. Similis error Stoicorum. Vera circa Suicidium doctrina. Nonnulla de indirecta sui occisione, ac de mutilatione. Et potissimum de Eunuchis.

DISSERTATIO IX.

Licitam esse defensionem ex J. N. ab injusto Aggressore. In quo ea fundetur? Et si qua detur exceptio? Explicantur nonnulla objecta. Quid hac in re sit consilii, quid præcepti? Alia resolvuntur objecta, & casus peculiare. Quid pro servanda Pudicitia? Ad mutilationem arcendam idem licet. Pro bonis Fortunæ defendendis, quid sit definiendum? Quid rursus pro defendenda boni nominis Fama, & honore? Jura necessitatis explicantur in concursu diversarum legum. An idem agere liceat pro aliorum defensione, quod pro suimetipsum? De Duellis agitur. Ubi quænam ea dici propriè debent? non esse licita J. N. neque ullis unquam ex circumstantiis licita Duella effici.

DISSERTATIO X.

Officia erga alios absoluta.

In quonam fundentur hominis erga alios officia? Potissimum absoluta. Quænam sint hæc Officia absoluta? An sint exhibenda inimico privato? An etiam hosti publico? Quomodo Officia hæc sunt servanda? Et quibus in rebus? De reparatione Juris alieni læsi. Ubi de mendacio. Quid pro reparatione injuriæ Personalis? De obligatione defenden-

di

di vitam Proximi; & de obligatione Divitis erga Pauperem in extrema necessitate.

DISSERTATIO XI.

Officia erga alios hypothetica.

Quid sint Officia hypothetica hominis erga alios? An ad Jus Gentium sint revocanda; & quotuplex sit Jus Gentium? De dominio originario, & primâ rerum divisione. Hertii sententia, & Lockii. De Dominio derivativo: & primo ex Facto hominum. Secundo loco ex Lege. Ubi de Prescriptione. De mari libero, & de mari clauso. De transitu innoxio per alienas Terras.

DISSERTATIO XII.

Officia hominis in Societate.

Status hominis in Societate simplici, & composita. De Statu conjugali, & familia: Ubi plura deducuntur ex J. N. illicita. De matrimonii insolubilitate ex J. N. ubi Protestantium errores. De Impedimentis ex J. N. ut validum sit matrimonium. De effectibus matrimonii in Viro, & Uxore. De Patria Potestate in Liberos. Ubi de Liberos in institutione, ac de diverso Liberos in statu: eorumque erga Parentes officiis. De Famulorum conditione, eorumque Officiis. De societate composita. Ubi de Origine, & Fine Civitatum. Expenduntur, & confutantur Genevensis Russoi errores.

DISSERTATIO XIII.

Jura Suprema Potestatis.

Necessitas Supremæ Potestatis. Quid ea sit, & quotuplex? Quænam emolumenta, & quæ detrimenta sint in unaquaque? Quomodo fuerit constituta Suprema Potestas? Expenduntur sententiæ Puffendorfi, & aliorum. Fusè examinatur opinio, & systema Russoi. Quò se extendat Suprema Potestas? Ubi de Principis Supremi aequè, ac Patris partibus. Disseritur latè de pœna mortis. Ubi expenditur, quidquid in contrarium profertur in libro de Delictis, &

Pœ-

Pœnis . Et auctoritate Viri clarissimi impugnatur . De Potestate Principis Supremi in res sacras contra Protestantes . De Principis Supremi dominio in bona Subditorum . Ubi de commercio , & usu cadenda pecuniæ . De Jure belli in Principe Supremo . Ubi de Bello causâ Religionis : & de justis belli effectibus . De Jure Fœderum , ac Pacis , quod Principi supremo competit .

D I S S E R T A T I O XIV.

Jus Gentium .

Distinctio Juris Gentium . Negatur duplex Jus Gentium , & unicum asseritur ab aliquibus , & quænam eorum rationes ? Satisfit illorum rationibus , & asseritur Jus Gentium liberum , præter illud necessarium . A posteriori probatur hoc Jus Gentium liberum , & voluntarium . Et discrimen exponitur inter hoc Jus Gentium , & Jus Naturæ . Iterum respondetur negantium objectionibus . Regulæ tandem exponuntur in concursu , & collisione Officiorum .

D I S S E R T A T I O XV.

Jus Civile .

Quid Jus Civile commune habeat cum Jure naturali ? Juris Civilis divisio in Personas , Res , Actiones . De Personis , ubi de Servis . De Patria Potestate . De Nuptiis . De Tutoribus . De rerum Dominio . De Testamentis . De Obligationibus ex contractu , vel quasi contractu . De Obligationibus ex delicto , vel quasi delicto . De Actionibus . De Exceptionibus , & Judicis officio .

I M P R I M A T U R .


Si videbitur Reverendissimo Patri Sacri Palatii Apost. Magistro .

*Franciscus Ant. Marcucci ab Immac. Conc. Episc. Montis
Alti Vicegerens .*



I M P R I M A T U R .

Fr. Thomas Pius Schiara Ord. Prædicatorum Sac. Pal. Apo-
stolici Magister .




Fides sanè cum Natura non pugnat , sed consentit :
nec dissident humana , & divina Ratio , sed cohærent . U-
traque vera est , nec verum vero adversatur : utraque a
Deo est , nec Deus sibi contrarius est . Pervertunt itaque
homines fundamenta Naturæ ; cùm illam a Fide sejungunt .
Quin Fide dirigenda Naturæ ratio est , & quidem sic , ut
hæc duo verba inter se , non res discrepare videantur .

Melchior Canus de Locis l. 12. c. 4.

LECTORI.

PAUCIS te volo, Lector humanissime, antequam operis hujusce mei partem alteram *De Officiis* nempe perlegendam aggrediaris. Illud animo reputes, oportet, Officiorum Juris Naturæ, ac Gentium plurimam, ac propè dixerim, infinitam esse segetem: quam si pertractare voluisssem ex integro, quot mihi opus esset tomis, haud scio; cum noverim, Grotii ingens de Jure belli, & pacis opus, Coccejanis maximè auctum commentariis, Puffendorffii de J. N. & G. satis ampla volumina, additis etiam Masco-vii, Hertii, Barbeyracii, aliorumque adnotationibus, & innumera Christiani Wolfii theoremata, propositiones, collaria rei totius argumentum minimè exhaustisse; quin & complura J. N. & G. Officia, eaque etiam præcipua omis-sisse. At mihi illud fuerat sub initio propositum, ne pluri-um voluminum mole Lectoris mei diligentia opprimeretur. Verùm parte ex alia firmiter hærebat animo, ut quilibet operis hujusce præsidio plenam aliquo modo Juris Naturæ, & Gentium doctrinam, non in Principiis modo, sed & in Officiis, absque Protestantium venenatis libris assequi posset. Quare, ut rem totam conficerem in secunda hac operis parte, sic mihi statuendum proposui; ut videlicet nullum ex præcipuis J. N. & G. Officiis caput intactum præterirem: non omnia verò pari verborum dignitate, ac sententiarum copiâ persequerer. Nonnullæ idcirco Dissertationes, quarum tractatio apud heterodoxos Scriptores vel exigua, vel jejuna admodum sit (maximi licèt momenti); vel detrimentum aliquod Catholicæ afferat veritati; fusiùs, & copiosius excurrere videntur: Nonnullæ contrà minore cum apparatu procedunt, utpote quæ sen-

tentias obvias, ac vulgares, & in quibuslibet sive Mora-
lium, sive Juris peritorum libris facili negotio observan-
das complectuntur. Hæc a me non sine maturo consilio
perpenſa, & studiosè hoc in opere expleta, æqui bonique
consulas, rogo: utque tandem, quæ potissimæ sunt Scri-
ptoris, Lectorisque partes, Deo Optimo Maximo omnia
cedant, collatis studiis exoptemus.



D E J U R I S

NATURÆ, AC GENTIUM OFFICIIS
DISSERTATIO PRÆLIMINARIS.

*Quid nomine Officii intelligatur ?
Quot genera sint Officiorum ?*



HActenus de *Principiis Juris Naturæ, & Gentium* actum a nobis est, quæ Sanè veluti fundamenti loco sunt iis omnibus, quorum tractatio agitur in præsentî. Profectò non magni esset nobis emolumenti ea nôsse, quæ ad legis naturalis sive essentiam, sive attributa spectant, nisi unâ edoceremur, & quidem in particulari, quid nobis lege naturali optimè imbutis agendum esset; quod hoc in libro, Deo dante, exhibebimus; atque ita seminum in præcedenti jactorum fructus colligentur. Scio equidem, posse de se quemlibet ex iis principiis ritè intellectis, & maturè perpensis actus suos omnes ad legis normam dirigere (in id enim, quantum in nobis situm fuit, adlaboravimus): verùm non eâ polleat omnes mentis solertiâ, ut, quæ in generalibus continentur propositionibus, dignoscere valeant, ac veluti enucleare: neque

A tur.

rursus, quæ Juris sunt naturalis, in aperto sunt omnia (in aliquibus siquidem doctorum etiam mens cæcutisse visa est): ac tandem illud mihi est operæ pretium, ut qui recta sapiunt, magis magisque confirmantur, perversè verò sentientes quocunque modo excutiantur, & ab errore avocentur: hisce de causis peculiarem de Juris Naturæ, ac Gentium Officiis placuit tractatum exponere.

In hoc pariter tomo placuit ad legis naturalis officia adnectere nonnulla ex Juris civilis legibus deprompta. Cl. V. Leibnitzii videlicet monitioni obsecundans, ubi (1) hæc habet: *Plurimum referret parallela addi juris civilis, inter homines recepti, præsertim romani, ipsiusque etiam juris sacri: ita usus juris naturæ apud Theologos, & Juris consultos prior futurus esset, quod nunc magis sermonibus celebratur, quam negotiis adhibetur.* Equidem novi, Cl. V. Joannem M. Lampredi plurimum in hanc spartam adornandam incubuisse: quare, ne actum agam, ex uno *Institutionum Juris civilis* libro, quæ ad rem faciunt, legum exempla depromere volui. Placuit tamen, re melius consideratâ, in particularem dissertationem ultimo loco positam, rem hanc pertractandam differre.

I. *Officiorum* nomine id omne intelligi potest, quod *ad legis normam faciendum, aut omittendum est.* *Juris naturæ officium* proinde illud est, quod *jure naturæ nobis vel præcipitur, vel prohibetur.* Porro in hac acceptione tum Græci, tum Latini, Veteres pariter, ac Recentiores scriptores *officii* vocabulum usurpârunt. Tullio enim teste novimus, a Stoicis τὸ κατὰ φύσιν appellari *officium*, quasi dicerent, *id quod nobis convenit, quod consentaneum est nobis:* unde illud τὰ κατὰ φύσιν ἀποτελεῖν apud Xenocratem, quod est, *officio perfungi.* Tullius verò maluit appellare *officium, quod ratione actum sit, id officium appellamus* (2).

Qua-

(1) In ep. Censoria lib. de Officio hom. & civ. puffendorfsiani.

(2) Lib. 3. de Fin.

Quare optimè ab aliquibus *officium* explicatur tali pacto : id, quod quisque efficere debet, observatâ locorum, temporum, & personarum ratione : congruus nempe actus uniuscujusque Personæ : id rursus, in quod quisque debet incumbere, ut convenientem loco, tempori, & personæ reddat effectum. Unde in Familia benè instituta, aut in benè administrata Republica dici solet, *omnes esse in officio*; idest agere, quæ oportet : & siqui sint, qui malè agunt, de iis dicitur : *officium suum deserere, discedere ab officio, deesse officio suo*.

Officium verò in sensu strictiore, & ad rem nostram magis accommodato est : *actio hominis ex præscripto legis directâ ad finem*. Non enim propriè dici debet *officium* actio quævis, utcunque hominum societati proficua, nisi ad eum finem ab homine dirigatur. In juris autem naturalis officiis suis etiam designari finis debet. Quemadmodum autem in libro *de Principiis* statuimus, omnia, quæ Juris naturalis sunt præcepta ad Felicitatem hominis naturalem, tanquam ad Finem diriguntur; haud aliter de Juris ipsius naturalis officiis est ratiocinandum, ad eum videlicet finem, nempe ad *Felicitatem* esse actionem quamlibet dirigendam : atque hic dici potest officiorum hujusmodi finis, in univèrsum spectatus. Profectò Seneca ex albo *beneficiorum* illud exponit, quod eo animo præstitum sit, eoque sine, ut quæstus inde retraheretur. *Qui beneficium, ut reciperet, dedit, non dedit* (1). Contra verò inter beneficia adnumerat actionem, quæ optimum ad finem directâ tamen primo obtutu non sine injuria perpetrari posse videretur Servorum duorum facinus commemorat, quod non incongruè hic referam. *Claudius quadrigarius in duodevicesimo annalium tradidit, cum obsideretur Adrumetum, & jam ad summam desperationem ventum esset, duos Servos ad hostes transfugisse, & operæ pretium fecisse. Deinde, Urbe captâ,*

A 2

passim

(1) De Benef. l. 4. c. 14.

passiva discurrente Victore; illos per nota itinera ad domum, in qua seroierant, præcucarrisse, & Dominam suam ante se egisse: & quærentibus, quænam esset, Dominam & quidem crudelissimam ad supplicium ab ipsis duci, professos esse. Eductam deinde extru muros summâ curâ celasse, donec ostilis ira consideret. Deinde, ut satiatus miles ad romanos mores citò rediit: illos quoque ad suos rediisse, & Dominam sibi ipsos dedisse. Manumisit utrumque e vestigio illa: nec indignata est, ab his se vitam accepisse, in quos vita, necisque potestatem habuisset. Potuit sibi hoc vel magis gratulari. Aliter enim seroata munus notæ, & vulgaris clementiæ habuisset: sic seroata, nobilis fabula, & exemplum duarum Urbium fuit. In tanta confusione captæ Civitatis, cum sibi quisque consuleret, omnes ab illa præter transfugas fugerunt. At vi, ut ostenderent, quo animo facta esset prior illa transitio, a victoribus ad Captivam transfugerunt, personam parricidarum ferentes. Quod in illo beneficio maximum fuit, tanti judicaverunt, ne Domina occideretur, videri Dominam occidisse. Non est, mihi crede, non est, dico, servilis animi, egregium factum fumâ sceleris emisisse (1).

II. Explicatâ jam propriâ officiorum Juris Naturæ essentia, ad ea investiganda procedamus oportet objecta, quæ respicere debent hominum pro statu naturali, & juxta naturalem legem operantium actus. Jamverò, ut alibi innuimus, homo rationis usu pollens ubi parumper ad statum suum mentem, animumque convertit, dignoscit confestim, tria esse posse in tota rerum universitate objecta, in quæ actus suos aptè, convenienter, & necessariò dirigat, ut naturæ suæ rationalis conformiter vivat, utque felicitatis a se quæsitæ metam attingat. Primo loco esse Deum: tum seipsum: Postremo alios, quos Proximos sibi dicere consuevit. Quare optima constituitur officiorum distributio, quæ nem-

(1) Lib. 3. de Benef. c. 22.

nempe *Deum*, quæ *seipsum*, quæque *alios* respiciunt; quam sanè propositam à Tullio habemus (1) ubi de hac naturali morum Philosophia sic loquitur: *Hæc nos primùm ad illorum (Deorum) cultum, deinde ad Jus hominum, quod situm est in Generis humani societate, tum ad modestiam, magnitudinemque animi erudit.*

Quæ quidem ab homine ethnico prolata, ac juxta naturæ legis vim pronunciata dumtaxat, Christianum hominem de Jure naturæ scribeutem, Puffendorffium dico, *inexcusabilem* reddunt, dum, in constituendo fundamentali principio Legis naturalis, neque Dei, neque sui ipsius (quemadmodum oporteret) primariò, & per se mentionem fecerit. De eo, ejusque Philosophia exclamare licebit cum Leibnitio (2): *Adeone degenerabit apud Christianos Philosophia, quam Ethnici tam sanctam, & generosam habere?* Fuit certè ab aliis sui temporis Scriptoribus id vitii Puffendorffio exprobratum, quod ipse memorat, (3) conaturque inibi accusatoribus suis satisfacere. Malè autem, meo judicio. Summa enim suæ defensionis in eo versatur, adnotante Mascovio (4) quòd *sibi præcipuè constitutum sit, ut officia hominum mutua, sive erga alios explicet.* Quasi verò homini scribenti de *Lege naturali in genere*, (ut ibidem profitetur): non alia sibi sumat præcipuè explicanda officia, nisi quæ ad alios spectent: cum potius Deo, ac sibi potiores legis naturalis officiorum partes dare debuisset, posteriores verò aliis.

Ineptissima deinde est excusatio, quam Mascovius ipse insectatur, videlicet: *Officia erga Deum ex sua ipsas sententia partem theologiæ naturalis esse, cui in doctrina Juris naturæ non alia contemplatione locus est, quàm quæ Numinis*

(1) Tuscul. quest. l. 1. c. 26.

(2) Epist. Genf. ad mol.

(3) In specim. controv. c. 5. §. 25. & in spici leg. Controv. c. 1. §. 14.

(4) Lib. 2. c. 3. Puffend. de J. N. & G. §. 15.

nis cultus firmissimum societatis civilis vinculum est. Officia hominis erga seipsum partim e Religione, partim e studio societatis manant ita, ut, si homo non penderet a Deo, & extra societatem aliorum viveret, nulli obligationi erga seipsum adstrictum esse, intelligi posset. Mira sanè, & nova sunt hæc Puffendorffii sensa, sed enormia itidem, & falsa complura. Etsi de officiis erga Deum agat peculiaris quædam facultas, quæ exinde nomen *Theologiæ* obtinet, quid impedit, quominus in Juris naturalis generatim inspecti officiis explicandis ratio etiam habeatur de Officiis erga Deum, Juris ipsius, ne dicam hominis, auctorem, atque Institutorem? Quot in toto Puffendorffiano Juris naturæ, & Gentium opere traduntur, quæ aliarum facultatum tractationi ab auctoribus designantur? Plura ad *Ethicæ*, plura etiam ad *Oeconomicæ*, plura tandem ad *Politice* pertinentia Puffendorffius complectitur, ut videre cuilibet licet: Sunt autem & dictæ disciplinæ seorsim, si placuerit, tradendæ: Puffendorffio tamen nil vetuit, quin suo Juris naturalis libro ea adscripserit. *Unius Dei* tantummodo Officia minimè inferenda Juri naturali putavit, & ut ita dicam, religioni sibi vertit!

Deinde quàm præposterè in se excusando ratiocinatur, dum subdit: *Numinis cultam ed in doctrina Juris naturæ contemplandum, quò firmissimum societatis vinculum est.* Equidem ex opposito argumentum fumerem, & quidem rationabilius: ex eo humanæ firmissimum est societatis vinculum, quòd numinis societati humanæ præpositi existentia sit, eique sint officia convenientia ab hominibus præstanda: quorum illud: *societati favendum: nil contra societatem molendum.* Profectò officia erga Deum, independentè omnino a qualibet societate, homini esse necessaria, putandum est.

Pari ratione infirmitatem puffendorffianæ ratiocinationis in ea, quæ *suis ipsius officia* respicit, parte quisque de-

pre-

prehendet. Siquidem *e Religione* vult Puffendorfius *promanare officia hominis erga seipsum*: ex illa videlicet Religione, cujus tractationem omittit in Jure naturali in genere describendo: ex illa rursus, quæ non alium ob finem est consideranda, nisi quatenus civili inserviat societati. Unum ergo exhibet revera fontem, quamvis binos indicet, eruendi officia hominis erga seipsum, nempe *Studium societatis*. Qui ergo extra societatem vivat, proindeque societati studere minimè queat, nullum erga se officium dignoscere potest? Si Adam sine socio vixisset diutius, prout aliquo vixit temporis spatio, officia erga seipsum ignorâisset? Erunt ergo officia omnia erga seipsum connexa, ac dependentia ab officiis erga societatem? Quis hoc det Puffendorffio? Equidem puto neminem. Sed nec Puffendorffium ipsum operantem Puffendorffio scribenti id daturum, puto. At Puffendorffium sic errantem relinquamus, cum alibi (1) nonnulla de officiis *ad Deum*, atque *ad seipsum* spectantibus tradiderit.

Jure igitur optimo hominem ita constitutum voluimus, ut *primas* perfectæ suæ rationis cognitiones *Deo*, a quo vitam, rationem, ac cætera habet emolumenta, quibus fruitur, adscriberet. Secundas partes *sibimetipsi* tribueret, composito nempè ex anima, & corpore, pluribus ornato facultatibus, atque innatum erga partes hæc suas amorem experienti, ut felix modo aliquo esse posset. Tertias tandem officiorum partes deberet *aliis*, quos sibi similes in hisce Terris animadvertit. Erga istos sentit intra se propensionem quamdam conjungendi se illis, & societatem constituendi mutuatorum officiorum, unde commune quoddam inter illos bonum exurgat. Quare scribebat Tullius (2): *quoniam (ut præclare scriptum est a Platone) non nobis solum nati sumus, ortusque nostri partem Patria vindicat, partem ami-*

(1) De Off. hom. & Civ. l. 1. c. 3, §. 13.

(2) Lib. 1. de Off. c. 7.

amici : atque , (ut placet stoicis) quæ in terris gignuntur , ad usum hominum omnia creari , homines autem hominum causâ esse generatos , ut ipsi inter se aliis alii prodesse possent . Paucissimis omnia officia verbis conclusit Leibnitzius , ubi ait : Non nobis tantum nati sumus , sed partem nostri sibi alii vindicant , Deus totum (1) .

Officia autem hæc considerari possunt respectu hominis vel in statu *primitivo* , & *originario* , vel in statu *accessorio* , & *adventitio* . Profectò *officium hominis erga Deum* in statu primitivo , & originario est , *Actio ex debito conformanda legi naturæ : præcipienti cultum , seu religionem erga Deum , in quantum quidem naturalis ratio eam consequi potest* . Pro eo siquidem statu existit homo in absoluta dependentia a Deo , cui vitam , & bona cætera refert accepta , & cuius Beneficiæ , & Potentiæ effecta contemplantur , & experitur cum in aliis , tum in seipso . Et inde Deum tanquam supremum rerum omnium Dominum reveretur , & peculiari ratione tanquam Creatorem suum , & Conservatorem , & de unoquoque nostrum benemeritum ; unde excitari sentiet in animo suo motus venerationis , honoris , timoris , atque amoris ; & maximam cum ipsius voluntate consensionem , omnemque ejus mandatis obedientiam devovebit : juxta illud , quod Seneca appellat *Vetus præceptum* nempe : *Deum sequere* (2) . Et alibi tanquam a natura inditum præceptum adnotat : *Placeat homini , quidquid Deo placuit* (3) .

Officia hominis *erga seipsum* pro statu primitivo dignoscuntur , expendendo intimam hominis constitutionem , finem , & intentionem Creatoris in homine efformando , eoque dotando tot animi facultatibus , & corporis sensibus . Ex harum rerum contemplatione patebit , ad facultatum

(1) Leibn. in epist. cent. ad mol.

(2) De Vit. beata c. 15.

(3) Ep. 74.

tatum suarum veram perfectionem, corporisque conservationem pro naturali felicitate consequenda, dirigi debere hominis erga seipsum officia. Hujusmodi erga se amor legitimus, atque ordinatus est veluti basis, ac fundamentum omnium officiorum in homine adversum se. Dixi *legitimum*, atque *ordinatum*, ita nimirum ut Legislatoris voluntati non adversetur, atque adeo, quæ a Deo mala sibi obveniunt, demisso animo excipiat. *In omnibus, quæ adversa videntur, & dura, sic formatus sum: Non pareo Deo, sed assentior; ex animo illum, non quia necesse est, sequor.* Hæc Seneca, (1) christianæ virtutis in statu naturali optimum exemplum. Definiri idcirco potest officium hominis erga seipsum: *Actio hominis ex debito conformanda legi nature præcipienti ordinatam amorem sui.*

Officia hominis erga Societatem pro eodem statu primitivo erui possunt eadem ratione, ac illa hominis erga seipsum. Profectò unusquisque a primo ortu suo complures alios sui similes circa se conspicit; idque non casu factum, sed ex Dei conditoris voluntate, cum potuisset homines solitarios creare. Inde sanè mens detegitur Creatoris de mutua socialitate. Accedit, quòd hominis ipsius facultates, propensiones naturales, infirmitates, indigentia hoc ipsum maximoperè confirment. *Quo alio tuti sumus, ait Seneca (2), quàm quòd mutuis juvumur officiis? hoc uno instructior vita, contraque incursiones subitas munitior est beneficiorum commercio. Fac nos singulos: quid sumus? præda animalium, & victima, ac vilissimus, & facillimus sanguis. Quoniam cæteris animalibus in tutelam sui satis virium est. Quæcunque vaga nascuntur, & actura vitam segregem, armata sunt: hominem imbecillitas cingit: non unguium vis, non dentium, terribilem cæteris fecit: nudum, & infirmam societas munit. Duas res dedit, quæ il-*

Tom. II.

B

lum

(1) Ep. 26.

(2) Lib. 4. de benef. c. 18.

lum obnoxium ceteris validissimum facerent, rationem, & societatem. Itaque qui par esse nulli posset, si diduceretur, rerum potitur. Societas illi dominium omnium animalium dedit; societas terris genitum in alienæ naturæ transmisit imperium; & dominari etiam in mari iussit. Hæc morborum impetus arcuit, senectuti adminicula prospexit, solatia contra dolores dedit; hæc fortes nos facit, quod licet contra fortunam advocare. Hanc tolle: & unitatem generis humani, qua vita susinetur, scindes. Inde mutuus erga alios amor, a quo, si rectus sit, & benè ordinatus officia adversus alios promanant.

Dixi pariformiter amorem erga alios *rectum*, & benè *ordinatum*: loco suo ostendam particulariter, quonam pacto ex tradita honestæ actionis norma rectus, & benè ordinatus amor procedat. Senecæ hic quoque præcepta nonnihil adjuvant (1). Quærit: *quomodo hominibus sit utendum? quid agimus? (ait) quæ damus præcepta? ut parcatur sanguini humano? Quantulum est, ei non nocere, cui debeas prodesse? Magna scilicet laus est, si homo mansuetus homini est. Præcipientur, ut naufrago manum porrigat, erranti viam monstret, cum esuriente panem suum dividat? Quando omnia, quæ præstanda sunt, ac vitanda dicam, cum possim breviter hanc formulam humani officii tradere? Omne hoc quod vides, quo divina, atque humana conclusa sunt, unum est: membra sumus corporis magni. Natura nos cognatos edidit, cum ex iisdem, & in eadem gigneret. Hæc nobis amorem indidit mutuam, & sociabiles fecit: illa æquum, justumque composuit: ex illius constitutione miserius est nocere, quàm lædi, & illius imperio parata sunt ad juvandum manus. Iste versus & in pectore, & in ore sit: Homo sum, humani nihil a me alienum puto. Habeamus in commune, quod nati sumus. Societas nostra lapidum fornicationi simillima est: quæ casura nisi invicem ob-*
sta-

(1) Epist. 95.

starent, hoc ipso suslinetur. Tullius pariter (1) aiebat: *In hoc naturam debemus ducem sequi, & communes utilitates in medium asferre, mutatione officiorum, dando, accipiendo: tum artibus, tum operâ, tum facultatibus devincire hominum inter homines societatem.*

Quare definiri potest officium hominis absolutum erga alios: *Actio, vel omissio actionis, quam homo ab homine exigere potest secundum obligationem naturæ omnibus communem, nullo supposito jure, per factum acquisito, sed cuiusvis connaturali.*

Atquæ hæc quidem officia hominem pro statu *absoluto primitivo*, & in *sui origine* spectant. Sunt & alia, quæ pertinent ad hominem pro statu *accessorio, adventitio, hypothetico*, in quo nempe vel ex facto proprio, vel alieno constitutum se sentiat. Pro hujusmodi statuum varietate, varia sunt hominis quæ erga seipsum, quæ erga alios peculiaris officia, de quibus loco suo. Profectò homo ex prima sui constitutione liber est, unâ tantum naturali lege obstrictus: æqualitate gaudens cum cæteris, & naturaliter nemini præter Deum subjectus. At verò in præsentis rerum statu pluribus est obnoxius legibus civilibus, & municipalibus, quibus sua ipsius libertas veluti limitibus concluditur: Rursus sibimetipsi vincula porrigit consequenter ad actus suos aliquos vel ex contractu, vel ex delicto. Potestati etiam humanæ subditus obedire, ejusque verbo morem gerere, conspicitur. Hæc autem omnia, atque alia complura non ex primæva hominis origine, sed ex hypothese naturali juri consentanea ortum ducunt. Quæ sanè erunt in sequentibus libri hujus dissertationibus explicanda. Poterit igitur officium hominis hypotheticum sic definiri: *Actio, vel omissio actionis, quam homo ab homine potest exigere secundum aliquem statum adventitium, præsupposito nempe aliquo jure per factum acquisito.*

(1) De off. l. 1. c. 7.

Sunt, qui inter officia hominum inter se distinguunt *perfecta* ab *imperfectis*, quæ sanè dignoscere maximi interest. Officium *perfectum* est: *Actio*, vel *omissio actionis*, ad quam homo plene, rigorosè & veluti necessariò adstringitur; cui si deest, *Injustus* dicitur. Sic est, ut neminem lædat: ut cuique, quod suum est, tribuat. Officium verò *imperfectum* est: *Actio*, vel *omissio actionis*, ad quam homo non jure naturali, rigorosè tali, sed per modum æquitatis naturalis obstringitur: unde si negligat, dici potest *Iniquus*. Sic est: *Viatori* digito viam indicare: *sitienti* aquam ex sua profluente permittere; *deliberanti* consilium dare, & similia.

Perfectò officia hæc tum *perfecta*, tum *imperfecta* si sunt *absoluta*, ad *Jus naturale* revocantur communiter: Officia verò *hypothetica* nonnulla ad *Jus ipsum naturale*, nonnulla etiam ad *Jus Gentium* reducuntur. Sic *adificatio*, *mutatio*, *Legatorum missio*, & *admissio*, *libera commercia*, *Jura belli*, *Fædera pacis*, atque alia, quæ, ut videbimus, ad *Jus Gentium* spectant, quamvis *Puffendorfius*, & plures alii contra *Grotium*, *Juris esse naturalis* autument.

HOMINUM OFFICIA
 ERGA DEUM THEORETICA
 DISSERTATIO I.

*Dei existentia contra Atheos . Dei Unitas contra Polytheos .
 Deus Incorporeus contra Materialistas . Dei
 Creatoris dominium in res omnes .*

UT a Deo O M. , cui omnia sunt referenda , exordiamur : duplicem veluti officiorum classem completur cultus , qui ex Jure naturæ Deo debetur . In altera sunt officia *theoretica* , in altera sunt officia *practica* : utraque autem sunt , quæ naturalem Religionem constituunt . Sanè Epietetus (1) sic scribit : *Religionis erga Deum immortalem præcipuum illud esse scito : rectas de eo habere opiniones , & parendum ei esse ultra* . Quod quidem effatum apud nationes cultas communissimè receptum est . Grotius (2) officia *theoretica* appellat , *notiones contemplativas* ; officia *practica* , *notiones activas* . Nos hic explicanda sumimus primi generis officia , in sequenti dissertatione de officiis practicis sermonem habebimus .

I. Primum , ac præcipuum officiorum omnium erga Deum illud est ex jure naturæ , credere nempe , *Deum existere , necessarid , & a se* . Optimè ait Seneca (3) : *Primus est Deorum cultus , Deos credere : deinde reddere illis majestatem suam , reddere bonitatem , sine qua nulla majestas est* . Adeo obstringimur ex lege naturali ad hoc officium , ut qui *Dei existentiam necessariam , & a se* negant , eo ipso negent , se ab eo causam existendi habere ; adeoque ejus imperio

(1) In Enchir. c. 39.

(2) De J. B. & P. l. 2. c. 20. §. 45.

(3) Ep. 95.

Religionis ergo exarare libuit, tuam in fidem committere? Illud etiam accedit, quod libri hujusmet, quem tibi exhibeo, breve compendium, olim a me veluti specimen aliquod conscriptum, paucis antè annis iterum typis Romæ ab eruditissimo viro edendum, nonnisi Eminentissimo Principi D. CAROLO CARDINALI REZZONICO S. R. E. Camerario, Germano tuo fuerit dictum. Est ergo Rezzonicæ Familiæ in librum hunc meum quodammodo Jus acquisitum. Neque mihi prætereunda est SS. Pontificis CLEMENTIS XIII. Patru tui veneranda in perpetuum memoria. Profectò summo huic Ecclesiæ Christianæ Sacerdoti quantum Religio debeat, nemo unus ignorat, atque adeo fateantur omnes, oportet. Inde etiam nescio quid in libri hujus argumentum auctoritatis in te quoque de-

riva-

rivari video . Eo siquidem Pontifice ;
 Christianam rem e Suprema Petri Ca-
 thedra curante , *Juris hujus Naturæ* ,
 & *Gentium* prælectiones Pontificia in
 Ditione Auditoribus pluribus tradendi
 facta mihi e Sicilia venienti facultas
 fuit ; quas deinde ad exitum perducere
 per illorum temporum adjuncta non
 licuit . Quòd si tandem ad illum ocu-
 los convertam , quem Dei admirabilis
 Providentia bono Ecclesiæ suæ Recto-
 rem constituit , amoris scilicet donum ,
 non iræ argumentum : cujus lateri ad-
 stas , Fidelium nempe ubique terrarum
 supplices libellos exhibiturus , more spi-
 rituum illorum throno Dei , Optimi ,
 Maximi adstantium , teste Joanne (1) :
 Si , inquam , ad SS. Patrem nostrum
 PIUM VI. oculos , animumque con-
 vertam ; & concepto jam proposito

b

præ-

(1) Apoc. 8. 3.

præsidi tui reposcendi firmitus adhære-
re, & mecum præterea gratulari fas
erit, quòd iis temporibus, eoque sub
Principe, ac Supremo Pastore mihi
scribere *de Juris Naturæ Officiis* con-
tigerit, quando nimirum ejus voce,
& exemplo omnia cum hoc divino Ju-
re consonent adamussim. Eum enim
conspicimus Petri Successorem, nem-
pe quælibet explentem Juris naturalis
Officia, Principis nimirum, ac Patris,
Morum, ac Fidei Magistri, Religionis-
que Custodis fidissimi, intento studio,
alacri semper animo, hilari blandoque
vultu, uno verbo *formâ factum gre-
gis ex animo*, ut Petri Apostoli vota
poscebant (1). Eum planè, cujus pri-
mæ, potioresque partes fuerunt semper,
ac sunt perquirendæ, promovendæque
solidæ felicitatis, quæ in vera cum

Dco

(1) 1. Petr. 5. 3.

Deo primùm, deinde cum Principibus, postremò cum Populis pace sita, constitutaque sit. Eum tandem, cui re datum sit ipsâ, Pacem hujuscemodi firmissimè stabilire; & a quo, Christi Domini vices in terris gerente, liceat quàm primùm illud sperare, quod ejusdem Servatoris jussu, Apostolis inspectantibus, olim contigisse novimus, ut nempe imperet *ventis, ac mari, & fiat tranquillitas magna*. Hanc esse optatissimam Votorum metam (quid enim ultra exoptari liceat?) in confesso est apud omnes.

Hæc itaque cùm ita sint: habes profectò, *Princeps Eminentissime*, quot capitibus Tibi liber hic debeatur, ut non Tibi dicatus revera dici possit, sed Tuo redditus nomini jure putetur. Eum idcirco ad Te confugientem grato excipias vultu; Auctoremque suum pa-

trocinio etiam Tuo non indignum exi-
stimes. Hoc enim uno fatiſ mecum a-
ctum iri, apertiffimè pronuntio.

Dabam Romæ VIII. Kal. Martias MDCCLXXIX.

DIS-

DISSERTATIONUM DE J. N. ET G. OFFICIIS

I N D E X

DISSERTATIO Preliminaris . *Quid nomine Officii intelligatur ? Quot genera sint Officiorum ?*

DISSERTATIO I.

Officia erga Deum theoretica .

DEi existentia contra Atheos . Dei Unitas contra Polytheos . Deus Incorporeus contra Materialistas . Dei Creatoris dominium in res omnes .

DISSERTATIO II.

Epicureorum , ac primæ Classis Deistarum errores circa Providentiam . Duplex Providentiæ pars explicatur ; & contra negantes asseritur . Eorum argumenta refelluntur . Secundæ Classis Deistarum errores de Mali natura impugnantur . Eorum cavillationibus respondetur .

DISSERTATIO III.

Officia erga Deum practica .

Explicantur Officia practica erga Deum . De Fide , quod primum est erga Deum ex J. N. officium . Hic Protestantes J. N. Scriptores a vera Fide aberrare convincuntur , & Coccejus apertè impugnatur . De Spe , altero J. N. erga Deum officio . Ubi de Desperatione , & Prasumptione . De Caritate , quod tertium est erga Deum J. N. officium . Ac tandem de Pœnitentia , quæ ad J. N. spectat . Atque hic etiam Adversariis nostris , J. N. Scripturibus nempe eorum errores deteguntur .

DISSSERTATIO IV.

Quid Religionis nomine intelligatur? Necessitas Religionis in J. N. asseritur. Vera Religio quanam? Indifferentiæ qui sint? Impugnantur. Pari modo Latitudinarii. Revelationis utilitas; atque etiam ejus contra Protestantes necessitas ad veram constituendam Religionem. Heterodoxos debere ad Romanam Ecclesiam accedere. De Cultu externo Religionis. Burlamaquii, aliorumque errores circa Religionem. De vitiis Religioni oppositis: eorumque pœna.

DISSSERTATIO V.

Officia erga seipsum theoretica.

In quonam fundentur hominis Officia erga seipsum theoretica? Quid sibi velint hæc Officia theoretica? Animam esse a corpore distinctam. Animam hominis esse Spiritum. Explicatur mutua dependentia, & commercium animam inter, & corpus ex Tournemino. De animarum origine inquiritur, ac plures errores confutantur. Pari modo refellitur Metempsychosis. Wolfii, ac Leibnitzii sententia Involutionum exploditur; ac vera exponitur, quæ lumini naturali æquæ, ac Fidei optimè congruit. De Præexistentia animarum opinio, & ratione naturali, & Putrum auctoritate convellitur.

DISSSERTATIO VI.

Explicatur vox hæc Immortalis: & in quo sensu Deus solus sit immortalis? Animam nostram esse immortalem naturâ suâ, quid sit? Pomponatii error exponitur. Argumenta ex lumine naturæ ad animæ immortalitatem probandam. De animarum differentia inter se. De Leibnitzii Monadibus. Ac tandem de Spinozæ unica Substantia nonnulla differuntur.

DISSSERTATIO VII.

Officia erga seipsum practica.

*Quanam sint Officiorum hominis erga seipsum practi-
corum Objecta? In quo sita sit Intellectus, & Voluntatis per-*

perfectio? *Hic Wolfii errores deteguntur, qui notantur etiam circa corporis curam ex J. N. Quid de aliis externis bonis dici debet? De bona sui existimatione, & fama.*

DISSERTATIO VIII.

Autochiriam, sive Suicidium esse contra Jus naturæ: verum nempe homicidium sine debita auctoritate: quod probatur multiplici ratione. Quid ex Grotio contra Suicidia? Resolvuntur nonnulla; quæ adduci possent pro Autochiria. Error Donatistarum, seu Circumcellionum. Similis error Stoicorum. Vera circa Suicidium doctrina. Nonnulla de indirecta sui occisione, ac de mutilatione. Et potissimum de Eunuchis.

DISSERTATIO IX.

Licitam esse defensionem ex J. N. ab injusto Aggressore. In quo ea fundetur? Et si qua detur exceptio? Explicantur nonnulla objecta. Quid hac in re sit consilii, quid præcepti? Alia resolvuntur objecta, & casus peculiare. Quid pro servanda Pudicitia? Ad mutilationem arcendam idem licet. Pro bonis Fortunæ defendendis, quid sit definiendum? Quid rursus pro defendenda boni nominis Fama, & honore? Jura necessitatis explicantur in concursu diversarum legum. An idem agere liceat pro aliorum defensione, quod pro suimetipsum? De Duellis agitur. Ubi quænam ea dici proprie debent? non esse licita J. N. neque ullis unquam ex circumstantiis licita Duella effici.

DISSERTATIO X.

Officia erga alios absoluta.

In quonam fundentur hominis erga alios officia? Potissimum absoluta. Quænam sint hæc Officia absoluta? An sint exhibenda inimico privato? An etiam hosti publico? Quomodo Officia hæc sunt servanda? Et quibus in rebus? De reparatione Juris alieni læsi. Ubi de mendacio. Quid pro reparatione injuriæ Personalis? De obligatione defenden-

di

di vitam Proximi; & de obligatione Divitis erga Pauperem in extrema necessitate.

DISSERTATIO XI.

Officia erga alios hypothetica.

Quid sint Officia hypothetica hominis erga alios? An ad Jus Gentium sint revocanda; & quotuplex sit Jus Gentium? De dominio originario, & primâ rerum divisione. Hertii sententia, & Lockii. De Dominio derivativo: & primo ex Facto hominum. Secundo loco ex Lege. Ubi de Prescriptione. De mari libero, & de mari clauso. De transitu innoxio per alienas Terras.

DISSERTATIO XII.

Officia hominis in Societate.

Status hominis in Societate simplici, & composita. De Statu conjugali, & familiæ: Ubi plura deducuntur ex J. N. illicita. De matrimonii insolubilitate ex J. N. ubi Protestantium errores. De Impedimentis ex J. N. ut validum sit matrimonium. De effectibus matrimonii in Viro, & Uxore. De Patria Potestate in Liberos. Ubi de Liberos institutione, ac de diverso Liberos statu: eorumque erga Parentes officiis. De Famulorum conditione, eorumque Officiis. De societate composita. Ubi de Origine, & Fine Civitatum. Expenduntur, & confutantur Genevensis Russi errores.

DISSERTATIO XIII.

Jura Suprema Potestatis.

Necessitas Supremæ Potestatis. Quid ea sit, & quotuplex? Quænam emolumenta, & quæ detrimenta sint in unaquaque? Quomodo fuerit constituta Suprema Potestas? Expenduntur sententiæ Puffendorffii, & aliorum. Fusè examinatur opinio, & systema Russi. Quò se extendat Suprema Potestas? Ubi de Principis Supremi aequè, ac Patris partibus. Dissertitur latè de pœna mortis. Ubi expenditur, quidquid in contrarium profertur in libro de Delictis, &

Pœ-

Pœnis . Et auctoritate Viri clarissimi impugnatur . De Potestate Principis Supremi in res sacras contra Protestantes . De Principis Supremi dominio in bona Subditorum . Ubi de commercio , & usu cudenda pecuniæ . De Jure belli in Principe Supremo . Ubi de Bello causâ Religionis : & de justis belli effectibus . De Jure Fœderum , ac Pacis , quod Principi supremo competit .

DISSERTATIO XIV.

Jus Gentium .

Distinctio Juris Gentium . Negatur duplex Jus Gentium , & unicum asseritur ab aliquibus , & quænam eorum rationes ? Satisfit illorum rationibus , & asseritur Jus Gentium liberum , præter illud necessarium . A posteriori probatur hoc Jus Gentium liberum , & voluntarium . Et discrimen exponitur inter hoc Jus Gentium , & Jus Naturæ . Iterum respondetur negantium objectionibus . Regulæ tandem exponuntur in concursu , & collisione Officiorum .

DISSERTATIO XV.

Jus Civile .

Quid Jus Civile commune habeat cum Jure naturali ? Juris Civilis divisio in Personas , Res , Actiones . De Personis , ubi de Servis . De Patria Potestate . De Nuptiis . De Tutoribus . De rerum Dominio . De Testamentis . De Obligationibus ex contractu , vel quasi contractu . De Obligationibus ex delicto , vel quasi delicto . De Actionibus . De Exceptionibus , & Judicis officio .

I M P R I M A T U R .

Si videbitur Reverendissimo Patri Sacri Palatii Apost. Magistro.

*Franciscus Ant. Marcucci ab Immac. Conc. Episc. Montis
Alti Vicegerens .*



I M P R I M A T U R .

Fr. Thomas Pius Schiara Ord. Prædicatorum Sac. Pal. Apo-
stolici Magister .




Fides sanè cum Natura non pugnat , sed consentit :
nec dissident humana , & divina Ratio , sed cohærent . U-
traque vera est , nec verum vero adversatur : utraque a
Deo est , nec Deus sibi contrarius est . Pervertunt itaque
homines fundamenta Naturæ ; cum illam a Fide sejungunt .
Quia Fide dirigenda Naturæ ratio est , & quidem sic , ut
hæc duo verba inter se , non res discrepare videantur .

Melchior Canus de Locis l. 12. c. 4.

LECTORI.

PAUCIS te volo, Lector humanissime, antequam operis hujusce mei partem alteram *De Officiis* nempe perlegendam aggrediaris. Illud animo reputes, oportet, Officiorum Juris Naturæ, ac Gentium plurimam, ac propè dixerim, infinitam esse segetem: quam si pertractare voluisssem ex integro, quot mihi opus esset tomis, haud scio; cum noverim, Grotii ingens de Jure belli, & pacis opus, Coccejanis maximè auctum commentariis, Puffendorffii de J. N. & G. satis ampla volumina, additis etiam Masco-vii, Hertii, Barbeyracii, aliorumque adnotationibus, & innumera Christiani Wolfii theoremata, propositiones, corollaria rei totius argumentum minimè exhaustisse; quin & complura J. N. & G. Officia, eaque etiam præcipua omis-sisse. At mihi illud fuerat sub initio propositum, ne plu-rium voluminum mole Lectoris mei diligentia opprimere-tur. Verùm parte ex alia firmiter hærebat animo, ut quilibet operis hujusce præsidio plenam aliquo modo Juris Naturæ, & Gentium doctrinam, non in Principiis mo-do, sed & in Officiis, absque Protestantium venenatis li-bris assequi posset. Quare, ut rem totam conficerem in se-cunda hac operis parte, sic mihi statuendum proposui; ut videlicet nullum ex præcipuis J. N. & G. Officiis caput in-tactum præterirem: non omnia verò pari verborum digni-tate, ac sententiarum copiâ persequerer. Nonnullæ idcir-co Dissertationes, quarum tractatio apud heterodoxos Scri-ptores vel exigua, vel jejuna admodum sit (maximi li-cèt momenti); vel detrimentum aliquod Catholicæ afferat veritati; fusiùs, & copiosius excurrere videntur: Nonnul-læ contrà minore cum apparatu procedunt, utpote quæ sen-

tentias obvias, ac vulgares, & in quibuslibet five Mora-
lium, five Juris peritorum libris facili negotio observan-
das complectuntur. Hæc a me non sine maturo consilio
perpenſa, & studiosè hoc in opere expleta, æqui bonique
conſulas, rogo: utque tandem, quæ potiffimæ ſunt Scri-
ptoris, Lectorisque partes, Deo Optimo Maximo omnia
cedant, collatis ſtudiis exoptemus.



D E J U R I S

NATURÆ, AC GENTIUM OFFICIIS
DISSERTATIO PRÆLIMINARIS.

*Quid nomine Officii intelligatur?
Quot genera sint Officiorum?*



Actenus de *Principiis Juris Naturæ, & Gentium* actum a nobis est, quæ Sanè veluti fundamenti loco sunt iis omnibus, quorum tractatio agitur in præsentî. Profectò non magni esset nobis emolumenti ea nôsse, quæ ad legis naturalis sive essentiam, sive attri-

buta spectant, nisi unâ edoceremur, & quidem in particulari, quid nobis lege naturali optimè imbutis agendum esset; quod hoc in libro, Deo dante, exhibebimus; atque ita seminum in præcedenti jactorum fructus colligetur. Scio equidem, posse de se quemlibet ex iis principiis ritè intellectis, & maturè perpensis actus suos omnes ad legis normam dirigere (in id enim, quantum in nobis situm fuit, adlaboravimus): verùm non eâ pollent omnes mentis solertiâ, ut, quæ in generalibus continentur propositionibus, dignoscere valeant, ac veluti enucleare: neque

A tur.

rursus, quæ Juris sunt naturalis, in aperto sunt omnia (in aliquibus siquidem doctorum etiam mens cæcutisse visa est): ac tandem illud mihi est operæ pretium, ut qui recta sapiunt, magis magisque confirmentur, perversè verò sentientes quocunque modo excutiantur, & ab errore avocentur: hisce de causis peculiarem de Juris Naturæ, ac Gentium Officiis placuit tractatum exponere.

In hoc pariter tomo placuit ad legis naturalis officia adnectere nonnulla ex Juris civilis legibus deprompta. Cl. V. Leibnitzii videlicet monitioni obsecundans, ubi (1) hæc habet: *Plurimum referret parallela addi juris civilis, inter homines recepti, præsertim romani, ipsiusque etiam juris sacri: ita usus juris naturæ apud Theologos, & Juris consultos prior futurus esset, quod nunc magis sermonibus celebratur, quam negotiis adhibetur.* Equidem novi, Cl. V. Joannem M. Lampredi plurimum in hanc spartam adornandam incubuisse: quare, ne actum agam, ex uno *Institutionum Juris civilis* libro, quæ ad rem faciunt, legum exempla depromere volui. Placuit tamen, re melius considerata, in particularem dissertationem ultimo loco positam, rem hanc pertractandam differre.

I. *Officiorum* nomine id omne intelligi potest, quod *ad legis normam faciendum, aut omittendum est.* *Juris naturæ officium* proinde illud est, quod *jure naturæ nobis vel præcipitur, vel prohibetur.* Porro in hac acceptione tum Græci, tum Latini, Veteres pariter, ac Recentiores scriptores *officii* vocabulum usurpârunt. Tullio enim teste novimus, a Stoicis τὸ κατὰ φύσιν appellari *officium*, quasi dicerent, *id quod nobis convenit, quod consentaneum est nobis:* unde illud τὰ κατὰ φύσιν ἀποτελεῖν apud Xenocratem, quod est, *officio perfungi.* Tullius verò maluit appellare *officium*, quod *ratione actum sit, id officium appellamus* (2).

Qua-

(1) In ep. Censoria lib. de Officio hom. & civ. puffendorffiani.

(2) Lib. 3. de Fin.

Quare optimè ab aliquibus *officium* explicatur tali pacto: id, quod quisque efficere debet, observatâ locorum, temporum, & personarum ratione: congruus nempe actus uniuscujusque Personæ: id rursus, in quod quisque debet incumbere, ut convenientem loco, tempori, & personæ reddat effectum. Unde in Familia benè instituta, aut in benè administrata Republica dici solet, *omnes esse in officio*; idest agere, quæ oportet: & siqui sint, qui malè agunt, de iis dicitur: *officium suum deserere, discedere ab officio, deesse officio suo*.

Officium verò in sensu strictiore, & ad rem nostram magis accommodato est: *actio hominis ex præscripto legis directa ad finem*. Non enim propriè dici debet *officium* actio quævis, utcunque hominum societati proficua, nisi ad eum finem ab homine dirigatur. In juris autem naturalis officiis suis etiam designari finis debet. Quemadmodum autem in libro *de Principiis* statuimus, omnia, quæ Juris naturalis sunt præcepta ad Felicitatem hominis naturalem, tanquam ad Finem diriguntur; haud aliter de Juris ipsius naturalis officiis est ratiocinandum, ad eum videlicet finem, nempe ad *Felicitatem* esse actionem quamlibet dirigendam: atque hic dici potest officiorum hujusmodi finis, in univèrsum spectatus. Profectò Seneca ex albo *beneficiorum* illud exponit, quod eo animo præstitum sit, eoque fine, ut quæstus inde retraheretur. *Qui beneficium, ut reciperet, dedit, non dedit* (1). Contrà verò inter beneficia adnumerat actionem, quæ optimum ad finem directa tamen primo obtutu non sine injuria perpetrari posse videretur Servorum duorum facinus commemorat, quod non incongruè hic referam. *Claudius quadrigarius in duodevicesimo annalium tradidit, cum obsideretur Adrumetum, & jam ad summam desperationem ventum esset, duos Servos ad hostes transfugisse, & operæ pretium fecisse. Deinde, Urbe captâ,*

A 2

passim

(1) De Benef. l. 4. c. 14.

passiva discurrente Victore; illos per nota itinera ad domum, in qua servierant, præcucurrisse, & Dominam suam ante se egisse: & quærentibus, quænam esset, Dominam & quidem crudelissimam ad supplicium ab ipsis duci, professos esse. Eductam deinde extra muros summâ carâ celasse, donec ostilis ira consideret. Deinde, ut satiatus miles ad romanos mores citâ rediit: illos quoque ad suos rediisse, & Dominam sibi ipsos dedisse. Manumisit utrumque e vestigio illa: nec indignata est, ab his se vitam accepisse, in quos vitæ, necisque potestatem habuisset. Potuit sibi hoc vel magis gratulari. Aliter enim servata munus notæ, & vulgaris clementiæ habuisset: sic servata, nobilis fabula, & exemplum duarum Urbium fuit: In tanta confusione captæ Civitatis, cum sibi quisque consuleret, omnes ab illa præter transfugas fugerunt. At hi, ut ostenderent, quo animo facta esset prior illa transitio, a victoribus ad Captivam transfugerunt, personam parricidarum ferentes. Quod in illo beneficio maximum fuit, tanti judicaverunt, ne Domina occideretur, videri Dominam occidisse. Non est, mihi crede, non est, dico, servilis animi, egregium factum famâ sceleris emisisse (1).

II. Explicatâ jam propriâ officiorum Juris Naturæ essentiâ, ad ea investiganda procedamus oportet objecta, quæ respicere debent hominum pro statu naturali, & juxta naturalem legem operantium actus. Jamverò, ut alibi innuimus, homo rationis usu pollens ubi parumper ad statum suum mentem, animumque convertit, dignoscit confestim, tria esse posse in tota rerum universitate objecta, in quæ actus suos aptè, convenienter, & necessariò dirigat, ut naturæ suæ rationalis conformiter vivat, utque felicitatis a se quæsitæ metam attingat. Primo loco esse Deum: tum seipsum: Postremo alios, quos Proximos sibi dicere consuevit. Quare optima constituitur officiorum distributio, quæ

nem.

(1) Lib. 3. de Benef. c. 22.

nempe *Deum*, quæ *seipsum*, quæque *alios* respiciunt; quam sanè propositam à Tullio habemus (1) ubi de hac naturali morum Philosophia sic loquitur: *Hæc nos primùm ad illorum (Deorum) cultum, deinde ad Jus hominum, quod fitum est in Generis humani societate, tum ad modestiam, magnitudinemque animi erudit.*

Quæ quidem ab homine ethnico prolata, ac juxta naturæ legis vim pronunciata dumtaxat, Christianum hominem de Jure naturæ scribeutem, Puffendorfium dico, *inexcusabilem* reddunt, dum, in constituendo fundamentali principio Legis naturalis, neque Dei, neque sui ipsius (quemadmodum oporteret) primariò, & per se mentionem fecerit. De eo, ejusque Philosophia exclamare licebit cum Leibnitzio (2): *Adeone degenerabit apud Christianos Philosophia, quam Ethnici tam sanctam, & generosam habuere?* Fuit certè ab aliis sui temporis Scriptoribus id vitii Puffendorfio exprobratum, quod ipse memorat, (3) conaturque inibi accusatoribus suis satisfacere. Malè autem, meo judicio. Summa enim suæ defensionis in eo versatur, adnotante Mascovio (4) quòd *sibi præcipuè constitutum sit, ut officia hominum mutua, sive erga alios explicet.* Quasi verò homini scribenti de *Lege naturali in genere*, (ut ibidem profitetur): non alia sibi sumat præcipuè explicanda officia, nisi quæ ad alios spectent: cum potiùs Deo, ac sibi potiores legis naturalis officiorum partes dare debuisset, posteriores verò aliis.

Ineptissima deinde est excusatio, quam Mascovius ipse insectatur, videlicet: *Officia erga Deum ex sua ipsius sententia partem theologiæ naturalis esse, cui in doctrina Juris naturæ non alia contemplatione locus est, quàm quæ Numinis*

(1) Tuscul. quæst. l. 1. c. 26.

(2) Epist. Genf. ad mol.

(3) In specim. controv. c. 5. §. 25. & inspicie leg. Controv. c. 1. §. 14.

(4) Lib. 2. c. 3. Puffend. de J. N. & G. §. 15.

nis cultus firmissimum societatis civilis vinculum est. Officia hominis erga seipsum partim e Religione, partim e studio societatis manant ita, ut, si homo non penderet a Deo, & extra societatem aliorum viveret, nulli obligationi erga seipsum adstrictum esse, intelligi posset. Mira sanè, & nova sunt hæc Puffendorffii sensa, sed enormia itidem, & falsa complura. Etsi de officiis erga Deum agat peculiaris quædam facultas, quæ exinde nomen *Theologiæ* obtinet, quid impedit, quominus in Juris naturalis generatim inspecti officiis explicandis ratio etiam habeatur de Officiis erga Deum, Juris ipsius, ne dicam hominis, auctorem, atque Iustitorem? Quot in toto Puffendorffiano Juris naturæ, & Gentium opere traduntur, quæ aliarum facultatum tractationi ab auctoribus designantur? Plura ad *Ethicæ*, plura etiam ad *Oeconomicæ*, plura tandem ad *Politicæ* pertinentia Puffendorffius complectitur, ut videre cuilibet licet: Sunt autem & dictæ disciplinæ seorsim, si placuerit, tradendæ: Puffendorffio tamen nil vetuit, quin suo Juris naturalis libro ea adscriperet. *Unius Dei* tantummodo Officia minime inferenda Juri naturali putavit, & ut ita dicam, religioni sibi vertit!

Deinde quàm præposterè in se excusando ratiocinatur, dum subdit: *Numinis cultam eò in doctrina Juris naturæ contemplandum, quò firmissimum societatis vinculum est.* Equidem ex opposito argumentum sumerem, & quidem rationabilius: ex eo humanæ firmissimum est societatis vinculum, quòd numinis societati humanæ præpositi existentia sit, eique sint officia convenientia ab hominibus præstanda: quorum illud: *societati favendum: nil contra societatem molendum.* Profectò officia erga Deum, independentè omnino a qualibet societate, homini esse necessaria, putandum est.

Pari ratione infirmitatem puffendorffianæ ratiocinationis in ea, quæ *suis ipsius officia* respicit, parte quisque de-

pre-

prehendet. Siquidem *e Religione* vult Puffendorfius *promanare officia hominis erga seipsum*: ex illa videlicet Religione, cujus tractationem omittit in Jure naturali in genere describendo: ex illa rursus, quæ non alium ob finem est consideranda, nisi quatenus civili inserviat societati. Unum ergo exhibet revera fontem, quamvis binos indicet, eruendi officia hominis erga seipsum, nempe *Studium Societatis*. Qui ergo extra societatem vivat, proindeque societati studere minimè queat, nullum erga se officium dignoscere potest? Si Adam sine socio vixisset diutius, prout aliquo vixit temporis spatio, officia erga seipsum ignorâisset? Erunt ergo officia omnia erga seipsum connexa, ac dependentia ab officiis erga societatem? Quis hoc det Puffendorffio? Equidem puto neminem. Sed nec Puffendorffium ipsum operantem Puffendorffio scribenti id daturum, puto. At Puffendorffium sic errantem relinquamus, cum alibi (1) nonnulla de officiis *ad Deum*, atque *ad seipsum* spectantibus tradiderit.

Jure igitur optimo hominem ita constitutum voluimus, ut *primas* perfectæ suæ rationis cognitiones *Deo*, a quo vitam, rationem, ac cætera habet emolumenta, quibus fruitur, adscriberet. Secundas partes *sibimetipso* tribueret, composito nempe ex anima, & corpore, pluribus ornato facultatibus, atque innatum erga partes hasce suas amorem experiendi, ut felix modo aliquo esse posset. Tercias tandem officiorum partes deberet *aliis*, quos sibi similes in hisce Terris animadvertit. Erga istos sentit intra se propensionem quamdam conjungendi se illis, & societatem constituendi mutuatorum officiorum, unde commune quoddam inter illos bonum exurgat. Quare scribebat Tullius (2): *quoniam (ut præclare scriptum est a Platone) non nobis solum nati sumus, ortusque nostri partem Patria vindicat, partem ami-*

(1) De Off. hom. & Civ. l. 1. c. 3, §. 13.

(2) Lib. 1. de Off. c. 7.

amici : atque , (ut placet stoicis) quæ in terris gignuntur , ad usum hominum omnia creari , homines autem hominum causâ esse generatos , ut ipsi inter se aliis alii prodesse possent . Paucissimis omnia officia verbis conclusit Leibnitzius , ubi ait : *Non nobis tantùm nati sumus , sed partem nostri sibi alii vindicant , Deus totum (1) .*

Officia autem hæc considerari possunt respectu hominis vel in statu *primitivo* , & *originario* , vel in statu *accessorio* , & *adventitio* . Profectò *officium hominis erga Deum* in statu primitivo , & originario est , *Actio ex debito conformanda legi naturæ : præcipienti cultum , seu religionem erga Deum , in quantum quidem naturalis ratio eam consequi potest .* Pro eo siquidem statu existit homo in absoluta dependentia a Deo , cui vitam , & bona cætera refert accepta , & cujus Beneficiæ , & Potentiæ effecta contemplatur , & experitur cùm in aliis , tum in seipso . Et inde Deum tanquam supremum rerum omnium Dominum reverteretur , & peculiari ratione tanquam Creatorem suum , & Conservatorem , & de unoquoque nostrum benemeritum ; unde excitari sentiet in animo suo motus venerationis , honoris , timoris , atque amoris ; & maximam cum ipsius voluntate consensionem , omnemque ejus mandatis obedientiam devovebit : juxta illud , quod Seneca appellat *Vetus præceptum* nempe : *Deum sequere (2) .* Et alibi tanquam a natura inditum præceptum adnotat : *Placeat homini , quidquid Deo placuit (3) .*

Officia hominis *erga seipsum* pro statu primitivo dignoscuntur , expendendo intimam hominis constitutionem , finem , & intentionem Creatoris in homine efformando , eoque dotando tot animi facultatibus , & corporis sensibus . Ex harum rerum contemplatione patebit , ad facultaturn

(1) Leibn. in epist. cent. ad mol.

(2) De Vit. beata c. 15.

(3) Ep. 74.

tatum suarum veram perfectionem, corporisque conservationem pro naturali felicitate consequenda, dirigi debere hominis erga seipsum officia. Hujusmodi erga se amor legitimus, atque ordinatus est veluti basis, ac fundamentum omnium officiorum in homine adversum se. Dixi *legitimum*, atque *ordinatum*, ita nimirum ut Legislatoris voluntati non adverferet, atque adeo, quæ a Deo mala sibi obveniunt, demisso animo excipiat. *In omnibus, quæ adversa videntur, & dura, sic formatus sum: Non pareo Deo, sed assentior; ex animo illum, non quia necesse est, sequor.* Hæc Seneca, (1) christianæ virtutis in statu naturali optimum exemplum. Definiri idcirco potest officium hominis erga seipsum: *Actio hominis ex debito conformanda legi naturæ præcipienti ordinatam amorem sui.*

Officia hominis erga Societatem pro eodem statu primitivo erui possunt eadem ratione, ac illa hominis erga seipsum. Profectò unusquisque a primo ortu suo complures alios sui similes circa se conspicit; idque non casu factum, sed ex Dei conditoris voluntate, cum potuisset homines solitarios creare. Inde sanè mens detegitur Creatoris de mutua socialitate. Accedit, quòd hominis ipsius facultates, propensiones naturales, infirmitates, indigentia hoc ipsum maximoperè confirment. *Quo alio tutè sumus*, ait Seneca (2), *quàm quòd mutuis juvamus officiis? hoc uno instructior vita, contraque incursiones subitas munitior est beneficiorum commercio. Fac nos singulos: quid sumus? præda animalium, & victima, ac vilissimus, & facillimus sanguis. Quoniam cæteris animalibus in tutelam sui satis virium est. Quæcumque vaga nascuntur, & actura vitam segregem, armata sunt: hominem imbecillitas cingit: non unguium vis, non dentium, terribilem cæteris fecit: nudum, & infirmam societas munit. Duas res dedit, quæ il-*

Tom. II.

B

lum

(1) Ep. 96.

(2) Lib. 4. de benef. c. 18.

lum obnoxium cæteris validissimum facerent, rationem, & societatem. Itaque qui par esse nulli posset, si diduceretur, rerum potitur. Societas illi dominium omnium animalium dedit; societas terris genitum in alienæ naturæ transmisit imperium; & dominari etiã in mari iussit. Hæc morborum impetus arcuit, senectuti adminicula prospexit, solatia contra dolores dedit; hæc fortes nos facit, quod licet contra fortunam advocare. Hanc tolle: & unitatem generis humani, qua vita suslinetur, scindes. Inde mutuus erga alios amor, a quo, si rectus sit, & benè ordinatus officia adversus alios promanant.

Dixi pariformiter amorem erga alios *rectum*, & benè *ordinatum*: loco suo ostendam particulariter, quonam pacto ex tradita honestæ actionis norma rectus, & benè ordinatus amor procedat. Senecæ hic quoque præcepta nonnihil adjuvant (1). Quærit: *quomodo hominibus sit utendum? quid agimus? (ait) quæ dæmus præcepta? ut parcatur sanguini humano? Quantulum est, ei non nocere, cui debeas prodesse? Magna scilicet laus est, si homo mansuetus homini est. Præcipientur, ut naufrago manum porrigat, erranti viam monstrat, cum esuriente panem suum dividat? Quando omnia, quæ præstanda sunt, ac vitanda dicam, cum possim breviter hanc formulam humani officii tradere? Omne hoc quod vides, quo divina, atque humana conclusa sunt, unum est: membra sumus corporis magni. Natura nos cognatos edidit, cum ex iisdem, & in eadem gigneret. Hæc nobis amorem indidit mutuum, & sociabiles fecit: illa æquum, iustumque composuit: ex illius constitutione miserius est nocere, quàm lædi, & illius imperio paratæ sunt ad juvandum manus. Iste versus & in pectore, & in ore sit: Homo sum, humani nihil a me alienum puto. Habemus in commune, quod nati sumus. Societas nostra lapidum fornicationi simillima est: quæ casura nisi invicem ob-*
sta-

(1) Epist. 95.

starent, hoc ipso suslinetur. Tullius pariter (1) aiebat: *In hoc naturam debemus ducem sequi, & communes utilitates in medium asferre, mutatione officiorum, dando, accipiendo: tum artibus, tum operâ, tum facultatibus devincire hominum inter homines societatem.*

Quare definiri potest officium hominis absolutum erga alios: *Actio, vel omisso actionis, quam homo ab homine exigere potest secundum obligationem naturæ omnibus communem, nullo supposito jure, per factum acquisito, sed cuiusvis connaturali.*

Atquæ hæc quidem officia hominem pro statu *absoluto primitivo*, & *in sui origine* spectant. Sunt & alia, quæ pertinent ad hominem pro statu *accessorio, adventitio, hypothetico*, in quo nempe vel ex facto proprio, vel alieno constitutum se sentiat. Pro hujusmodi statuum varietate, varia sunt hominis quæ erga seipsum, quæ erga alios peculiaris officia, de quibus loco suo. Profectò homo ex prima sui constitutione liber est, unâ tantum naturali lege obstrictus: æqualitate gaudens cum cæteris, & naturaliter nemini præter Deum subjectus. At verò in præsentis rerum statu pluribus est obnoxius legibus civilibus, & municipalibus, quibus sua ipsius libertas veluti limitibus concluditur: Rursus sibimetipsi vincula porrigit consequenter ad actus suos aliquos vel ex contractu, vel ex delicto. Potestati etiam humanæ subditus obedire, ejusque verbo morem gerere, conspicitur. Hæc autem omnia, atque alia complura non ex primæva hominis origine, sed ex hypothese naturali juri consentanea ortum ducunt. Quæ sanè erunt in sequentibus libri hujus dissertationibus explicanda. Poterit igitur officium hominis hypotheticum sic definiri: *Actio, vel omisso actionis, quam homo ab homine potest exigere secundum aliquem statum adventitium, præsupposito nempe aliquo jure per factum acquisito.*

(1) De off. l. 1. c. 7.

Sunt, qui inter officia hominum inter se distinguunt *perfecta* ab *imperfectis*, quæ sanè dignoscere maximi interest. Officium *perfectum* est: *Actio*, vel *omissio actionis*, ad quam homo plene, rigorosè & veluti necessariò adstringitur; cui si deest, *Injustus* dicitur. Sic est, ut *neminem lædat*: ut cuique, quod suum est, tribuat. Officium verò *imperfectum* est: *Actio*, vel *omissio actionis*, ad quam homo non jure naturali, rigorosè tali, sed per modum equitatis naturalis obstringitur: unde si negligat, dici potest *Iniquus*. Sic est: *Viatori digito viam indicare*: *sitienti aquam ex sua profluente permittere*; *deliberanti consilium dare*, & similia.

Perfectò officia hæc tum *perfecta*, tum *imperfecta* si sunt *absoluta*, ad *Jus naturale* revocantur communiter: Officia verò *hypothetica* nonnulla ad *Jus ipsum naturale*, nonnulla etiam ad *Jus Gentium* reducuntur. Sic *adificatio*, *mutatio*, *Legatorum missio*, & *admissio*, *libera commercia*, *Jura belli*, *Fæderapacis*, atque alia, quæ, ut videbimus, ad *Jus Gentium* spectant, quamvis Puffendorfius, & plures alii contra Grotium, *Juris esse naturalis* autement.

HOMINUM OFFICIA

ERGA DEUM THEORETICA

DISSERTATIO I.

*Dei existentia contra Atheos . Dei Unitas contra Polytheos .
Deus Incorporeus contra Materialistas . Dei
Creatoris dominium in res omnes .*

UT a Deo O M. , cui omnia sunt referenda , exordiamur : duplicem veluti officiorum classem complectitur cultus , qui ex Jure naturæ Deo debetur . In altera sunt officia *theoretica* , in altera sunt officia *practica* : utraque autem sunt , quæ naturalem Religionem constituunt . Sanè Epietetus (1) sic scribit : *Religionis erga Deum immortalem præcipuum illud esse scito : rectas de eo habere opiniones , & parendum ei esse ultro* . Quod quidem effatum apud nationes cultas communissimè receptum est . Grotius (2) officia *theoretica* appellat , *notiones contemplativas* ; officia *practica* , *notiones activas* . Nos hic explicanda sumimus primi generis officia , in sequenti dissertatione de officiis practicis sermonem habebimus .

I. Primum , ac præcipuum officiorum omnium erga Deum illud est ex jure naturæ , credere nempe , *Deum existere , necessariò , & a se* . Optimè ait Seneca (3) : *Primus est Deorum cultus , Deos credere : deinde reddere illis majestatem suam , reddere bonitatem , sine qua nulla majestas est* . Adeo obstringimur ex lege naturali ad hoc officium , ut qui *Dei existentiam necessariam , & a se* negant , eo ipso negent , se ab eo causam existendi habere ; adeoque ejus imperio

(1) In Enchir. c. 38.

(2) De J. B. & P. l. 1. c. 20. §. 45.

(3) Ep. 95.

perio, & dominio se eximant, eoque jus Dei violent, & maximam illi injuriam irrogent. Exinde concipi licet, quale, quantumve scelus sit *Atheismus*, utpote quo Jus Deo quæsitum ab ejus Creatura aufertur. Neque miror, Athenienses horrore perculsos de Protagora acriter pronunciâsse teste Tullio (1): *Cum in principio libri sic posuisset (Protagoras): De Diis neque ut sint, neque ut non sint, habeo dicere. Atheniensium jussu urbe, atque agro est exterminatus, librique ejus in concione combusti.* Ipse autem Tullius nefarium adeo reputabat *Atheismum*, ut, dato ipso, omnia pessum iri in hominum societate existimaret: *Si Deum e mundo sustuleris, fidem, & societatem de genere humano, & unâ excellentissimam virtutem Justitiam auferre, necesse est* (2). Plutarchus itidem (3) asseruit: *Facilius urbem condi sine solo posse, puto; quàm, opinione de Diis sublatâ, civitatem coire, aut constare.*

Quare benè quoad hanc partem Buddeus (4) statuit: *Esse atheismum ejusmodi crimen, quod simul omnem virtutem, & honestatem, omneque juris divini pariter, & humani vinculum tollat, res ipsa docet. Unde & sequitur, in Republica benè constituta atheismum minimè tolerandum esse, quippe quo fundamenta, quibus salus, & tranquillitas Reipublicæ innititur, labefcuntur, atque evertuntur penitus.* In eadem est sententia Puffendorfius (5), quamvis Mascovius ibidem adnotat: *hîc durius plerisque philosophari videtur (Puffendorfius), ubi Atheos etiam propter solum errorem puniendos esse, ait. Non negat tamen idem Mascovius: Si hîc error cum procacia eum propagandi conjunctus sit, seditionis reus videri possit Atheus, utpote qui, dum religio-*

(1) Lib. 1. de nat. Deor.

(2) Lib. 2. de nat. Deor.

(3) De Plac. Phil.

(4) P. 2. Instit. Theol. mor. c. 3. sect. 1. §. 18.

(5) De J. N. & G. l. 3. c. 4. §. 4.

ligionem spernere docet, sanctissimum societatis humanae vinculum rumpit, unde non minus puniri potest, quam qui doceat, licita esse furta, aut adulteria, aut a fide data recedi posse: etsi deinde sceleri errorem obtendat. Henricus Coccejus (1) sentit cum Grotio, posse summam potestatem non solum vindicare, sed etiam persequi bello alienos populos, si negant dari Deum, vel eum non curare res humanas, quod pertinent Dei abnegatio, seu atheismus &c. Ratio est, quia: cum causam humani generis tueri possimus, multo magis causam Dei.

Verum Samuel Coccejus inibi addit ex sua regula certa naturæ: *Non licere cuique, Atheos, aut alia crimina in Deum committentes punire: quia jus alterius non læditur, sed solius Dei, qui ipse suæ injuriæ vindex est.* Ex quo patet, ipsi Religionem unicè colendam eatenus esse, quatenus ad commune bonum hominum conferat. Est autem error hic in 1. tomo diff. 5. a nobis reprobatus. Patet hoc ex iis, quæ idem Samuel Cocceii habet (2) ubi quærens: *An Magistratus crimina in Deum commissa punire possit? Equidem, ait, constitutis civitatibus, nulla ratio dubitandi superest, Magistratum non tantum in violatores cultus naturalis, sed & in eos, qui modum colendi publicæ auctoritate præscriptum violant, animadvertere posse.* In fine tamen capituli negat contra Grotium; *bella in gentes propter atheismum, idololatriam, aut aliam impietatem licita esse.* Grotio tamen assentitur Henricus, ut vidimus; & longè meliùs. Quæ enim tradit Samuel Coccejus, illorum favent impietati, qui Dei existentiam propter bonum rei publicæ propositam fuisse dixerunt: de quibus Cicero (3): *Etiam esse ab hominibus sapientibus Reipublicæ causâ, ut, quos*

(1) In Comm. ad l. 2. c. 20. §. 40.

(2) In dissert. xii. l. 2. c. 1.

(3) Lib. 1. de Nat. Deor.

quos Ratio non posset, eos ad officium Religio duceret: nonne omnem Religionem funditus sustulerunt?

Quam malè etiam ratiocinatur Hobbes (1) asserens, Atheos non esse Dei subditos, quia Deum esse, non credunt. Et alibi idem repetit (2). Argumentum ejus est, quod: *Atheus nunquam voluntatem suam Dei voluntati subjecit, ut quem ne esse quidem opinatus fuerit. Summum autem imperium neminem in nos habere, quod non sit ei nostro consensu delatum. Adeoque cum Atheus nunquam sub regno Dei fuerit, legibus quoque ejus regni ipsum non obligari.* At verò, ut benè hìc observat Puffendorfius (3), falsissimum est, omne imperium constitui consensu eorum, quibus imperatur. Et quamvis de imperio humano velit quis ita opinari (de quo loco suo); quis unquam dixerit, Deo non esse jus imperandi suæ Creaturæ, nisi illa ultro in ipsius imperium contulerit? Idcirco contra Hobbesium rectè concludit Puffendorfius ib. *Unde & Athei haudquidquam, propriè loquendo, hostes Dei sunt: sed rebelles subditi, quique adeo crimine læsæ majestatis divinæ se obstrinxerunt.*

Duas proinde distinguamus, oportet, Atheorum classes: I. eorum est, qui a mentis stupiditate Deum non agnoscunt, quando videlicet vitiiis animus veluti obrutuerit, & rationis lumen extinctum propè sit. Atheismus hic rarus est, ajente Augustino (4): *Pauci inveniantur tantæ impietatis, ut impleatur in eis, quod scriptum est. Dixit Insipiens in corde suo, non est Deus.* II. classis est eorum, qui perversâ nimis voluntate, ut nempè liberius peccent, & quibusvis voluptatibus fruantur, seipsos excæcant, & voluntariè Judicem, Inspectorèmqve suarum actionum negant. Atque hoc in numero plures esse, experientia ipsa suadet:

& Ma-

(1) C. 15. §. 2. de Cive.

(2) Leviath. c. 31.

(3) De J. N. & G. l. 3. c. 4. §. 4.

(4) I. Pf. 13.

& Mascovius l. c. optimè subdit: *Cùmque hac hominum (libenter, & cum voluptate in Atheismo errantium) multitudine sæculum nostrum abundet, Reipublicæ interest, hinc quoque interdum aliquid exemplo dari; scilicet in illos animadvertere.*

Cæterùm dari Atheos ex mera, simplicique ignorantia, si usu rationis perfectò polleant, negant plerique. Profecò Tullius (1) ajebat: *Qui dubitet (Deum existere), haud sanè intelligo, cur non idem, sol sit, an nullus sit, dubitare possit. Quid enim est hoc illo evidentius? Et ibi. Esse igitur Deos, ita perspicuum est, ut, id qui neget, vix eum sanæ mentis existimem.* Patet rursus ex eo, quòd ferè penes omnes Gentes firma, sanctaque fuerit de Dei existentia opinio. Aristoteles (2) ait: *Omnes homines notionem Deorum habent, omnesque summum locum divino cuidam numini assignant tum græci, tum barbari.* Et Tullius (3) ait: *quæ est enim gens, aut quod genus hominum, quod non habeat sine doctrina anticipationem quamdam Deorum?* Et paulò post: *Cùm enim non instituto aliquo, aut more, aut lege sit opinio constituta, moneatur ad unum omnium firma consensus: intelligi necesse est, esse Deos; quoniam infitas eorum, vel potiùs innatas cognitiones habemus. De quo autem omnium natura consentit, id verum esse necesse est. Esse igitur Deos, confitendum est. Quod quoniam ferè constat inter omnes non philosophos solùm, sed etiam indoctos: fateamur constare illud etiam, hanc nos habere sive anticipationem, ut ante dixi, sive prænotionem Deorum.* Quam sanè communem consensionem non infirmant ea, quæ ab aliquibus temerè traduntur, de nonnullis gentibus sic immanitate efferatis, ut apud eas nulla sit Dei sententia. Siquidem vel de hisce narrationibus non satis constet, vel

Tom. II.

C

pro-

(1) Lib. 2. de nat. deor.

(2) Lib. 1. de Cælo c. 3.

(3) Lib. 1. de nat. Deor.

propter mentis hebetudinem in aliquibus, sive stupiditatem non possit argumentum duci ad omnes ejusdem regionis incolas; vel ex vocis ipsius ignoratione malè inferatur, eos Deum non agnoscere: idcirco Atheismus integrarum nationum non subsistit; ut egregiè demonstrat Joannes Ludovicus Fabricius (1). Tullius (2) ait: *nulla est gens tam barbara, quæ non fateatur, esse aliquem Deum, adeo quidem, ut homines falsum Deum habere malint, quam nullum.*

Quare Deum existere est principium vel per se notum, vel facili negotio a rationabili mente dignoscendum. Profectò ex Tullii sententia primum illud est: habet enim expressè hoc pluribus in locis, ubi de natura Deorum. Clarissimè (3) *Itaque inter omnes omnium Gentium constat (omnibus enim innatum est, & in anima quasi insculptum) esse Deos.* Si igitur inter ideas innatas seu potius connaturales ista Dei accensetur, ut videlicet intellectis tantummodo, & benè explicatis notionibus, naturalis ratio de se ad illam affirmandam accedat: sequitur consequenter, Dei existentiam esse citra argumenta extrinseca per se notam. Et certè fieri non potest, ut animo concipiatur *Ens perfectissimum*, qualis est *Deus*: quin statim illud *existere* intelligatur: aliàs perfectissimum apprehenderetur, & non perfectissimum: perfectissimum ex hypothesi; reipsa non perfectissimum, quia careret existentia, quæ omnium perfectionum prima est, ac fundamentum aliarum, & illo perfectius aliquid cogitare posset. Optimum est argumentum hoc, & a Divo Anselmo mutuatum (4) ejusque verba referre juvat: *Ergo Domine, .. credimus, te esse aliquid, quo nihil majus cogitari possit. An ergo non est aliqua talis natura, quia dixit Insipiens in corde suo: non est Deus? Sed certè idem ipse Insipiens, cum audit hoc ipsum quod dico,*
ali-

- (1) In Apologetico pro genere humano contra calumniam Atheismi .
 (2) Lib. 1. tuscul. quæst. (3) Lib. 2.
 (4) In Prolog. idest alloquio c. 2.

aliquid, quo majus nihil cogitari potest, intelligit: quod audit, & quod intelligit, in intellectu ejus est, etiamsi non intelligat, illud esse.... Et certè, id quo majus cogitari nequit, non potest esse in intellectu solo. Si enim vel in solo intellectu est, potest cogitari esse & in re, quod majus est. Si ergo id, quo majus cogitari non potest, est in solo intellectu: id ipsum, quo majus cogitari non potest, est quo majus cogitari potest: sed certè hoc esse non potest. Existit ergo proculdubio aliquid, quo majus cogitari non valet & in intellectu, & in re.

Accedunt oracula Scripturarum. Sic (1) *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine*. Quod de cognitione Dei summi boni hominis intelligit Augustinus (2): *Hoc lumen est totum hominis, & verum bonum, quod non oculis, sed mente concipitur. Signatum autem dixit in nobis, tanquam denarius signatur Regis imagine. Homo enim factus est ad imaginem, & similitudinem Dei, quam peccando corrumpit*. Alibi (3): *Regnum Dei intra vos est*. Quem locum de innata hominis Dei notione intelligit S. Athanasius (4): *Quia intus in nobismetipsis fidem, regnumque Dei habemus, facile possumus universitatis Rectorem salutare, verbum intelligere, & contemplari*. Et S. Greg. Nyssenus (5) ait: *Opinio de numine divino naturaliter quidem insita est omnibus hominibus, sed ignorantia veri Dei peccatur circa id, quod colitur*.

Sed ad probandam Dei existentiam, (etsi nolimus asserere innatam in nobis hujus existentie ideam) plurima sunt argumenta, quorum aliqua ita naturali rationi sunt factis obvia, ut confundi rubore potuerit Hobbes, nisi ve-

C 2

recun-

- (1) Psal. 4. v. 7.
- (2) In hunc locum n. 8.
- (3) Lucæ 17. v. 21.
- (4) Orat. contra Gentes:
- (5) Orat. 5. quæ est de Beatitudinibus.

recundiam omnem exuisset, asserendo: ita *difficile esse naturali ratione Deum investigare, quemadmodum est invenire proportionem sphaerae ad cylindrum*. Profectò *natura rerum omnium: ordo: & proportio* quæ in Universo conspiciuntur, existentiam Dei facillè probant. Etenim ubi res *creatae* sunt, ibi earum causa esse debet; rursus *Ordo, & Proportio* earum ostendunt causam intelligentem, & sapientissimam. Quod utique argumentum exponit Tullius (1): *Quarum rerum adspectus ipse satis indicaret, non esse ea fortuita. Ut si quis in domum aliquam, aut in gymnasium, aut in forum venerit, cum videat omnium rerum rationem, modum, disciplinam, non possit ea sine causa fieri iudicare, sed esse aliquem intelligat, qui praesit, & cui pareatur: multo magis in tantis motionibus, tantisque vicissitudinibus, tam multarum rerum, atque tantarum ordinibus, in quibus nihil unquam immensa, & infinita vetustas mentita sit, statuatur, necesse est, ab aliqua mente tantos naturæ motus gubernari.*

Verùm aliud magis aridet argumentum, quod apud Tullium ibidem pronunciabat Chrysippus acerrimo vir ingenio, sed ita ut ab ipsa natura didicisse, non ut ipse reperisse videretur; (verbis utar Auctoris ipsius): *Si est aliquid in rerum natura, quod hominis mens, quod ratio, quod vis, quod potestas humana efficere non possit: est certè id, quod illud efficit, homine melius. Atqui res caelestes, omnesque ea, quarum est ordo sempiternus, ab homine confici non possunt. Est igitur id, quo illa conficiuntur, homine melius. Id autem quid potius dixeris, quàm Deum? Etenim si dii non sunt, quid esse potest in rerum natura homine melius? In eo enim solo ratio est, quæ nihil potest esse præstantius. Esse autem hominem, qui nihil in omni mundo melius esse quàm se putet, desipientis arrogantia est. Ergo est aliquid melius. Est igitur profectò Deus. Hac sanè, atque alia argumenta.*

(1) Lib. 2. de nat. Deor.

gumenta ex naturæ ipsius contemplatione humana ratio facili negotio concipit, eorumque vim animus non omnino corruptus intimè sentit, & nisi præposterum novitatis studium, aut pravum ingenium mentem abducat, extrinsecus prætereatur, oportet.

Sed & peculiarem de Dei existentia demonstrationem demus, ad Atheismi scilicet evidentem confutationem.

Vel Deus non est possibilis: vel si possibilis est Deus, dici debet necessariò existens. Atqui *Deum esse possibilem* est metaphysicè evidens, ita nempe, ut, eo intellecto, mens nequeat non assentiri. Etenim *Deus* nobis exhibetur sub idea Entis perfectissimi, habentis nempe omnem perfectionem sine ullo defectu, & quidem ex naturali ratione teste Sexto Empirico (†) *quod est perfectum, & optimum, & homine præstantius, atque omnibus absolutum virtutibus, nulliusque mali capax*. Sub hac autem idea apparet metaphysicè evidens Dei possibilitas: nullum enim Dei attributum, seu nulla perfectio est de se opposita alteri perfectioni; secus illa perfectio alteri opposita non esset in suo genere perfecta, vel illam destrueret; quod repugnat. Atque hoc satis est ad firmandam possibilitatem rei sub evidentia metaphysica. Positâ autem possibilitate Entis perfectissimi, nempe Dei; inferri debet *necessitas semper existendi*; quod patet sic: Ens perfectissimum, quod esset possibile, & *actu non existeret*: esset simul possibile, & simul impossibile. Siquidem esset possibile ex hypothesi: non esset possibile, quia, si non existeret, non esset, a quo posset existere. Non enim posset existere a se; ut patet: nam quod non est, non potest agere: neque ab alio; etenim fieri ab alio non est perfectio perfectissima. Et causa ipsius Entis, positi perfectissimi, esset ipsum Ens perfectissimum, adeoque Deus; nam contineret omnes omnino perfectiones. Ergo repugnat simul Ens perfectissimum non existens semper, a se, & necessariò:

hæ

(†) Lib. 8. contra Mathem.

hæ namque sunt perfectiones constituentes Ens perfectissimum, nempe *necessitas existendi, semper, & a se.*

Ut patet, hæc demonstratio de unius Dei natura procedere potest, & quidem lumen ipsum rationis non prætergreditur, etsi aliquanto sublimis sit, & non satis ad cuiusque captum accommodata.

Aliæ etiam sunt viæ ad hanc Dei existentiam demonstrandam, & quidem a posteriori, ut ajunt scholæ, seu ab effectibus. Constat hoc ex divinis Scripturis. Sic (1) habemus: *A magnitudine speciei, & Creaturæ cognoscibiliter poterit Creator horum videri.* (2) *Quod notum est Dei, manifestum est in illis (videlicet Ethnicis): Deus enim illis manifestavit. Invisibilia enim ipsius a Creatura mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur; sempiterna quoque ejus virtus, & divinitas: ita ut sint inexcusabiles.* Quæ sanè testimonia ostendunt, evidentem existentiam Dei notitiam haberi posse ex Creaturis; atque ita a SS. PP. intelliguntur. Augustinus (3) ait: *Potest (Deus) inveniri per Creaturas evidenter, dicente Apostolo: Invisibilia &c.* Hieronymus in dictum Apostoli locum ait: *Tam evidenter intellecta sunt, ut conspecta dicantur.* Quomodo autem a creaturarum rerum existentia poterit demonstratio de Dei existentia confici, ostendam illico.

Profectò Platonem constat, ex mundi conspectu, & rerum constanti vicissitudine, ac præsertim ex perpetuo cœlestium orbium motu, *Deum* agnovisse: ejusque existentiam ex dicto argumento probat in *x. de Legibus*, nec obscure in *Timæo* significat, atque alibi, ut observat Proclus in *Comment. in Tim.* Aristoteles pariter, alique ex rerum aspectabilium usu, ac præcipuè ex Cœlestium corporum motu ad unius moventis, & moderantis ista Dei notitiam

pro-

(1) Sap. 13.

(2) Ad Rom. 1.

(3) Tr. 2. in Evang. Jo.

profectus est ; ut ex 8. *Physic.* liquet . Pari ratiocinatione ad eandem Dei notitiam pervenere Epictetus , Sextus Empiricus , atque alii . Probari autem potest sic :

Pleræque res , quas videmus , nascuntur , intereunt , corrumpuntur . Ergo aut omnia nascuntur similiter , & pereunt : aut ad aliquid pervenitur , in quo sistit cogitatio nostra , quod neque natum sit , neque sit interiturum . Si prius illud verum putetur , semper erit aliquid , a quo alterum orietur : neque primum erit ullum , sed in infinitum progressa mens nullibi consistet . Quod sanè fieri non potest . Ergo primum concipi debet quippiam , quod per se , & a se existat , non ab alio , adeoque ex omni æternitate fuerit . Ab hoc igitur , tanquam a fonte profluit omne id , quod est : qui certè Deus est ab æterno existens a se , & rerum omnium Conditor , ac Præses .

Quod autem omnia , quæ existunt , habeant ab illo , ut existant , nec non tali modo quo existunt , nempe ut intelligant , ut sapiant , ut bona sint , prout sunt : patet . Etenim non aliunde ea habere possunt , quàm ab illo ; & quemadmodum ex eo , quòd multa sunt , & existunt , colligimus , unum esse primum existens , originem omnis existentia : Sic ex eo , quod multa sapiunt , intelligunt , bona sunt , eò ducimur , ut agnoscamus quamdam primigeniam , atque increatam , summamque sapientiam , intelligentiam , ac bonitatem quippe non minùs in his , quàm in existentia vitanda est progressio in infinitum . Hujusmodi autem summa , æterna , atque increata bonitas , & sapientia , infinitè , ac sine ullo modo , ac mensura debet esse perfecta . Nam si certum modum perfectionis , ac limitem habeat , ab alio cum definiri , ac circumscribi , necesse est . Atqui superiorem nullum habet , a quo vel ut a principio pendeat : ab inferiore autem restringi nequit , quod superius est . Ergo prorsus infinitum est . Quod certè Deus est . Ergo existit Deus summus , æternus , infinitus , rerum omnium
con-

conditor , qualem naturalis , & communis hominum sensus concipit .

Adversus hanc evidentem ratiocinationem nihil est , quod rationabiliter possit opponi . Etenim quod objicitur , Mundum extitisse *ab æterno* , nec *ab aliquo* , sed *a se* factum . quod Ocello Lucano primùm , deinde Aristoteli visum est , pari evidentiâ refellitur . Siquidem in Mundo , sive in hac rerum Universitate generationes , quæ nunc dantur , animantium existere debuerunt ab æterno : Sine his namque generationibus Universitas hæc , seu Mundus hic nequit existere . Expendamus speciem unam puta hominum . Horum generationes *necessariò* fieri debuerunt ab æterno , quemadmodum fiunt hodie , ut scilicet non repente ac orti sunt , sed interjecto aliquo tempore alios homines genuerint . Positâ autem hac successivâ , non verò simultaneâ generatione , (quam naturalis ratio necessariam omnino videt) : ruit omnino , quod constitutum fuit , *a nullo factum Mundum* . Nam quæcunque sit , aut concipiatur animo successio infinita : semper anterior alia esse debet , quæ cum fuit , nondum illa esse potuit : atque hæc nativitatum perpetuitas semper esse debet aliquo tempore posterior , quo nondum propter ætatis imbecillitatem extitit . Quare si nemo in infinita serie gignentium fingi potest , qui ex æterno genuerit ; consequens est , nullam omnino generationem ab æterno esse potuisse . Proinde initium aliquod fuit in tempore , gignendi . Quod si fuit , etiam Mundus ab initio aliquo factus sit , oportet .

Admittere autem cum Epicuro materiam ab æterno omnino *independentem* , ac deinde ex ipsa efformatum in tempore Mundum a Deo , est etiam rationi repugnans . Etenim congeries illa *a se* existens ab æterno debuit pariter *a se* habere quemdam ordinem , ac situm , qui sanè utpote *independens* non poterat ab alio exturbari : Siquidem *necessitas* illa , quæ in materia existentia ab æterno concipitur ,

pitur, concipi etiam debet in determinato illo ordine, ac situ, quo existebat. Quare, si deinde ab eo ordine fuit materia ipsa alterius jussu exturbata; quemadmodum subjectio- nem in sui mutatione situs indicavit, ita pariter in suamet existentia inferri debet. Repugnat ergo materia aeterna om- nino independens, & a se: adeoque suam existentiam, (quam aliunde constat fuisse in tempore) Deo Creatori de- bet acceptam.

II. Huic proximum officium erga Deum est circa ejus *Unitatem* quoad naturam, & essentiam. Profectò ratio nat- uralis non minùs evidenter ostendit, *Deum esse unum*, ac ostendit Deum existere. Hoc assero contra Grotium, qui (1) ait: *Cætera notiones (Dei) non aequè sunt evidentes, ut Deos plures uno non esse*. Etenim, si rectè omnia expendantur, eadem rationes, quæ *Deum esse* dicent, simul cum esse *Unum*, seu *unicum* demonstrant.

Profectò qui Deum cogitant, eum esse sentiunt, qui sit bonis omnibus absolutus; cui nihil accedere possit, ne- que decedere: in quo perfectà Sapientia sit, & Potestas, & Bonitas, & siquid aliud est, quod divinam naturam de- eet. Hanc ethnici Philosophi de Deo mentem habuere, ut suprâ vidimus; & Seneca (2) ex eo, quòd Deo vilis voluptas non competat, infert hanc non esse bonam: *aut quod incredibile est, bona Deo defunt: aut hoc ipsum ar- gumentum est, bona non esse, quæ Deo defunt*. Jam si duo sint Dii, aliquid esse oporteret, quo invicem differrent. Sanè quidquid illud est, quo Dii isti inter se discreparent, & quod in uno erit, decritque alteri, divinum ac perfe- ctissimum esse, necesse est: adeoque qui hoc careat, summâ re, ac perfectissimâ careat, oportet; ac propterea summum esse desinat. Atque, ut subtilissimè Boetius (3) colligit: Si

Tom. II.

D

duo

(1) Lib. 2. de J. B. & P. §. 47.

(2) Epist. 74.

(3) In 3. de consolat. Prosa 10.

duo sunt Dii, totidemque summa Bona, unum alterum non erit. Quare mancum, ac defectum erit: quia deerit illi summum Bonum, quod est alter Deus, a quo discrepat. *Quæ discrepant Bona, non esse alterum, quod sit alterum, liquet. Quare neutrum poterit esse perfectum, cum alterutri alterum deest. Sed quod perfectum non sit, id summum non esse, manifestum est. Nullo modo igitur quæ summa sunt bona, possunt esse diversa.* Et Lactantius (1): *Deorum virtutes, ac potestates infirmiores sint, necesse est; quia tantum singulis deerit, quantum in cæteris fuerit. Ita quanto plures, tanto minores erunt.*

Rursus duo illi, pluresve Dii, quorum singuli quipiam habent, quod non inest cæteris, melius, ac perfectius quiddam sunt simul universi, quàm separatim singuli. Majus enim bonum, ac perfectius est, quod pluribus bonis, perfectisque completur, quàm horum unumquodque, quod suo contentum careat alieno. Ergo ex eo, quod Deus summum bonum constituitur, ac præcellens cæteris unum esse, necesse est. *Nam si plures sunt Dii, quomodo Dominum quemcumque summum bonum dicemus, cum aliud sit majus ipso, ipsa scilicet bonorum multitudo, quàm quislibet unus ex ea multitudine* (2).

Quare optimè inferri potest, eos, qui Deorum pluralitatem statuunt, revera Dei existentiam negare, indeque Jus Deo quæsitum auferre; atque ita injuriam Deo irrogare. Unde *Polytheismus* crimen est naturale. Idcirco crimen hoc execrati sunt insignes Viri inter ethnicos, quorum testimonia collegit in primis Justinus (3) Athenagoras (4) Clemens Alexandr. (5) Lactantius (6) Cyrillus (7) Eusebius (8)

Ex

(1) Lib. 1. c. 3.

(2) Boet. l. c.

(3) In cohort. ad Græc. & lib. de Monarch.

(4) In orat. pro Christ.

(5) Lib. 7. Strom.

(6) Lib. 1. c. 3. 4. 5.

(7) Lib. 1. contra Jul.

(8) Lib. 13. de Præpar.

Ex his binos proferam, Orpheum nempe, & Pythagoram.
Ille inter alia hæc de Deo vero cecinit:

*Unicus est, per se existens, qui cuncta creavit.
Inque his ipse extat: nulli e mortalibus unquam
Lumine conspectus, mortales conspicit omnes.*

Et paulo post.

Magnum adeo præter Regem non alter habetur.

Pythagoras (1) hæc habet: *Deus quidem est unus. Is autem non est, ut quidam existimant, extra Mundum, sed in ipso totus; in toto circulo, præses omnis generationis, universorum temperatio, semper existens, & opifex suarum virium, & operum omnium: in cælo illuminator, omnium Pater, Mens, & Animatio totius circuli, omnium Motus.*

De *Polytheismo* Ethnicorum non desunt, qui illum excusare quodammodo conantur, obtendentes, multiplicem illam Deorum turbam Unum, eundemque significare Deum, pro variis effectis varia sortientem nomina. Sanè inter Stoicorum dogmata illud non postremum fuit, teste Diogene Laertio (2) *Deus pluribus nominibus appellatur, ut sunt potestates.* Et Orosius (3) hæc habet de ethnicis Philosophis, qui plures Deos non aliter ac plures unius Dei ministros intelligebant: *Dum intento mentis studio quærunt, scrutanturque omnia, unum Deum, auctorem omnium reperisse, ad quem unum omnia referuntur. Unde etiam nunc Pàgani, quos jam declarata veritas de contumacia magis, quàm de ignorantia convincit, cum a nobis àiscutiuntur:*

D 2

non

(1) Apud Clementem in Protr.

(2) In vita Zenonis.

(3) Lib. 6. Hist. c. 1.

non se plures Deos sequi, sed sub uno Deo magno plures Ministros venerari, fatentur.

Hoc ipsum aliquo modo apud Tullium (1) colligi potest, & præsertim ubi plures Deos nominat, quos (ait) ex magnis beneficiis & u Græciæ Sapientibus, & a majoribus suis constitutos esse putat. Itaque tum illud, quod erat a Deo natum (scilicet beneficium) nomine ipsius Dei nuncupabant: ut cum Fruges Cererem appellamus; Vinum autem Liberum: ex quo illud Terentii: Sine Cerere, & Libero friget Venus: Tum autem res ipsa, in qua vis inest major aliqua sic appellatur, ut ea ipsa vis nominetur Deus, ut Fides, ut Mens.

Buddeus verò (2) sentit, malè Ethnicos posse a vero polytheismo defendi; citatque Augustinum, (3) & Lactantium (4). Sed hanc Buddei opinionem nihil moror, cum præsertim de omnibus Ethnicis sermo sit. Illud verò procacissimi Lutherani effatum, quòd apertam contineat calumniam adversus Catholicos, ferre minimè possum. Et quoniam hoc in loco Ecclesiæ Catholicæ Romanæ honor, & fides postulat, manus cum hæretico calumniatore conferere non verebor: quemadmodum enim hujusmodi Scriptores identidem, ut dixi, in Catholicos invehuntur: ita alienum a proposito meo non reputo, Catholicorum partes, quæ meæ sunt, pro viribus tueri. Buddeus itaque captà e polytheismo ethnicorum occasione subdit: *A gentiliis isto errore non procul absunt, quidquid etiam dicant, Romanenses (nos Catholicos innuit): dum ingentem illam Sanctorum, Sancturarumque turbam mortalibus obtrudere arnituntur.* Hæc Buddeus. Ubi duo videtur nobis objicere, alterum, quòd cultum Sanctis tributum respicit: alterum, quòd

(1) In libris de Nat. Deor. lib. 2.

(2) P. 2. Instit. theol. mor. c. 3. sect. 1. §. 19.

(3) De Civ. lib. 4. c. 11.

(4) Lib. 4. div. Instit. c. 3.

quod Sanctorum ab Ecclesia Romana Canonizatorum multitudinem spectat ; nisi fortè innuere simul velit incautis lectoribus pro decernendo eo cultu nimiam in Ecclesia facilitatem, & incuriam .

Verùm ut a primo incipiam . Quantum ab errore gentilium recedat Catholicæ Romanæ Ecclesiæ cultus Sanctis exhibitus , satis superque ostendunt (quæ sanè ignorare Buddeus non poterat) Sacrosancti Tridentini Concilii decreta circa Sanctos , eorumque invocationem , & cultum (1) ubi expressè sic : *ut juxta Catholicæ , & Apostolicæ Ecclesiæ usum primævis Christianæ Religionis temporibus receptum , Sanctorumque Patrum consensionem , & Sacrorum Conciliorum decreta , in primis de Sanctorum intercessione , invocatione ... Fideles diligenter instruant , docentes eos , Sanctos unà cum Christo regnantes orationes suas pro hominibus Deo offerre , bonum , atque utile esse , suppliciter eos invocare ; & ob beneficia impetranda a Deo per Filium ejus Jesum Christum Dominum nostrum , qui solus noster Redemptor , & Salvator est , ad eorum orationes , opem , auxiliumque confugere .* Jam conferantur hæc Romanorum Catholicorum dogmata cum gentilium polytheismo , & cum sycophantæ Buddei paulo ante citatis verbis , & vesani hominis calumnia evanescet . Sed & ipsemet apertissimi mendacii confusionem non ferens subdit statim : *Non ignota sunt , quæ ad polytheismi suspicionem amoliendam regerere soleant : sed quàm parùm hac ratione ad summam rei proficiant , jampridem demonstratum est ab aliis .* Ita Buddeus . Sed in hac ejus criminatione an *perfidiam* , an *pervicaciam* , an *ignorantiam* demirer , nescio . Etenim , quas modò protulimus Romanæ Catholicæ Ecclesiæ in citato Tridentino Concilio sanctiones , conformes omnino sunt Nicæni Concilii II. sanctionibus in Sæc. VIII. celebrati ; easque in eodem Sæculo Francofordiense Concilium sub Adriano I. explicavit fusiùs , ut sensus sit : non eundem videlicet cul-

(1) Sch. 25.

tum

tum Deo , ac Sanctis eorumque imaginibus tribui ; nimirum alterum , qui *Latria* dicitur , & quidem præstantissimum uni Deo impendi , alterum verò , qui *Dulia* , & longè inferiorem *Dei Famulis* , qui etiam propter Deum religiosè coluntur , tribui .

Hæc si non ignorabat Buddeus , *perfidia* convincitur , dum perversè adedò Romanam Catholicam Fidem , ad conciliandam scilicet Ecclesiæ romanæ invidiam , explicat . Rursus *pervicacitatis malæ* arguitur , si morem hunc in Christi Ecclesia vetustissimum cognoscens , in sua Martini Lutheri nova doctrina , quæ hæretica est , perseveret . *Ignorantia* tandem Buddeus traducitur , si hæc omnia ceteroquin notissima homo inter Lutheranos Theologus ignoret . Multus essem , si vellem a primis Christianæ Ecclesiæ sæculis percensere exempla Virorum Sanctorum , qui post diligens adhibitum examen seu Martyrii , seu Virtutum ab Ecclesia Christi ad Sanctorum honores evecti sunt . Sed nihilominus ad hæreticos homines pudore , cujus capaces sunt , confundendos ; & nostrorum animos in recta fide confirmandos ; Catholicæ Romanæ Ecclesiæ in servando prædicto Sanctorum cultu constantiam , quæ Christi Ecclesiam deceat , juvat exhibere .

Profectò ab *initio christianæ pacis* (ut Papebrochii verbis utar) (1) *sub Constantino magno multi Confessorum venerationem publicam meruerunt tam Romæ , quàm alibi* . Ac de Martyrum cultu constat , semper in Ecclesia Christi fuisse receptissimam consuetudinem ; immò primis quoque tribus sæculis extitisse , qui Martyrum nomina digesserit , distributaque ordine per anni dies in unum catalogum ad Fidelium venerationem excitandam compegerit . Quare Clerum monebat Cyprianus : *Dies eorum , quibus excedunt , annotate , ut commemorationes eorum inter memorias Martyrum celebrare possimus* . Deinde laudat celebrari obla-

(1) In dissert. 20. in Propil.

ri oblationes ob commemorationes eorum . Diptycha tum quoque usitata in altari ad Sacra facienda hujus rei speciem exhibent . Eusebius deinde Cæsariensis sæculo IV. testatur , *collegisse se ordine de priscis martyribus horum passionès* . Eusebium imitatus S. Hieronymus perhibetur concinnasse Martyrum catalogum , suo quosque annotans die . Sæculo VIII. , aut postremis Sæculi VII. annis Beda suum edidisse Martyrologium fertur , quod Florus sequenti sæculo auxit . Eodemque Sæculo Usuardus maximo plausu Martyrologium contexit , quod in Ecclesiis passim legi cœpit , additis nempe ubique peculiaribus cujusque Ecclesiæ Sanctis . Hoc autem Usuardi Martyrologium est , quod revisum , castigatum , auctum , Baronii præsertim operâ , ac studio in Romanum hodiernum evasit , in quod jam amplius fas non est , nova Sanctorum nomina inferere absque Sedis Apostolicæ auctoritate . Teste autem S. Gregorio Magno (1) habemus Ecclesiæ Romanæ usum in Sec. VI. & VII. ait enim : *Nos penè omnium Martyrum distinctis per singulos dies passionibus collecta in uno codice nomina habemus , atque quotidianis diebus in eorum veneratione Missarum solemnia agimus* .

Sed in hisce Martyrologiis non *Martyrum* modò quod ad rem nostram satis esset : sed & *Confessorum* nomina ad *venerationem* inscribebantur . Siquidem Concilii Cloveshoviensis in Anglia celebrati an. 747. Canon 13. habet : *Ut per gyrum totius anni natalitia Sanctorum uno , eodemque die juxta Martyrologium ejusdem Romanæ Ecclesiæ cum sua sibi convenienti psalmodia , seu cantilena venerentur* . Et clariùs in Canone 17. sic legitur : *Septimodecimo constitutum est præcepto , ut dies natalitius B. Papæ Gregorii , & dies quoque depositionis , qui est VII. Kal. Junii S. Augustini Archiepiscopi , atque Confessoris , qui Genti Anglorum missus a præfato Papa , & Patre nostro Gregorio , scientiam Fidei ,*
Baptif-

(1) Lib. 12. Ep. 31. vel lib. 11. ep. 64. c. 8. ad Eulogium Alexandrin.

Baptismi Sacramentum, & Caelestis Patriae notitiam primas attulit, ab omnibus, sicut decet, honorificè venerentur. Ita ut uterque dies ab Ecclesiasticis, & Monasterialibus feriatuſ habeatur: nomenque ejuſdem B. Patris, & Doctõris noſtri Auguſtini in Litanis decantatione poſt S. Gregorii vocationem ſemper, dicatur. Quis hæc legens in ſæculo VIII. pro Sanctõrum cultu, & veneratione ſancita decreta, non agnoſcat perfeverantem adhuc eumdem omnino morem in Romana Catholica Eccleſia? Eodem ſæculo anno videlicet 761. in Romano Concilio ſub Paulo Papa 1. conſtitutum fuit in hæc verba: Procurare ſtudui (loquitur Pontifex) ea, quæ ad cultum Dei, & dignam Sanctõrum pertineant venerationem, & maximâ roborationis cenſurâ confirmare. Unde apertè innuuntur quædam de Sanctõrum veneratione decreta.

Anno 794. Concilium Francofordienſe Canone 42. decrevit: *Ut nulli novi Sancti colantur, aut invocentur, nec memoriæ eorum per vias erigantur: niſi Epifcopo approbante. Sed hi ſoli in Eccleſia venerandi ſint, qui ex auctoritate paſſionum, & vitæ merito electi ſunt.* Sententia ergo Canonis hæc eſt, non colendos novos Sanctos quocunque, & ad cujuſdam arbitrium; ſed illos ſolos, qui maturo præmiſſo examine electi eſſent, Epifcopo approbante. Quod certè decretum ad diluendam alteram criminationis Buddeanæ in Catholicos partem viam ſternit.

Equidem Sanctõrum cultus inter graviffimas a Chriſti Eccleſia cauſas fuit ſemper adnumeratus. Quare qui veteres Eccleſiaticarum rerum hiftorias verſat, comperiet, Epifcoporum fuiſſe nedum de veneratione Sanctõrum, ſed etiam de circumſtantiis ſingulis venerationis, de die, de modo, deque aliis huiuſmodi adjunctis conſtituere. Unde facilè dignoſcetur, quo ſenſu accipi debeat illud, quod per ora multorum circumfertur de Sanctis olim canonizatiſ merâ, ut ajunt, populi voce. Præcedebat quidem plerun-
que

que vox Populi, hoc est Populi plausus, laudes, concursus, & pia, sed merè privata, erga Defunctum veneratio: nisi tamen Episcopi comprobatio accessisset, nullus unquam Canonizati honores adeptus censebatur. Sanè hac super egregius est locus S. Optati milevitani (1), cùm de Lucilla potenti, ac factiosa Femina, Donatistis addictissima, ac Patrona, narrat, eam fuisse ab Archidiacono Cæciliano correptam, quod os nescio cujus hominis mortui, etsi martyris, sed nondum vindicati, libare dicebatur, cum confusione iratam discessisset. Quibus verbis Optatus significat, nefas fuisse venerari reliquias martyris alicujus non vindicati, hoc est nondum probati, & recepti. *Moris enim erat* (subdit Baronius) (2) *ut cùm aliquis martyrio occubisset, Episcopus, sub cujus ditione id accidisset, rem gestam scriberet ad Præmiam Episcopum; a quo maturè, adhibitis in consilium collegis Episcopis, an inter Martyres esset recipiendus, decernebatur.* Citat pro hac re S. Augustinum (3).

Sed quoniam abusus in hoc genere quidam in finem sæc. VIII. & initia sæc. IX. irreperant, (ut ex suprascripto Can. Francofordiensi, & ex Capitulari Caroli Magni, & ex Canone quodam Moguntino colligi potest) quod nimis properè, & Episcoporum judicio minimè expectato, ad Defunctum quempiam honorandum imprudentiùs prorumperent: idcirco eadem de causa factum judicatur, ut jam in his rebus de consulenda Apostolica Sede cæptum sit cogitari. Certè a sæculo nono, ac deinceps aperire sese clariùs incipiunt, & paulatim percrebescere Pontificiæ Canonizationes; nec defuere Viri graves, qui judicaverint, initia solemniorum Canonizationum per Romanos Pontifices sanctitarum desumenda esse a Sæculo VIII. Quod alii negant. Non est autem hujus loci rem hanc definire. Illud autem

Tom. II.

E

dici

(1) Lib. 1. adversus Parmenianum Episcopum Donatistam Sæc. IV.

(2) In not. ad Martyr. 2. Apr.

(3) In brevic. collat. die 3. Cap. 13.

quos Ratio non posset, eos ad officium Religio duceret: nonne omnem Religionem funditus sustulerunt?

Quàm malè etiam ratiocinatur Hobbes (1) asserens, Atheos non esse Dei subditos, quia Deum esse, non credunt. Et alibi idem repetit (2). Argumentum ejus est, quod: *Atheus nunquam voluntatem suam Dei voluntati subjecit, ut quem ne esse quidem opinatus fuerit. Summum autem imperium neminem in nos habere, quod non sit ei nostro consensu delatum. Adeoque cum Atheus nunquam sub regno Dei fuerit, legibus quoque ejus regni ipsum non obligari.* At verò, ut benè hìc observat Puffendorfius (3), falsissimum est, omne imperium constitui consensu eorum, quibus imperatur. Et quamvis de imperio humano velit quis ita opinari (de quo loco suo); quis unquam dixerit, Deo non esse jus imperandi suæ Creaturæ, nisi illa ultro in ipsius imperium consenserit? Idcirco contra Hobbesium rectè concludit Puffendorfius ib. *Unde & Athei haudquidquam, propriè loquendo, hostes Dei sunt: sed rebelles subditi, quique adeo crimine læsæ majestatis divinæ se obstrinxerunt.*

Duas proinde distinguamus, oportet, Atheorum classes: I. eorum est, qui a mentis stupiditate Deum non agnoscunt, quando videlicet vitiis animus veluti obrutuerit, & rationis lumen extinctum propè sit. Atheismus hic rarus est, ajente Augustino (4): *Pauci inveniuntur tantæ impietatis, ut impleatur in eis, quod scriptum est. Dixit Impiensus in corde suo, non est Deus.* II. classis est eorum, qui perversâ nimis voluntate, ut nempè liberiùs peccent, & quibusvis voluptatibus fruantur, seipsos excæcant, & voluntariè Judicem,Inspectoremque suarum actionum negant. Atque hoc in numero plures esse, experientia ipsa suadet:

& Ma-

(1) C. 15. §. 2. de Cive.

(2) Leviath. c. 31.

(3) De J. N. & G. l. 3. c. 4. §. 4.

(4) In Pl. 13.

& Mascovius l. c. optimè subdit: *Cùmque hac hominum (libenter, & cum voluptate in Atheismo errantium) multitudine sæculum nostrum abundet, Reipublicæ interest, hinc quoque interdum aliquid exemplo dari; scilicet in illos animadvertere.*

Cæterùm dari Atheos ex mera, simplicique ignorantia, si usu rationis perfectò polleant, negant plerique. Perfectò Tullius (1) ajebat: *Qui dubitet (Deum existere), haud sanè intelligo, cur non idem, sol sit, an nullus sit, dubitare possit. Quid enim est hoc illo evidentius? Et ibi. Esse igitur Deos, ita perspicuum est, ut, id qui neget, vix eum sanæ mentis existimem.* Patet rursus ex eo, quòd ferè penes omnes Gentes firma, sanctaque fuerit de Dei existentia opinio. Aristoteles (2) ait: *Omnes homines notionem Deorum habent, omnesque summum locum divino cuidam numini assignant tum græci, tum barbari.* Et Tullius (3) ait: *quæ est enim gens, aut quod genus hominum, quod non habeat sine doctrina anticipationem quamdam Deorum?* Et paulò post: *Cùm enim non instituto aliquo, aut more, aut lege sit opinio constituta, muneatque ad unum omnium firma consensus: intelligi necesse est, esse Deos; quoniam infitas eorum, vel potiùs innatas cognitiones habemus. De quo autem omnium natura consentit, id verum esse necesse est. Esse igitur Deos, confitendum est. Quod quoniam ferè constat inter omnes non philosophos solùm, sed etiam indoctos: fateamur constare illud etiam, hanc nos habere sive anticipationem, ut ante dixi, sive prænotionem Deorum.* Quam sanè communem consensionem non infirmant ea, quæ ab aliquibus temerè traduntur, de nonnullis gentibus sic immanitate efferatis, ut apud eas nulla sit Dei sententia. Siquidem vel de hisce narrationibus non satis constet, vel

Tom. II.

C

pro-

(1) Lib. 2. de nat. deor.

(2) Lib. 1. de Cœlo c. 3.

(3) Lib. 1. de nat. Deor.

propter mentis hebetudinem in aliquibus, sive stupiditatem non possit argumentum duci ad omnes ejusdem regionis incolas; vel ex vocis ipsius ignoratione malè inferatur, eos Deum non agnoscere: idcirco Atheismus integrarum nationum non subsistit; ut egregiè demonstrat Joannes Ludovicus Fabricius (1). Tullius (2) ait: *nulla est gens tam barbara, quæ non fateatur, esse aliquem Deum, adeo quidem, ut homines falsum Deum habere malint, quàm nullum.*

Quare Deum existere est principium vel per se notum, vel facili negotio a rationabili mente dignoscendum. Profectò ex Tullii sententia primum illud est: habet enim expressè hoc pluribus in locis, ubi de natura Deorum. Clarissimè (3) *Itaque inter omnes omnium Gentium constat (omnibus enim innatum est, & in animo quasi insculptum) esse Deos.* Si igitur inter ideas innatas seu potiùs connaturales ista Dei accensetur, ut videlicet intellectis tantummodo, & benè explicatis notionibus, naturalis ratio de se ad illam affirmandam accedat: sequitur consequenter, Dei existentiam esse citra argumenta extrinseca per se notam. Et certè fieri non potest, ut animo concipiatur *Ens perfectissimum*, qualis est *Deus*: quin statim illud *existere* intelligatur: aliàs perfectissimum apprehenderetur, & non perfectissimum: perfectissimum ex hypothesi; reipsa non perfectissimum, quia careret existentia, quæ omnium perfectionum prima est, ac fundamentum aliarum, & illo perfectius aliquid cogitare posset. Optimum est argumentum hoc, & a Divo Anselmo mutuatum (4) ejusque verba referre juvat: *Ergo Domine, .. credimus, te esse aliquid, quo nihil majus cogitari possit. An ergo non est aliqua talis natura, quia dixit Insipiens in corde suo: non est Deus? Sed certè idem ipse Insipiens, cùm audit hoc ipsum quod dico,*
ali-

(1) In Apologetico pro genere humano contra calumniam Atheismi.

(2) Lib. 1. tuscul. quæst.

(3) Lib. 2.

(4) In Prossog. idest alloquio c. 2.

aliquid, quo majus nihil cogitari potest, intelligit: quod audit, & quod intelligit, in intellectu ejus est, etiamsi non intelligat, illud esse.... Et certè, id quo majus cogitari nequit, non potest esse in intellectu solo. Si enim vel in solo intellectu est, potest cogitari esse & in re, quod majus est. Si ergo id, quo majus cogitari non potest, est in solo intellectu: id ipsum, quo majus cogitari non potest, est quo majus cogitari potest: sed certè hoc esse non potest. Existit ergo proculdubio aliquid, quo majus cogitari non valet & in intellectu, & in re.

Accedunt oracula Scripturarum. Sic (1) *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine*. Quod de cognitione Dei summi boni hominis intelligit Augustinus (2): *Hoc lumen est totum hominis, & verum bonum, quod non oculis, sed mente concipitur. Signatum autem dixit in nobis, tanquam denarius signatur Regis imagine. Homo enim factus est ad imaginem, & similitudinem Dei, quam peccando corrumpit*. Alibi (3): *Regnum Dei intra vos est*. Quem locum de innata hominis Dei notione intelligit S. Athanasius (4): *Quia intus in nobismetipsis fidem, regnumque Dei habemus, facile possumus universitatis Rectorem salutare, verbum intelligere, & contemplari*. Et S. Greg. Nyssenus (5) ait: *Opinio de numine divino naturaliter quidem insita est omnibus hominibus, sed ignorantia veri Dei peccatur circa id, quod colitur*.

Sed ad probandam Dei existentiam, (etsi nolimus asserere innatam in nobis hujus existentie ideam) plurima sunt argumenta, quorum aliqua ita naturali rationi sunt satis obvia, ut confundi rubore potuerit Hobbes, nisi ve-

C 2

recun-

- (1) Psa. 4. v. 7.
- (2) In hunc locum n. 8.
- (3) Lucæ 17. v. 21.
- (4) Orat. contra Gentes:
- (5) Orat. 5. quæ est de Beatitudinibus.

recundiam omnem exuisset, asserendo: ita *difficile esse naturali ratione Deum investigare, quemadmodum est invenire proportionem sphaerae ad cylindrum*. Profectò natura rerum omnium: ordo: & proportio quæ in Universo conspicitur, existentiam Dei facile probant. Etenim ubi res creatæ sunt, ibi earum causa esse debet; rursus Ordo, & Proportio earum ostendunt causam intelligentem, & sapientissimam. Quod utique argumentum exponit Tullius (1): *Quorum rerum adspectus ipse satis indicaret, non esse ea fortuita. Ut si quis in domum aliquam, aut in gymnasium, aut in forum venerit, cum videat omnium rerum rationem, modum, disciplinam, non possit ea sine causa fieri judicare, sed esse aliquem intelligat, qui præsit, & cui pareatur: multo magis in tantis motionibus, tantisque vicissitudinibus, tam multarum rerum, atque tantarum ordinibus, in quibus nihil unquam immensa, & infinita vetustas mentita sit, statuatur, necesse est, ab aliqua mente tantos naturæ motus gubernari.*

Verùm aliud magis arridet argumentum, quod apud Tullium ibidem pronunciabat Chrysippus acerrimo vir ingenio, sed ita ut ab ipsa natura didicisse, non ut ipse reperisse videretur; (verbis utar Auctoris ipsius): *Si est aliquid in rerum natura, quod hominis mens, quod ratio, quod vis, quod potestas humana efficere non possit: est certè id, quod illud efficit, homine melius. Atqui res caelestes, omnesque ea, quarum est ordo sempiternus, ab homine confici non possunt. Est igitur id, quo illa conficiuntur, homine melius. Id autem quid potius dixeris, quàm Deum? Etenim si dii non sunt, quid esse potest in rerum natura homine melius? In eo enim solo ratio est, quæ nihil potest esse præstantius. Esse autem hominem, qui nihil in omni mundo melius esse quàm se putet, desipientis arrogantia est. Ergo est aliquid melius. Est igitur profectò Deus. Hac sanè, atque alia argumetu.*

(1) Lib. 2. de nat. Deor.

gumenta ex naturæ ipsius contemplatione humana ratio facili negotio concipit, eorumque vim animus non omnino corruptus intimè sentit, & nisi præposterum novitatis studium, aut pravum ingenium mentem abducat, extrinsecùs præsteatur, oportet.

Sed & peculiarem de Dei existentia demonstrationem demus, ad Atheismi scilicet evidentem confutationem.

Vel Deus non est possibilis: vel si possibilis est Deus, dici debet necessariò existens. Atqui *Deum esse possibilem* est metaphysicè evidens, ita nempe, ut, eo intellecto, mens nequeat non assentiri. Etenim *Deus* nobis exhibetur sub idea Entis perfectissimi, habentis nempe omnem perfectionem sine ullo defectu, & quidem ex naturali ratione teste Sexto Empirico (1) *quod est perfectum, & optimum, & homine præstantius, atque omnibus absolutum virtutibus, nulliusque mali capax*. Sub hac autem idea apparet metaphysicè evidens Dei possibilitas: nullum enim Dei attributum, seu nulla perfectio est de se opposita alteri perfectioni; secus illa perfectio alteri opposita non esset in suo genere perfecta, vel illam destrueret; quod repugnat. Atque hoc satis est ad firmandam possibilitatem rei sub evidentia metaphysica. Posità autem possibilitate Entis perfectissimi, nempe Dei; inferri debet *necessitas semper existendi*; quod patet sic: Ens perfectissimum, quod esset possibile, & *actu non existeret*: esset simul possibile, & simul impossibile. Siquidem esset possibile ex hypothesi: non esset possibile, quia, si non existeret, non esset, a quo posset existere. Non enim posset existere a se; ut patet: nam quod non est, non potest agere: neque ab alio; etenim fieri ab alio non est perfectio perfectissima. Et causa ipsius Entis, positi perfectissimi, esset ipsum Ens perfectissimum, adeoque Deus; nam contineret omnes omnino perfectiones. Ergo repugnat simul Ens perfectissimum non existens semper, a se, & necessariò:

hæ

(1) Lib. 8. contra Mathem.

hæ namque sunt perfectiones constituentes Ens perfectissimum, nempe *necessitas existendi, semper, & a se*.

Ut patet, hæc demonstratio de unius Dei natura procedere potest, & quidem lumen ipsum rationis non prætergreditur, etsi aliquanto sublimis sit, & non satis ad cuiusque captum accommodata.

Aliæ etiam sunt viæ ad hanc Dei existentiam demonstrandam, & quidem a posteriori, ut ajunt scholæ, seu ab effectibus. Constat hoc ex divinis Scripturis. Sic (1) habemus: *A magnitudine speciei, & Creaturæ cognoscibiliter poterit Creator horum videri.* (2) *Quod notum est Dei, manifestum est in illis (videlicet Ethnicis): Deus enim illis manifestavit. Invisibilia enim ipsius a Creatura mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur; sempiterna quoque ejus virtus, & divinitas: ita ut sint inexcusabiles.* Quæ sanè testimonia ostendunt, evidentem existentiam Dei notitiam haberi posse ex Creaturis; atque ita a SS. PP. intelliguntur. Augustinus (3) ait: *Potest (Deus) inveniri per Creaturas evidenter, dicente Apostolo: Invisibilia &c.* Hieronymus in dictum Apostoli locum ait: *Tam evidenter intellecta sunt, ut conspecta dicantur.* Quomodo autem a creaturarum rerum existentia poterit demonstratio de Dei-existentia confici, ostendam illico.

Profectò Platonem constat, ex mundi conspectu, & rerum constanti vicissitudine, ac præsertim ex perpetuo cælestium orbium motu, *Deum* agnovisse: ejusque existentiam ex dicto argumento probat in *x. de Legibus*, nec obscure in *Timæo* significat, atque alibi, ut observat Proclus in *Comment. in Tim.* Aristoteles pariter, alique ex rerum aspectabilium usu, ac præcipuè ex Cælestium corporum motu ad unius moventis, & moderantis ista Dei notitiam pro-

(1) Sap. 13.

(2) Ad Rom. 1.

(3) Tr. 2. in Evang. Jo.

profectus est ; ut ex 8. *Physic.* liquet . Pari ratiocinatione ad eandem Dei notitiam pervenere Epicætetus , Sextus Empiricus , atque alii . Probari autem potest sic :

Pleræque res , quas videmus , nascuntur , intereunt , corrumpuntur . Ergo aut omnia nascuntur similiter , & pereunt : aut ad aliquid pervenitur , in quo sistit cogitatio nostra , quod neque natum sit , neque sit interiturum . Si prius illud verum putetur , semper erit aliquid , a quo alterum orietur : neque primum erit ullum , sed in infinitum progressa mens nullibi consistet . Quod sanè fieri non potest . Ergo primum concipi debet quippiam , quod per se , & a se existat , non ab alio , adeoque ex omni æternitate fuerit . Ab hoc igitur , tanquam a fonte profluit omne id , quod est : qui certè Deus est ab æterno existens a se , & rerum omnium Conditor , ac Præses .

Quod autem omnia , quæ existunt , habeant ab illo , ut existant , nec non tali modo quo existunt , nempe ut intelligant , ut sapiant , ut bona sint , prout sunt : patet . Etenim non aliunde ea habere possunt , quàm ab illo ; & quemadmodum ex eo , quòd multa sunt , & existunt , colligimus , unum esse primum existens , originem omnis existentia : Sic ex eo , quod multa sapient , intelligunt , bona sunt , eò ducimur , ut agnoscamus quamdam primigeniam , atque increatam , summamque sapientiam , intelligentiam , ac bonitatem quippe non minùs in his , quàm in existentia vitanda est progressio in infinitum . Hujusmodi autem summa , æterna , atque increata bonitas , & sapientia , infinite , ac sine ullo modo , ac mensura debet esse perfecta . Nam si certum modum perfectionis , ac limitem habeat , ab alio eum definiri , ac circumscribi , necesse est . Atqui superiorem nullum habet , a quo vel ut a principio pendeat : ab inferiore autem restringi nequit , quod superius est . Ergo prorsus infinitum est . Quod certè Deus est . Ergo ex. stitit Deus summus , æternus , infinitus , rerum omnium
con-

conditor , qualem naturalis , & communis hominum sensus concipit .

Adversus hanc evidentem ratiocinationem nihil est , quod rationabiliter possit opponi . Etenim quod objicitur , Mundum extitisse *ab æterno* , nec *ab aliquo* , sed *a se* factum . quod Ocello Lucano primùm , deinde Aristoteli visum est , pari evidentiâ refellitur . Siquidem in Mundo , sive in hac rerum Universitate generationes , quæ nunc dantur , animantium existere debuerunt ab æterno : Sine his namque generationibus Universitas hæc , seu Mundus hinc nequit existere . Expendamus speciem unam puta hominum . Horum generationes *necessariò* fieri debuere ab æterno , quemadmodum fiunt hodie , ut scilicet non repente ac orti sunt , sed interjecto aliquo tempore alios homines genuerint . Posità autem hac successivâ , non verò simultaneâ generatione , (quam naturalis ratio necessariam omnino videt) : ruit omnino , quod constitutum fuit , *a nullo factum Mundum* . Nam quæcunque sit , aut concipiatur animo successio infinita : semper anterior alia esse debet , quæ cum fuit , nondum illa esse potuit : atque hæc nativitatum perpetuitas semper esse debet aliquo tempore posterior , quo nondum propter ætatis imbecillitatem extitit . Quare si nemo in infinita serie gignentium fingi potest , qui ex æterno genuerit ; consequens est , nullam omnino generationem ab æterno esse potuisse . Proinde initium aliquod fuit in tempore , gignendi . Quod si fuit , etiam Mundus ab initio aliquo factus sit , oportet .

Admittere autem cum Epicuro materiam ab æterno omnino *independentem* , ac deinde ex ipsa efformatum in tempore Mundum a Deo , est etiam rationi repugnans . Etenim congeries illa *a se* existens ab æterno debuit pariter *a se* habere quemdam ordinem , ac situm , qui sanè utpote *independens* non poterat ab alio exturbari : Siquidem *necessitas* illa , quæ in materia existentia ab æterno concipitur ,

pitur, concipi etiam debet in determinato illo ordine, ac situ, quo existerat. Quare, si deinde ab eo ordine fuit materia ipsa alterius jussu exturbata; quemadmodum subjectionem in sui mutatione situs indicavit, ita pariter in suamet existentia inferri debet. Repugnat ergo materia aeterna omnino independens, & a se: adeoque suam existentiam, (quam aliunde constat fuisse in tempore) Deo Creatori debet acceptam.

II. Huic proximum officium erga Deum est circa ejus *Unitatem* quoad naturam, & essentiam. Profectò ratio naturalis non minùs evidenter ostendit, *Deum esse unum*, ac ostendit Deum existere. Hoc assero contra Grotium, qui (1) ait: *Cætera notiones (Dei) non æquè sunt evidentes, ut Deos plures uno non esse*. Etenim, si rectè omnia expendantur, eadem rationes, quæ *Deum esse* dicent, simul cum esse *Unum*, seu *unicum* demonstrant.

Profectò qui Deum cogitant, eum esse sentiunt, qui sit bonis omnibus absolutus; cui nihil accedere possit, neque decedere: in quo perfectà Sapiencia sit, & Potestas, & Bonitas, & siquid aliud est, quod divinam naturam debeat. Hanc ethnici Philosophi de Deo mentem habuere, ut suprâ vidimus; & Seneca (2) ex eo, quòd Deo vilis voluptas non competat, infert hanc non esse bonam: *aut quod incredibile est, bona Deo desunt: aut hoc ipsum argumentum est, bona non esse, quæ Deo desunt*. Jam si duo sint Dii, aliquid esse oporteret, quo invicem differrent. Sanè quidquid illud est, quo Dii isti inter se discreparent, & quod in uno erit, deeritque alteri, divinum ac perfectissimum esse, necesse est: adeoque qui hoc careat, summâ re, ac perfectissimâ careat, oportet; ac propterea summum esse desinat. Atque, ut subtilissimè Boetius (3) colligit: Si

Tom. II.

D

duo

(1) Lib. 2. de J. B. & P. §. 47.

(2) Epist. 74.

(3) In 3. de consolat. Prosa 10.

duo sunt Dii, totidemque summa Bona, unum alterum non erit. Quare mancum, ac defectum erit: quia deerit illi summum Bonum, quod est alter Deus, a quo discrepat. *Quæ discrepant Bona, non esse alterum, quod sit alterum, liquet. Quare neutrum poterit esse perfectum, cum alterutri alterum deest. Sed quod perfectum non sit, id summum non esse, manifestum est. Nullo modo igitur quæ summa sunt bona, possunt esse diversa. Et Lactantius (1): Deorum virtutes, ac potestates infirmiores sint, necesse est; quia tantum singulis deerit, quantum in cæteris fuerit. Ita quanto plures, tanto minores erunt.*

Rursus duo illi, pluresve Dii, quorum singuli quipiam habent, quod non inest cæteris, melius, ac perfectius quiddam sunt simul universi, quàm separatim singuli. Majus enim bonum, ac perfectius est, quod pluribus bonis, perfectisque completur, quàm horum unumquodque, quod suo contentum careat alieno. Ergo ex eo, quod Deus summum bonum constituitur, ac præcellens cæteris unum esse, necesse est. *Nam si plures sunt Dii, quomodo Dominum quemcumque summum bonum dicemus, cum aliud sit majus ipso, ipsa scilicet bonorum multitudo, quàm quislibet unus ex ea multitudine (2).*

Quare optimè inferri potest, eos, qui Deorum pluralitatem statuunt, revera Dei existentiam negare, indeque Jus Deo quæsitum auferre; atque ita injuriam Deo irrogare. Unde *Politheismus* crimen est naturale. Idcirco crimen hoc execrati sunt insignes Viri inter ethnicos, quorum testimonia collegit in primis Justinus (3) Athenagoras (4) Clemens Alexandr. (5) Lactantius (6) Cyrillus (7) Eusebius (8)

Ex

(1) Lib. 1. c. 3.

(2) Boet. l. c.

(3) In cohort. ad Græc. & lib. de Monarch.

(4) In orat. pro Christ.

(5) Lib. 7. Strom.

(6) Lib. 1. c. 3. 4. 5.

(7) Lib. 1. contra Jul.

(8) Lib. 13. de Præpar.

Ex his binos proferam, Orpheum nempe, & Pythagoram.
Ille inter alia hæc de Deo vero cecinit:

*Unicus est, per se existens, qui cuncta creavit.
Inque his ipse extat: nulli e mortalibus unquam
Lumine conspectus, mortales conspicit omnes.*

Et paulo post.

Magnum adeo præter Regem non alter habetur.

Pythagoras (1) hæc habet: *Deus quidem est unus. Is autem non est, ut quidam existimant, extra Mundum, sed in ipso totus; in toto circulo, præses omnis generationis, universorum temperatio, semper existens, & opifex suarum virium, & operum omnium: in cælo illuminator, omnium Pater, Mens, & Animatio totius circuli, omnium Motus.*

De *Polytheismo* Ethnicorum non desunt, qui illum excusare quodammodo conantur, obtendentes, multiplicem illam Deorum turbam Unum, eundemque significare Deum, pro variis effectis varia sortientem nomina. Sanè inter Stoicorum dogmata illud non postremum fuit, teste Diogene Laertio (2) *Deus pluribus nominibus appellatur, ut sunt potestates.* Et Orosius (3) hæc habet de ethnicis Philosophis, qui plures Deos non aliter ac plures unius Dei ministros intelligebant: *Dum intento mentis studio quærunt, scrutanturque omnia, unum Deum, auctorem omnium reperisse, ad quem unum omnia referuntur. Unde etiam nunc Pàgani, quos jam declarata veritas de contumacia magis, quàm de ignorantia convincit, cum a nobis discutiantur:*

D 2

non

(1) Apud Clementem in Protr.

(2) In vita Zenonis.

(3) Lib. 6. Hist. c. 1.

passiva discurrere Victore; illos per nota itinera ad domum, in qua servierant, præcucarrisse, & Dominam suam ante se egisse: & quærentibus, quænam esset, Dominam & quidem crudelissimam ad supplicium ab ipsis duci, professos esse. Eductam deinde extru muros summâ curâ celasse, donec ostilis ira confideret. Deinde, ut satiatus miles ad romanos mores citâ rediit: illos quoque ad suos rediisse, & Dominam sibi ipsos dedisse. Manumisit utramque e vestigio illa: nec indignata est, ab his se vitam accepisse, in quos vitæ, necisque potestatem habuisset. Potuit sibi hoc vel magis gratulari. Aliter enim servata munus notæ, & vulgaris clementiæ habuisset: sic servata, nobilis fabula, & exemplum duarum Urbium fuit. In tanta confusione captæ Civitatis, cum sibi quisque consuleret, omnes ab illa præter transfugas fugerunt. At hi, ut ostenderent, quo animo facta esset prior illa transitio, a victoribus ad Captivam transfugerunt, personam parricidarum ferentes. Quod in illo beneficio maximum fuit, tanti judicaverunt, ne Domina occideretur, videri Dominam occidisse. Non est, mihi crede, non est, dico, servilis animi, egregium factum famâ sceleris emisisse (1).

II. Explicatâ jam propriâ officiorum Juris Naturæ essentiam, ad ea investiganda procedamus oportet objecta, quæ respicere debent hominum pro statu naturali, & juxta naturalem legem operantiam actus. Jamverò, ut alibi innuimus, homo rationis usu pollens ubi parumper ad statum suum mentem, animumque convertit, dignoscit confestim, tria esse posse in tota rerum universitate objecta, in quæ actus suos aptè, convenienter, & necessariò dirigat, ut nature suæ rationalis conformiter vivat, utque felicitatis a se quæsitæ metam attingat. Primo loco esse Deum: tum seipsum: Postremo alios, quos Proximos sibi dicere consuevit. Quare optima constituitur officiorum distributio, quæ
nem.

(1) Lib. 3. de Benef. c. 23.

nempe *Deum*, quæ *seipsum*, quæque *alios* respiciunt; quam sanè propositam à Tullio habemus (1) ubi de hac naturali-morum Philosophia sic loquitur: *Hæc nos primùm ad illorum (Deorum) cultum, deinde ad Jus hominum, quod situm est in Generis humani societate, tum ad modestiam, magnitudinemque animi erudit.*

Quæ quidem ab homine ethnico prolata, ac juxta naturæ legis vim pronunciata dumtaxat, Christianum hominem de Jure naturæ scribeutem, Puffendorffium dico, *inexcusabilem* reddunt, dum, in constituendo fundamentali principio Legis naturalis, neque Dei, neque sui ipsius (quem admodum oporteret) primariò, & per se mentionem fecerit. De eo, ejusque Philosophia exclamare licebit cum Leibnitio (2): *Adeone degenerabit apud Christianos Philosophia, quam Ethnici tam sanctam, & generosam habere?* Fuit certè ab aliis sui temporis Scriptoribus id vitii Puffendorffio exprobratum, quod ipse memorat, (3) conaturque inibi accusatoribus suis satisfacere. Malè autem, meo judicio. Summa enim suæ defensionis in eo versatur, adnotante Mascovio (4) quòd *sibi præcipuè constitutum sit, ut officia hominum mutua, sive erga alios explicet.* Quasi verò homini scribenti de *Lege naturali in genere*, (ut ibidem profitetur): non alia sibi sumat præcipuè explicanda officia, nisi quæ ad alios spectent: cum potius Deo, ac sibi potiores legis naturalis officiorum partes dare debuisset, posteriores verò aliis.

Ineptissima deinde est excusatio, quam Mascovius ipse infectatur, videlicet: *Officia erga Deum ex sua ipsas sententia partem theologiæ naturalis esse, cui in doctrina Juris naturæ non alia contemplatione locus est, quàm quæ Numinis*

(1) Tuscul. quest. l. 1. c. 26.

(2) Epist. Cens. ad mol.

(3) In spectim. contr. c. 5. §. 25. & inspic leg. Contr. c. 1. §. 14.

(4) Lib. 2. c. 3. Puffend. de J. N. & G. §. 15.

nis cultus firmissimum societatis civilis vinculum est. Officia hominis erga seipsum partim e Religione, partim e studio societatis manant ita, ut, si homo non penderet a Deo, & extra societatem aliorum viveret, nulli obligationi erga seipsum adstrictum esse, intelligi posset. Mira fanè, & nova sunt hæc Puffendorffii sensa, sed enormia itidem, & falsa complura. Etsi de officiis erga Deum agat peculiaris quædam facultas, quæ exinde nomen *Theologiæ* obtinet, quid impedit, quominus in Juris naturalis generatim inspecti officiis explicandis ratio etiam habeatur de Officiis erga Deum, Juris ipsius, ne dicam hominis, auctorem, atque Institutorem? Quot in toto Puffendorffiano Juris naturæ, & Gentium opere traduntur, quæ aliarum facultatum tractationi ab auctoribus designantur? Plura ad *Ethicæ*, plura etiam ad *Oeconomicæ*, plura tandem ad *Politicæ* pertinentia Puffendorffius complectitur, ut videre cuilibet licet: Sunt autem & dictæ disciplinæ seorsim, si placuerit, tradendæ: Puffendorffio tamen nil vetuit, quin suo Juris naturalis libro ea adscriperit. *Unius Dei* tantummodo Officia minimè inferenda Juri naturali putavit, & ut ita dicam, religioni sibi vertit!

Deinde quàm præposterè in se excusando ratiocinatur, dum subdit: *Numinis cultam ed in doctrina Juris naturæ contemplandum, quod firmissimum societatis vinculum est.* Equidem ex opposito argumentum sumerem, & quidem rationabilius: ex eo humanæ firmissimum est societatis vinculum, quod numinis societati humanæ præpositi existentia sit, eique sint officia convenientia ab hominibus præstanda: quorum illud: *societati favendum: nil contra societatem molendum.* Profectò officia erga Deum, independentè omnino a qualibet societate, homini esse necessaria, putandum est.

Pari ratione infirmitatem puffendorffianæ ratiocinationis in ea, quæ *suipsum officia* respicit, parte quisque de-

pre-

prehendet. Siquidem *e Religione* vult Puffendorſius *promanare officia hominis erga ſeipſum*: ex illa videlicet Religione, cujus tractationem omittit in Jure naturali *in genere* deſcribendo: ex illa ruruſus, quæ non alium ob finem eſt conſideranda, niſi quatenus civili inſerviat ſocietati. Unum ergo exhibet revera fontem, quamvis binos indicet, eruendi officia hominis erga ſeipſum, nempe *Studium ſocietatis*. Qui ergo extra ſocietatem vivat, proindeque ſocietati ſtudere minimè queat, nullum erga ſe officium dignoſcere poteſt? Si Adam ſine ſocio vixiſſet diutiùs, prout aliquo vixit temporis ſpatio, officia erga ſeipſum ignorâſſet? Erunt ergo officia omnia erga ſeipſum connexa, ac dependentia ab officiis erga ſocietatem? Quis hoc det Puffendorſio? Equidem puto neminem. Sed nec Puffendorſium ipſum operantem Puffendorſio ſcribenti id daturum, puto. At Puffendorſium ſic errantem relinquamus, cùm alibi (1) nonnulla de officiis *ad Deum*, atque *ad ſeipſum* ſpectantibus tradiderit.

Jure igitur optimo hominem ita conſtitutum voluimus, ut *primas* perfectæ ſuæ rationis cognitiones *Deo*, a quo vitam, rationem, ac cætera habet emolumenta, quibus fruitur, adſcriberet. Secundas partes *ſibi metipſi* tribueret, composito nempe ex anima, & corpore, pluribus ornato facultatibus, atque innatum erga partes hæcæ ſuas amorem experienti, ut felix modo aliquo eſſe poſſet. Tertias tandem officiorum partes deberet *aliis*, quos ſibi ſimiles in hiſce Terris animadvertit. Erga iſtos ſentit intra ſe propenſionem quamdam conjungendi ſe illis, & ſocietatem conſtituendi mutuorum officiorum, unde commune quoddam inter illos bonum exſurgat. Quare ſcribebat Tullius (2): *quoniam (ut præclare ſcriptum eſt a Platone) non nobis ſolum nati ſumus, ortuſque noſtri partem Patria vindicat, partem ami-*

(1) De Off. hom. & Civ. l. 1. c. 3, §. 13.

(2) Lib. 1. de Off. c. 7.

amici : atque , (ut placet stoicis) quæ in terris gignuntur , ad usum hominum omnia creari , homines autem hominum causâ esse generatos , at ipsi inter se aliis alii prodesse possent . Paucissimis omnia officia verbis conclusit Leibnitzius , ubi ait : Non nobis tantum nati sumus , sed partem nostri sibi alii vindicant , Deus totum (1) .

Officia autem hæc considerari possunt respectu hominis vel in statu *primitivo* , & *originario* , vel in statu *accessorio* , & *adventitio* . Profectò *officium hominis erga Deum* in statu primitivo , & originario est , *Actio ex debito conformanda legi naturæ : præcipienti cultum , seu religionem erga Deum , in quantum quidem naturalis ratio eam consequi potest* . Pro eo siquidem statu existit homo in absoluta dependentia a Deo , cui vitam , & bona cætera refert accepta , & cujus Beneficiæ , & Potentiæ effecta contemplatur , & experitur cum in aliis , tum in seipso . Et inde Deum tanquam supremum rerum omnium Dominum revereatur , & peculiari ratione tanquam Creatorem suum , & Conservatorem , & de unoquoque nostrum benemeritum ; unde excitari sentiet in animo suo motus venerationis , honoris , timoris , atque amoris ; & maximam cum ipsius voluntate consensionem , omnemque ejus mandatis obedientiam devovebit : juxta illud , quod Seneca appellat *Vetus præceptum* nempe : *Deum sequere* (2) . Et alibi tanquam a natura inditum præceptum adnotat : *Placeat homini , quidquid Deo placuit* (3) .

Officia hominis *erga seipsum* pro statu primitivo dignoscuntur , expendendo intimam hominis constitutionem , finem , & intentionem Creatoris in homine efformando , eoque dotando tot animi facultatibus , & corporis sensibus . Ex harum rerum contemplatione patebit , ad facultatum

(1) Leibn. in epist. cent. ad mol.

(2) De Vit. beata c. 15.

(3) Ep. 74.

tatum suarum veram perfectionem, corporisque conservationem pro naturali felicitate consequenda, dirigi debere hominis erga seipsum officia. Hujusmodi erga se amor legitimus, atque ordinatus est veluti basis, ac fundamentum omnium officiorum in homine adversum se. Dixi *legitimum*, atque *ordinatum*, ita nimirum ut Legislatoris voluntati non adverfetur, atque adeo, quæ a Deo mala sibi obveniunt, demisso animo excipiat. *In omnibus, quæ adversa videntur, & dura, sic formatus sum: Non pareo Deo, sed assentior; ex animo illum, non quia necesse est, sequor.* Hæc Seneca, (1) christianæ virtutis in statu naturali optimum exemplum. Definiri idcirco potest officium hominis erga seipsum: *Actio hominis ex debito conformanda legi nature præcipienti ordinatam amorem sui.*

Officia hominis erga Societatem pro eodem statu primitivo erui possunt eadem ratione, ac illa hominis erga seipsum. Profectò unusquisque a primo ortu suo complures alios sui similes circa se conspicit; idque non casu factum, sed ex Dei conditoris voluntate, cum potuisset homines solitarios creare. Inde sanè mens detegitur Creatoris de mutua socialitate. Accedit, quòd hominis ipsius facultates, propensiones naturales, infirmitates, indigentia hoc ipsum maximoperè confirment. *Quo alio tutè sumus*, ait Seneca (2), *quàm quòd mutuis juvumur officiis? hoc uno instructior vita, contraque incursiones subitas munitior est beneficiorum commercio. Fac nos singulos: quid sumus? præda animalium, & victima, ac vilissimus, & facillimus sanguis. Quoniam cæteris animalibus in tutelam sui satis virium est. Quæcunque vaga nascuntur, & actura vitam segregem, armata sunt: hominem imbecillitas cingit: non unguium vis, non dentium, terribilem cæteris fecit: nudam, & infirmam societas munit. Duas res dedit, quæ il-*

Tom. II.

B

lum

(1) Ep. 26.

(2) Lib. 4. de benef. c. 13.

lum obnoxium ceteris validissimum facerent, rationem, & societatem. Itaque qui par esse nulli posset, si diduceretur, rerum potitur. Societas illi dominium omnium animalium dedit; societas terris genitum in alienæ naturæ transmisit imperium; & dominari etiam in mari iussit. Hæc morborum impetus arcuit, senectuti adminicula prospexit, solatia contra dolores dedit; hæc fortes nos facit, quod licet contra fortunam advocare. Hanc tolle: & unitatem generis humani, qua vita susinetur, scindes. Inde mutuus erga alios amor, a quo, si rectus sit, & benè ordinatus officia adversus alios promanant.

Dixi pariformiter amorem erga alios *rectum*, & benè *ordinatum*: loco suo ostendam particulariter, quonam pacto ex tradita honestæ actionis norma rectus, & benè ordinatus amor procedat. Senecæ hic quoque præcepta nonnihil adjuvant (1). Quærit: *quomodo hominibus sit utendum? quid agimus? (ait) quæ dainus præcepta? ut parcatur sanguini humano? Quantulum est, ei non nocere, cui debeas prodesse? Magna scilicet laus est, si homo mansuetus homini est. Præcipientur, ut naufrago manum porrigat, erranti viam monstret, cum esuriente panem suum dividat? Quando omnia, quæ præstanda sunt, ac vitanda dicam, cum possim breviter hanc formulam humani officii tradere? Omne hoc quod vides, quo divina, atque humana conclusa sunt, unum est: membra sumus corporis magni. Natura nos cognatos edidit, cum ex iisdem, & in eadem gigneret. Hæc nobis amorem indidit mutuum, & sociabiles fecit: illa æquum, iustumque composuit: ex illius constitutione miserius est nocere, quàm lædi, & illius imperio paratæ sunt ad juvandum manus. Iste versus & in pectore, & in ore sit: Homo sum, humani nihil a me alienum puto. Habeamus in commune, quod nati sumus. Societas nostra lapidum fornicationi simillima est: quæ casura nisi invicem ob-*
sta-

(1) Epist. 95.

starent, hoc ipso suslinetur. Tullius pariter (1) aiebat: In hoc naturam debemus ducem sequi, & communes utilitates in medium asferre, mutatione officiorum, dando, accipiendo: tum artibus, tum operâ, tum facultatibus devincire hominum inter homines societatem.

Quare definiri potest officium hominis absolutum erga alios: *Actio, vel omisso actionis, quam homo ab homine exigere potest secundum obligationem naturæ omnibus communem, nullo supposito jure, per factum acquisito, sed cuiusvis connaturali.*

Atque hæc quidem officia hominem pro statu *absoluto primitivo*, & *in sui origine* spectant. Sunt & alia, quæ pertinent ad hominem pro statu *accessorio, adventitio, hypothetico*, in quo nempe vel ex facto proprio, vel alieno constitutum se sentiat. Pro hujusmodi statuum varietate, varia sunt hominis quæ erga seipsum, quæ erga alios peculiariora officia, de quibus loco suo. Profectò homo ex prima sui constitutione liber est, unâ tantum naturali lege obstrictus: æqualitate gaudens cum cæteris, & naturaliter nemini præter Deum subjectus. At verò in præsentis rerum statu pluribus est obnoxius legibus civilibus, & municipalibus, quibus sua ipsius libertas veluti limitibus concluditur: Rursus sibimetipsi vincula porrigit consequenter ad actus suos aliquos vel ex contractu, vel ex delicto. Potestati etiam humanæ subditus obedire, ejusque verbo morem gerere, conspicitur. Hæc autem omnia, atque alia complura non ex primæva hominis origine, sed ex hypothesi naturali juri consentanea ortum ducunt. Quæ sanè erunt in sequentibus libri hujus dissertationibus explicanda. Poterit igitur officium hominis hypotheticum sic definiri: *Actio, vel omisso actionis, quam homo ab homine potest exigere secundum aliquem statum adventitium, præsupposito nempe aliquo jure per factum acquisito.*

(1) De off. l. 1. c. 7.

Sunt, qui inter officia hominum inter se distinguunt *perfecta* ab *imperfectis*, quæ sanè dignoscere maximi interest. Officium *perfectum* est: *Actio*, vel *omissio actionis*, ad quam homo plene, rigorosè & veluti necessariò adstringitur; cui si deest, *Injustus* dicitur. Sic est, ut neminem lædat: ut cuique, quod suum est, tribuat. Officium verò *imperfectum* est: *Actio*, vel *omissio actionis*, ad quam homo non jure naturali, rigorosè tali, sed per modum *equitatis naturalis* obstringitur: unde si negligat, dici potest *Iniquus*. Sic est: *Viatori* digito *viam* indicare: *sitienti* *aquam* ex sua *profluente* *permittere*; *deliberanti* *consilium* dare, & similia.

Perfectò officia hæc tum *perfecta*, tum *imperfecta* si sunt *absoluta*, ad *Jus naturale* revocantur communiter: Officia verò *hypothetica* nonnulla ad *Jus ipsum naturale*, nonnulla etiam ad *Jus Gentium* reducuntur. Sic *ædificatio*, *munitio*, *Legatorum missio*, & *admissio*, *libera commercia*, *Jura belli*, *Fædera pacis*, atque alia, quæ, ut videbimus, ad *Jus Gentium* spectant, quamvis Puffendorfius, & plures alii contra Grotium, *Juris esse naturalis* autement.

HOMINUM OFFICIA
 ERGA DEUM THEORETICA
 DISSERTATIO I.

*Dei existentia contra Atheos . Dei Unitas contra Polytheos .
 Deus Incorporeus contra Materialistas . Dei
 Creatoris dominium in res omnes .*

UT a Deo O M. , cui omnia sunt referenda , exordiamur : duplicem veluti officiorum classem complectitur cultus , qui ex Jure naturæ Deo debetur . In altera sunt officia *theoretica* , in altera sunt officia *practica* : utraque autem sunt , quæ naturalem Religionem constituunt . Sanè Epictetus (1) sic scribit : *Religionis erga Deum immortalem præcipuum illud esse scito : rectas de eo habere opiniones , & parendum ei esse ultra* . Quod quidem effatum apud nationes cultas communissimè receptum est . Grotius (2) officia *theoretica* appellat , *notiones contemplativas* ; officia *practica* , *notiones activas* . Nos hic explicanda sumimus primi generis officia , in sequenti dissertatione de officiis practicis sermonem habebimus .

I. Primum , ac præcipuum officiorum omnium erga Deum illud est ex jure naturæ , credere nempe , *Deum existere , necessariò , & a se* . Optimè ait Seneca (3) : *Primus est Deorum cultus , Deos credere : deinde reddere illis majestatem suam , reddere bonitatem , sine qua nulla majestas est* . Adeo obstringimur ex lege naturali ad hoc officium , ut qui *Dei existentiam necessariam , & a se* negant , eo ipso negent , se ab eo causam existendi habere ; adeoque ejus imperio

(1) In Enchir. c. 39.

(2) De J. B. & P. l. 2. c. 20. §. 45.

(3) Ep. 95.

perio, & dominio se eximant, eoque jus Dei violent, & maximam illi injuriam irrogent. Exinde concipi licet, quale, quantumve scelus sit *Atheismus*, utpote quo Jus Deo quæsitum ab ejus Creatura aufertur. Neque miror, Athenienses horrore perculsos de Protagora acriter pronunciâsse teste Tullio (1): *Cum in principio libri sic posuisset (Protagoras): De Diis neque ut sint, neque ut non sint, habeo dicere. Atheniensium jussu urbe, atque agro est exterminatus, librique ejus in concione combusti.* Ipse autem Tullius nefarium adeo reputabat *Atheismum*, ut, dato ipso, omnia pessum iri in hominum societate existimaret: *Si Deum e mundo sustuleris, fidem, & societatem de genere humano, & unâ excellentissimam virtutem Justitiam auferre, necesse est* (2). Plutarchus itidem (3) asseruit: *Facilius urbem condi sine solo posse, puto; quàm, opinione de Diis sublata, civitatem coire, aut constare.*

Quare benè quoad hanc partem Buddeus (4) statuit: *Esse atheismum ejusmodi crimen, quod simul omnem virtutem, & honestatem, omneque juris divini pariter, & humani vinculum tollat, res ipsa docet. Unde & sequitur, in Republica benè constituta atheismum minimè tolerandum esse, quippe quo fundamenta, quibus salus, & tranquillitas Republicæ innititur, labefactantur, atque evertuntur penitus.* In eadem est sententia Puffendorfius (5), quamvis Masco-vius ibidem adnotat: *hic durius plerisque philosophari videtur (Puffendorfius), ubi Atheos etiam propter solum errorem puniendos esse, ait. Non negat tamen idem Masco-vius: Si hic error cum procacia eum propagandi conjunctus sit, seditionis reus videri possit Atheus, utpote qui, dum religio-*

(1) Lib. 1. de nat. Deor.

(2) Lib. 2. de nat. Deor.

(3) De Plac. Phil.

(4) P. 2. Instit. Theol. mor. c. 3. sect. 1. §. 18.

(5) De J. N. & G. l. 3. c. 4. §. 4.

ligionem spernere docet, sanctissimum societatis humanae vinculum rumpit, unde non minus puniri potest, quam qui doceat, licita esse furta, aut adulteria, aut a fide data recedi posse: etsi deinde sceleri errorem obtendat. Henricus Coccejus (1) sentit cum Grotio, posse summam potestatem non solum vindicare, sed etiam persequi bello alienos populos, si negant dari Deum, vel eum non curare res humanas, quod pertinent Dei abnegatio, seu atheismus &c. Ratio est, quia: cum causam humani generis tueri possimus, multo magis causam Dei.

Verum Samuel Coccejus inibi addit ex sua regula certa naturæ: *Non licere cuique, Atheos, aut alia crimina in Deum committentes punire: quia jus alterius non læditur, sed solius Dei, qui ipse suæ injuriæ vindex est.* Ex quo patet, ipsi Religionem unice colendam eatenus esse, quatenus ad commune bonum hominum conferat. Est autem error hic in 1. tomo diff. 5. a nobis reprobatus. Patet hoc ex iis, quæ idem Samuel Cocceii habet (2) ubi quærens: *An Magistratus crimina in Deum commissa punire possit? Equidem, ait, constitutis civitatibus, nulla ratio dubitandi supereft, Magistratum non tantum in violatores cultus naturalis, sed & in eos, qui modum colendi publicâ auctoritate præscriptum violant, animadvertere posse.* In fine tamen capituli negat contra Grotium; *bella in gentes propter atheismum, idololatriam, aut aliam impietatem licita esse.* Grotio tamen assentitur Henricus, ut vidimus; & longè melius. Quæ enim tradit Samuel Coccejus, illorum favent impietati, qui Dei existentiam propter bonum rei-publicæ propositam fuisse dixerunt: de quibus Cicero (3): *ii, qui dixerunt, totam de Diis immortalibus opinionem factam esse ab hominibus sapientibus Reipublicæ causâ, ut,*
quos

(1) In Comm. ad l. 2. c. 20. §. 40.

(2) In dissert. xii. l. 2. c. 1.

(3) Lib. 1. de Nat. Deor.

quos Ratio non posset, eos ad officium Religio duceret: nonne omnem Religionem funditus sustulerunt?

Quàm malè etiam ratiocinatur Hobbes (1) asserens. *Atheos non esse Dei subditos, quia Deum esse, non credunt. Et alibi idem repetit (2). Argumentum ejus est, quod: Atheus nunquam voluntatem suam Dei voluntati subjecit, ut quem ne esse quidem opinatus fuerit. Summum autem imperium neminem in nos habere, quod non sit ei nostro consensu delatum. Adeoque cum Atheus nunquam sub regno Dei fuerit, legibus quoque ejus regni ipsum non obligari. At verò, ut benè hic observat Puffendorfius (3), falsissimum est, omne imperium constitui consensu eorum, quibus imperatur. Et quamvis de imperio humano velit quis ita opinari (de quo loco suo); quis unquam dixerit, Deo non esse jus imperandi suæ Creaturæ, nisi illa ultro in ipsius imperium contenderit? Idcirco contra Hobbesium rectè concludit Puffendorfius ib. *Unde & Athei haudquidquam, propriè loquendo, hostes Dei sunt: sed rebelles subditi, qui que adeo crimine læsæ majestatis divinæ se obstrinxerunt.**

Duas proinde distinguamus, oportet, Atheorum classes: I. eorum est, qui a mentis stupiditate Deum non agnoscunt, quando videlicet vitii animus veluti obrutuerit, & rationis lumen extinctum propè sit. Atheismus hic rarus est, ajente Augustino (4): *Pauci inveniuntur tantæ impietatis, ut impleatur in eis, quod scriptum est. Dixit Insipiens in corde suo, non est Deus.* II. classis est eorum, qui perversâ nimis voluntate, ut nempè liberiùs peccent, & quibusvis voluptatibus fruantur, seipsos excæcant, & voluntariè Judicem, Inspectorèmqve suarum actionum negant. Atque hoc in numero plures esse, experientia ipsa suadet:

& Ma-

(1) C. 15. §. 2. de Cive.

(2) Leviath. c. 31.

(3) De J. N. & G. l. 3. c. 4. §. 4.

(4) I. Pl. 13.

& Mascovius l. c. optimè subdit : *Cùmque hac hominum* (libenter, & cum voluptate in Atheismo errantium) *multitudine sæculum nostrum abundet, Reipublicæ interest, hinc quoque interdum aliquid exemplo dari; scilicet in illos animadvertere.*

Cæterùm dari Atheos ex mera, simplicique ignorantia, si usu rationis perfecto polleant, negant plerique. Profectò Tullius (1) aiebat : *Qui dubitet (Deum existere), baud sanè intelligo, cur non idem, sol sit, an nullus sit, dubitare possit. Quid enim est hoc illo evidentius? Et ibi. Esse igitur Deos, ita perspicuum est, ut, id qui neget, vix eum sanæ mentis existimem.* Patet rursus ex eo, quòd ferè penes omnes Gentes firma, sanctaque fuerit de Dei existentia opinio. Aristoteles (2) ait : *Omnes homines notionem Deorum habent, omnesque summum locum divino cuidam numini assignant tum græci, tum barbari.* Et Tullius (3) ait : *quæ est enim gens, aut quod genus hominum, quod non habeat sine doctrina anticipationem quamdam Deorum?* Et paulò post : *Cùm enim non instituto aliquo, aut more, aut lege sit opinio constituta, maneatque ad unum omnium firma consensio: intelligi necesse est, esse Deos; quoniam infitas eorum, vel potius innatas cognitiones habemus. De quo autem omnium natura consentit, id verum esse necesse est. Esse igitur Deos, confitendum est. Quod quoniam ferè constat inter omnes non philosophos solùm, sed etiam indoctos: fateamur constare illud etiam, hanc nos habere sive anticipationem, ut ante dixi, sive prænotionem Deorum.* Quam sanè communem consensionem non infirmant ea, quæ ab aliquibus temerè traduntur, de nonnullis gentibus sic immanitate efferatis, ut apud eas nulla sit Dei sententia. Siquidem vel de hisce narrationibus non satis constet, vel

Tom. II.

C

pro-

(1) Lib. 2. de nat. deor.

(2) Lib. 1. de Cælo c. 3.

(3) Lib. 1. de nat. Deor.

propter mentis hebetudinem in aliquibus, sive stupiditatem non possit argumentum duci ad omnes ejusdem regionis incolas; vel ex vocis ipsius ignoratione male inferatur, eos Deum non agnoscere: idcirco Atheismus integrarum nationum non subsistit; ut egregie demonstrat Joannes Ludovicus Fabricius (1). Tullius (2) ait: *nulla est gens tam barbara, quæ non fateatur, esse aliquem Deum, adeo quidem, ut homines falsum Deum habere malint, quàm nullum.*

Quare Deum existere est principium vel per se notum, vel facili negotio a rationabili mente dignoscendum. Profectò ex Tullii sententia primum illud est: habet enim expressè hoc pluribus in locis, ubi de natura Deorum. Clarissimè (3) *Itaque inter omnes omnium Gentium constat (omnibus enim innatum est, & in animo quasi insculptum) esse Deos.* Si igitur inter ideas innatas seu potius connaturales ista Dei accensetur, ut videlicet intellectus tantummodo, & benè explicatis notionibus, naturalis ratio de se ad illam affirmandam accedat: sequitur consequenter, Dei existentiam esse citra argumenta extrinseca per se notam. Et certè fieri non potest, ut animo concipiatur *Ens perfectissimum*, qualis est *Deus*: quin statim illud *existere* intelligatur: aliàs perfectissimum apprehenderetur, & non perfectissimum: perfectissimum ex hypothesi; reipsa non perfectissimum, quia careret existentia, quæ omnium perfectionum prima est, ac fundamentum aliarum, & illo perfectius aliquid cogitare posset. Optimum est argumentum hoc, & a Divo Anselmo mutuatum (4) ejusque verba referre juvat: *Ergo Domine, .. credimus, te esse aliquid, quo nihil majus cogitari possit. An ergo non est aliqua talis natura, quia dixit Insipiens in corde suo: non est Deus? Sed certè idem ipse Insipiens, cum audit hoc ipsum quod dico,*
ali-

(1) In Apologetico pro genere humano contra calumniam Atheismi.

(2) Lib. 1. tuscul. quæst.

(3) Lib. 2.

(4) In Prolog. idest alloquio c. 2.

aliquid, quo majus nihil cogitari potest, intelligit: quod audit, & quod intelligit, in intellectu ejus est, etiamsi non intelligat, illud esse.... Et certè, id quo majus cogitari nequit, non potest esse in intellectu solo. Si enim vel in solo intellectu est, potest cogitari esse & in re, quod majus est. Si ergo id, quo majus cogitari non potest, est in solo intellectu: id ipsum, quo majus cogitari non potest, est quo majus cogitari potest: sed certè hoc esse non potest. Existit ergo proculdubio aliquid, quo majus cogitari non valet & in intellectu, & in re.

Accedunt oracula Scripturarum. Sic (1) *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine*. Quod de cognitione Dei summi boni hominis intelligit Augustinus (2): *Hoc lumen est totum hominis, & verum bonum, quod non oculis, sed mente concipitur. Signatum autem dixit in nobis, tanquam denarius signatur Regis imagine. Homo enim factus est ad imaginem, & similitudinem Dei, quam peccando corrumpit*. Alibi (3): *Regnum Dei intra vos est*. Quem locum de innata hominis Dei notione intelligit S. Athanasius (4): *Quia intus in nobismetipsis fidem, regnumque Dei habemus, facile possumus universitatis Rectorem salutare, verbum intelligere, & contemplari*. Et S. Greg. Nyssenus (5) ait: *Opinio de numine divino naturaliter quidem insita est omnibus hominibus, sed ignorantia veri Dei peccatur circa id, quod colitur*.

Sed ad probandam Dei existentiam, (etsi nolimus asserere innatam in nobis hujus existentie ideam) plurima sunt argumenta, quorum aliqua ita naturali rationi sunt factis obvia, ut confundi rubore potuerit Hobbes, nisi ve-

C 2

recun-

- (1) Psal. 4. v. 7.
- (2) In hunc locum n. 8.
- (3) Lucæ 17. v. 21.
- (4) Orat. contra Gentes:
- (5) Orat. 5. que est de Beatitudinibus.

recundiam omnem exuisset, asserendo: ita *difficile esse naturali ratione Deum investigare, quemadmodum est invenire proportionem sphaerae ad cylindrum*. Profectò natura rerum omnium: ordo: & proportio quæ in Universo conspiciuntur, existentiam Dei facillè probant. Etenim ubi res creatæ sunt, ibi earum causa esse debet; rursus Ordo, & Proportio earum ostendunt causam intelligentem, & sapientissimam. Quod utique argumentum exponit Tullius (1): *Quarum rerum adspectus ipse satùs indicaret, non esse ea fortuita. Ut si quis in domum aliquam, aut in gymnasium, aut in forum venerit, cum videat omnium rerum rationem, modum, disciplinam, non possit ea sine causa fieri judicare, sed esse aliquem intelligat, qui præsit, & cui pareatur: multo magis in tantis motionibus, tantisque vicissitudinibus, tam multarum rerum, atque tantarum ordinibus, in quibus nihil unquam immensa, & infinita vetustas mentita sit, statuatur, necesse est, ab aliqua mente tantos naturæ motus gubernari.*

Verùm aliud magis arridet argumentum, quod apud Tullium ibidem pronunciabat Chrysippus acerrimo vir ingenio, sed ita ut ab ipsa natura didicisse, non ut ipse reperisse videretur; (verbis utar Auctoris ipsius): *Si est aliquid in rerum natura, quod hominis mens, quod ratio, quod vis, quod potestas humana efficere non possit: est certè id, quod illud efficit, homine melius. Atqui res caelestes, omnesque eæ, quarum est ordo sempiternus, ab homine confici non possunt. Est igitur id, quo illa conficiuntur, homine melius. Id autem quid potius dixeris, quàm Deum? Etenim si dii non sunt, quid esse potest in rerum natura homine melius? In eo enim solo ratio est, quæ nihil potest esse præstantius. Esse autem hominem, qui nihil in omni mundo melius esse quàm se putet, desipientis arrogantia est. Ergo est aliquid melius. Est igitur profectò Deus. Hæc sanè, atque alia argumenta.*

(1) Lib. 2. de nat. Deor.

gumenta ex naturæ ipsius contemplatione humana ratio facili negotio concipit, eorumque vim animus non omnino corruptus intimè sentit, & nisi præposterum novitatis studium, aut pravum ingenium mentem abducat, extrinsecùs pronèteatur, oportet.

Sed & peculiarem de Dei existentia demonstrationem demus, ad Atheismi scilicet evidentem confutationem.

Vel Deus non est possibilis: vel si possibilis est Deus, dici debet necessariò existens. Atqui *Deum esse possibilem* est metaphysicè evidens, ita nempe, ut, eo intellecto, mens nequeat non assentiri. Etenim *Deus* nobis exhibetur sub idea Entis perfectissimi, habentis nempe omnem perfectionem sine ullo defectu, & quidem ex naturali ratione teste Sexto Empirico (†) *quod est perfectum, & optimum, & homine præstantius, atque omnibus absolutum virtutibus, nulliusque mali capax*. Sub hac autem idea apparet metaphysicè evidens Dei possibilitas: nullum enim Dei attributum, seu nulla perfectio est de se opposita alteri perfectioni; secus illa perfectio alteri opposita non esset in suo genere perfecta, vel illam destrueret; quod repugnat. Atque hoc satis est ad firmandam possibilitatem rei sub evidentia metaphysica. Posità autem possibilitate Entis perfectissimi, nempe Dei; inferri debet *necessitas semper existendi*; quod patet sic: Ens perfectissimum, quod esset possibile, & *actu non existeret*: esset simul possibile, & simul impossibile. Siquidem esset possibile ex hypothesi: non esset possibile, quia, si non existeret, non esset, a quo posset existere. Non enim posset existere a se, ut patet: nam quod non est, non potest agere: neque ab alio; etenim fieri ab alio non est perfectio perfectissima. Et causa ipsius Entis, positi perfectissimi, esset ipsum Ens perfectissimum, adeoque Deus; nam contineret omnes omnino perfectiones. Ergo repugnat simul Ens perfectissimum non existens semper, a se, & necessariò:

hæ

(†) Lib. 8. contra Mathem.

hæ namque sunt perfectiones constituentes Ens perfectissimum, nempe *necessitas existendi, semper, & a se*.

Ut patet, hæc demonstratio de unius Dei natura procedere potest, & quidem lumen ipsum rationis non prætergreditur, etsi aliquanto sublimis sit, & non satis ad cuiusque captum accommodata.

Aliæ etiam sunt viæ ad hanc Dei existentiam demonstrandam, & quidem a posteriori, ut ajunt scholæ, seu ab effectibus. Constat hoc ex divinis Scripturis. Sic (1) habemus: *A magnitudine speciei, & Creaturæ cognoscibiliter poterit Creator horum videri.* (2) *Quod notum est Dei, manifestum est in illis* (videlicet Ethnicis): *Deus enim illis manifestavit. Invisibilia enim ipsius a Creatura mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur; sempiterna quoque ejus virtus, & divinitas: ita ut sint inexcusabiles.* Quæ sanè testimonia ostendunt, evidentem existentiam Dei notitiam haberi posse ex Creaturis; atque ita a SS. PP. intelliguntur. Augustinus (3) ait: *Potest (Deus) inveniri per Creaturas evidenter, dicente Apostolo: Invisibilia &c.* Hieronymus in dictum Apostoli locum ait: *Tam evidenter intellecta sunt, ut conspecta dicantur.* Quomodo autem a creaturarum rerum existentia poterit demonstratio de Dei existentia confici, ostendam illico.

Profectò Platonem constat, ex mundi conspectu, & rerum constanti vicissitudine, ac præsertim ex perpetuo cœlestium orbium motu, *Deum* agnovisse: ejusque existentiam ex dicto argumento probat in *x. de Legibus*, nec obscure in *Timæo* significat, atque alibi, ut observat Proclus in *Comment. in Tim.* Aristoteles pariter, alique ex rerum aspectabilium usu, ac præcipuè ex Cœlestium corporum motu ad unius moventis, & moderantis ista Dei notitiam

pro-

(1) Sap. 13.

(2) Ad Rom. 1.

(3) Tr. 2. in Evang. Jo.

profectus est ; ut ex 8. *Physic.* liquet . Pari ratiocinatione ad eandem Dei notitiam pervenere Epictetus , Sextus Empiricus , atque alii . Probari autem potest sic :

Pleræque res , quas videmus , nascuntur , intereunt , corrumpuntur . Ergo aut omnia nascuntur similiter , & pereunt : aut ad aliquid pervenitur , in quo sistit cogitatio nostra , quod neque natum sit , neque sit interiturum . Si prius illud verum putetur , semper erit aliquid , a quo alterum orietur : neque primum erit ullum , sed in infinitum progressa mens nullibi consistet . Quod sanè fieri non potest . Ergo primum concipi debet quippiam , quod per se , & a se existat , non ab alio , adeoque ex omni æternitate fuerit . Ab hoc igitur , tanquam a fonte profluit omne id , quod est : qui certè Deus est ab æterno existens a se , & rerum omnium Conditor , ac Præses .

Quod autem omnia , quæ existunt , habeant ab illo , ut existant , nec non tali modo quo existunt , nempe ut intelligant , ut sapiant , ut bona sint , prout sunt : patet . Etenim non aliunde ea habere possunt , quàm ab illo ; & quemadmodum ex eo , quòd multa sunt , & existunt , colligimus , unum esse primum existens , originem omnis existentiae : Sic ex eo , quod multa sapiunt , intelligunt , bona sunt , eò ducimur , ut agnoscamus quamdam primigeniam , atque increatam , summamque sapientiam , intelligentiam , ac bonitatem quippe non minùs in his , quàm in existentia vitanda est progressio in infinitum . Hujusmodi autem summa , æterna , atque increata bonitas , & sapientia , infinitè , ac sine ullo modo , ac mensura debet esse perfecta . Nam si certum modum perfectionis , ac limitem habeat , ab alio cum definiri , ac circumscribi , necesse est . Atqui superiorem nullum habet , a quo vel ut a principio pendeat : ab inferiore autem restringi nequit , quod superius est . Ergo prorsus infinitum est . Quod certè Deus est . Ergo existit Deus summus , æternus , infinitus , rerum omnium

CON-

conditor , qualem naturalis , & communis hominum sensus concipit .

Adversus hanc evidentem ratiocinationem nihil est , quod rationabiliter possit opponi . Etenim quod objicitur , Mundum extitisse *ab æterno* , nec *ab aliquo* , sed *a se* factum . quod Ocello lucano primùm , deinde Aristoteli visum est , pari evidentiam refellitur . Siquidem in Mundo , sive in hac rerum Universitate generationes , quæ nunc dantur , animantium existere debuerunt ab æterno : Sine his namque generationibus Universitas hæc , seu Mundus hic nequit existere . Expendamus speciem unam puta hominum . Horum generationes *necessariò* fieri debuerunt ab æterno , quemadmodum fiunt hodie , ut scilicet non repente ac orti sunt , sed interjecto aliquo tempore alios homines genuerint . Positâ autem hac successivâ , non verò simultaneâ generatione , (quam naturalis ratio necessariam omnino videt) : ruit omnino , quod constitutum fuit , *a nullo factum Mundum* . Nam quæcumque sit , aut concipiatur animo successio infinita : semper anterior alia esse debet , quæ cum fuit , nondum illa esse potuit : atque hæc nativitatum perpetuitas semper esse debet aliquo tempore posterior , quo nondum propter ætatis imbecillitatem extitit . Quare si nemo in infinita serie gignentium fingi potest , qui ex æterno genuerit ; consequens est , nullam omnino generationem ab æterno esse potuisse . Proinde initium aliquod fuit in tempore , gignendi . Quod si fuit , etiam Mundus ab initio aliquo factus sit , oportet .

Admittere autem cum Epicuro materiam ab æterno omnino *independentem* , ac deinde ex ipsa efformatum in tempore Mundum a Deo , est etiam rationi repugnans . Etenim congeries illa *a se* existens ab æterno debuit pariter *a se* habere quemdam ordinem , ac situm , qui sanè utpote *independens* non poterat ab alio exturbari : Siquidem *necessitas* illa , quæ in materiæ existentia ab æterno concipitur ,

pitur, concipi etiam debet in determinato illo ordine, ac situ, quo existerat. Quare, si deinde ab eo ordine fuit materia ipsa alterius jussu exturbata; quemadmodum subjectionem in sui mutatione situs indicavit, ita pariter in suamet existentia inferri debet. Repugnat ergo materia æterna omnino independens, & a se: adeoque suam existentiam, (quam aliunde constat fuisse in tempore) Deo Creatori debet acceptam.

II. Huic proximum officium erga Deum est circa ejus *Unitatem* quoad naturam, & essentiam. Profectò ratio naturalis non minùs evidenter ostendit, *Deum esse unum*, ac ostendit Deum existere. Hoc assero contra Grotium, qui (1) ait: *Cæteræ notiones (Dei) non æquè sunt evidentes, ut Deos plures uno non esse*. Etenim, si rectè omnia expendantur, eadem rationes, quæ *Deum esse* dicent, simul eum esse *Unum*, seu *unicum* demonstrant.

Profectò qui Deum cogitant, eum esse sentiunt, qui sit bonis omnibus absolutus; cui nihil accedere possit, neque decedere: in quo perfectà Sapientia sit, & Potestas, & Bonitas, & siquid aliud est, quod divinam naturam debeat. Hanc ethnici Philosophi de Deo mentem habuere, ut suprâ vidimus; & Seneca (2) ex eo, quòd Deo vilis voluptas non competat, infert hanc non esse bonam: *aut quod incredibile est, bona Deo desunt: aut hoc ipsum argumentum est, bona non esse, quæ Deo desunt*. Jam si duo sint Dii, aliquid esse oporteret, quo invicem differrent. Sanè quidquid illud est, quo Dii isti inter se discreparent, & quod in uno erit, deeritque alteri, divinum ac perfectissimum esse, necesse est: adeoque qui hoc careat, summâ re, ac perfectissimâ careat, oportet; ac propterea summum esse desinat. Atque, ut subtilissimè Boetius (3) colligit: Si

Tom. II.

D

duo

(1) Lib. 2. de J. B. & P. §. 47.

(2) Epist. 74.

(3) In 3. de consolat. Prosa 10.

duo sunt Dii, totidemque summa Bona, unum alterum non erit. Quare mancum, ac defectum erit: quia deerit illi summum Bonum, quod est alter Deus, a quo discrepat. *Quæ discrepant Bona, non esse alterum, quod sit alterum, liquet. Quare neutrum poterit esse perfectum, cum alterutri alterum deest. Sed quod perfectum non sit, id summum non esse, manifestum est. Nullo modo igitur quæ summa sunt bona, possunt esse diversa. Et Lactantius (1): Deorum virtutes, ac potestates infirmiores sint, necesse est; quia tantum singulis deerit, quantum in cæteris fuerit. Ita quanto plures, tanto minores erunt.*

Rursus duo illi, pluresve Dii, quorum singuli quippiam habent, quod non inest cæteris, melius, ac perfectius quiddam sunt simul universi, quàm separatim singuli. Majus enim bonum, ac perfectius est, quod pluribus bonis, perfectisque completur, quàm horum unumquodque, quod suo contentum careat alieno. Ergo ex eo, quòd Deus summum bonum constituitur, ac præcellens cæteris unum esse, necesse est. *Nam si plures sunt Dii, quomodo Dominum quemcunque summum bonum dicemus, cum aliud sit majus ipso, ipsa scilicet bonorum multitudo, quàm quislibet unus ex ea multitudine (2).*

Quare optimè inferri potest, eos, qui Deorum pluralitatem statuunt, revera Dei existentiam negare, indeque Jus Deo quæsitum auferre; atque ita injuriam Deo irrogare. Unde *Politheismus* crimen est naturale. Idcirco crimen hoc execrati sunt insignes Viri inter ethnicos, quorum testimonia collegit in primis Justinus (3) Athenagoras (4) Clemens Alexandr. (5) Lactantius (6) Cyrillus (7) Eusebius (8)

Ex

(1) Lib. 1. c. 3.

(2) Boet. l. c.

(3) In cohort. ad Græc. & lib. de Monarch.

(4) In orat. pro Christ.

(5) Lib. 7. Strom.

(6) Lib. 1. c. 3. 4. 5.

(7) Lib. 1. contra Jul.

(8) Lib. 13. de Præpar.

Ex his binos proferam, Orpheum nempe, & Pythagoram.
Ille inter alia hæc de Deo vero cecinit:

*Unicus est, per se existens, qui cuncta creavit.
Inque his ipse extat: nulli e mortalibus unquam
Lumine conspectus, mortales conspicit omnes.*

Et paulo post.

Magnum adeo præter Regem non alter habetur.

Pythagoras (1) hæc habet: *Deus quidem est unus. Is autem non est, ut quidam existimant, extra Mundum, sed in ipso totus; in toto circulo, præses omnis generationis, universorum temperatio, semper existens, & opifex suarum virium, & operum omnium: in cælo illuminator, omnium Pater, Mens, & Animatio totius circuli, omnium Motus.*

De *Polytheismo* Ethnicorum non desunt, qui illum excusare quodammodo conantur, obtendentes, multiplicem illam Deorum turbam Unum, eundemque significare Deum, pro variis effectis varia fortientem nomina. Sanè inter Stoicorum dogmata illud non postremum fuit, teste Diogene Laertio (2) *Deus pluribus nominibus appellatur, ut sunt potestates.* Et Orosius (3) hæc habet de ethnicis Philosophis, qui plures Deos non aliter ac plures unius Dei ministros intelligebant: *Dum intento mentis studio quærunt, scrutanturque omnia, unum Deum, auctorem omnium reperisse, ad quem unum omnia referuntur. Unde etiam nunc Pagani, quos jam declarata veritas de contumacia magis, quàm de ignorantia convincit, cum a nobis discutuntur:*

D 2

11011

(1) Apud Clementem in Protr.

(2) In vita Zenonis.

(3) Lib. 6. Hist. c. 1.

non se plures Deos sequi, sed sub uno Deo magno plures Ministros venerari, fatentur.

Hoc ipsum aliquo modo apud Tullium (1) colligi potest, & præsertim ubi plures Deos nominat, quos (ait) ex *magnis beneficiis* & a *Græciæ Sapientibus*, & a *majoribus suis constitutos* esse putat. Itaque tum illud, quod erat a Deo natum (scilicet beneficium) nomine ipsius Dei nuncupabant: ut cum *Fruges Cererem* appellamus; *Vinum autem Liberum*: ex quo illud Terentii: *Sine Cerere, & Libero friget Venus*: Tum autem res ipsa, in qua vis inest major aliqua sic appellatur, ut ea ipsa vis nominetur *Deus, ut Fides, ut Mens.*

Buddeus verò (2) sentit, malè Ethnicos posse a vero polytheismo defendi; citatque Augustinum, (3) & Lactantium (4). Sed hanc Buddei opinionem nihil moror, cum præsertim de omnibus Ethnicis sermo sit. Illud verò procacissimi Lutherani effatum, quòd apertam contineat calumniam adversus Catholicos, ferre minimè possum. Et quoniam hoc in loco Ecclesiæ Catholicæ Romanæ honor, & fides postulat, manus cum hæretico calumniatore conferere non verebor: quemadmodum enim hujusmodi Scriptores identidem, ut dixi, in Catholicos invehuntur: ita alienum a proposito meo non reputo, Catholicorum partes, quæ meæ sunt, pro viribus tueri. Buddeus itaque captà e polytheismo ethnicorum occasione subdit: *A gentiliis isto errore non præcul absunt, quidquid etiam dicant, Romanenses* (nos Catholicos innuit): *dum ingentem illam Sanctorum, Sanctorumque turbam mortalibus obtrudere an nituntur.* Hæc Buddeus. Ubi duo videtur nobis objicere, alterum, quòd cultum Sanctis tributum respicit: alterum, quòd

(1) In libris de Nat. Deor. lib. 2.

(2) P. 2. Instit. theol. mor. c. 3. sect. 1. §. 19.

(3) De Civ. lib. 4. c. 11.

(4) Lib. 4. div. Instit. c. 3.

quod Sanctorum ab Ecclesia Romana Canonizatorum multitudinem spectat ; nisi fortè innuere simul velit incautis lectoribus pro decernendo eo cultu nimiam in Ecclesia facilitatem, & incuriam .

Verùm ut a primo incipiam . Quantum ab errore gentilium recedat Catholicæ Romanæ Ecclesiæ cultus Sanctis exhibitus , satis superque ostendunt (quæ sanè ignorare Buddeus non poterat) Sacrosancti Tridentini Concilii decreta circa Sanctos , eorumque invocationem , & cultum (1) ubi expressè sic : *ut juxta Catholicæ , & Apostolicæ Ecclesiæ usum primævis Christianæ Religionis temporibus receptum , Sanctorumque Patrum consensionem , & Sacrorum Conciliorum decreta , in primis de Sanctorum intercessione , invocatione ... Fideles diligenter instruant , docentes eos , Sanctos unà cum Christo regnantes orationes suas pro hominibus Deo offerre , bonam , atque utile esse , suppliciter eos invocare ; & ob beneficia impetranda a Deo per Filium ejus Jesum Christum Dominum nostrum , qui solus noster Redemptor , & Salvator est , ad eorum orationes , opem , auxiliumque confugere .* Jam conferantur hæc Romanorum Catholicorum dogmata cum gentilium polytheismo , & cum sycophantæ Buddei paulo ante citatis verbis , & vesani hominis calumnia evanescet . Sed & ipsemet apertissimi mendacii confusionem non ferens subdit statim : *Non ignota sunt , quæ ad polytheismi suspensionem amolendam regerere soleant : sed quàm parùm hac ratione ad summam rei proficiant , jampridem demonstratum est ab aliis .* Ita Buddeus . Sed in hac ejus criminatione an *perfidiam* , an *perdicaciam* , an *ignorantiam* demirer , nescio . Etenim , quas modò protulimus Romanæ Catholicæ Ecclesiæ in citato Tridentino Concilio sanctiones , conformes omnino sunt Nicæni Concilii II. sanctionibus in Sæc. VIII. celebrati ; easque in eodem Sæculo Francofordiense Concilium sub Adriano I. explicavit fusiùs , ut sensus sit : non eundem videlicet cul-

(1) Scf. 25.

tum

Baptismi Sacramentum, & Cælestis Patriæ notitiam primus attulit, ab omnibus, sicut decet, honorificè venerentur. Ita ut uterque dies ab Ecclesiasticis, & Monasterialibus feriatuſ habeatur: nomenque ejuſdem B. Patris, & Doctõris noſtri Auguſtini in Litanis decantatione poſt S. Gregorii vocationem ſemper, dicatur. Quis hæc legens in ſæculo VIII. pro Sanctõrum cultu, & veneratione ſancita decreta, non agnoſcat perfeverantem adhuc eumdem omnino morem in Romana Catholica Eccleſia? Eodem ſæculo anno videlicet 761. in Romano Concilio ſub Paulo Papa 1. conſtitutum fuit in hæc verba: *Procurare ſtudui (loquitur Pontifex) ea, quæ ad cultum Dei, & dignam Sanctõrum pertineant venerationem, & maximâ roborationis cenſurâ confirmare.* Unde apertè innuuntur quædam de Sanctõrum veneratione decreta.

Anno 794. Concilium Francofordienſe Canone 42. decrevit: *Ut nulli novi Sancti colantur, aut invocentur, nec memoriæ eorum per vias erigantur: niſi Epifcopo approbante. Sed hi ſoli in Eccleſia venerandi ſint, qui ex auctoritate paſſionum, & vitæ merito electi ſunt.* Sententia ergo Canonis hæc eſt, non colendos novos Sanctos quocunque, & ad cujuſdam arbitrium; ſed illos ſolos, qui maturo præmiſſo examine electi eſſent, Epifcopo approbante. Quod certè decretum ad diluendam alteram criminationis Buddeanæ in Catholicos partem viam ſternit.

Equidem Sanctõrum cultus inter graviffimas a Chriſti Eccleſia cauſas fuit ſemper adnumeratus. Quare qui veteres Eccleſiaſticarum rerum hiftorias verſat, comperiet, Epifcoporum fuiſſe nedum de veneratione Sanctõrum, ſed etiam de circumſtantiis ſingulis venerationis, de die, de modo, deque aliis hujusmodi adjunctis conſtituere. Unde facilè dignoſcetur, quo ſenſu accipi debeat illud, quod per ora multorum circumfertur de Sanctis olim canonizatis merâ, ut ajunt, populi voce. Præcedebat quidem plerumque

que vox Populi, hoc est Populi plausus, laudes, concursus, & pia, sed merè privata, erga Defunctum veneratio: nisi tamen Episcopi comprobatio accessisset, nullus unquam Canonizati honores adeptus censebatur. Sanè hac super egregius est locus S. Optati milevitani (1), cùm de Lucilla potenti, ac factiosa Femina, Donatistis addictissima, ac Patrona, narrat, eam fuisse ab Archidiacono Ceciliano correptam, quod os nescio cujus hominis mortui, etsi martyris, sed nondum vindicati, libare dicebatur, cum confusione iratam discessisset. Quibus verbis Optatus significat, nefas fuisse venerari reliquias martyris alicujus non vindicati, hoc est nondum probati, & recepti. *Moris enim erat* (subdit Baronius) (2) *ut cùm aliquis martyrio occubisset, Episcopus, sub cujus ditione id accidisset, rem gestam scriberet ad Primatem Episcopum; a quo maturè, adhibitis in consilium collegis Episcopis, an inter Martyres esset recipiendus, decernebatur.* Citat pro hac re S. Augustinum (3).

Sed quoniam abusus in hoc genere quidam in finem sæc. viii. & initia sæc. ix. irreperant, (ut ex suprascripto Can. Francofordiensi, & ex Capitulari Caroli Magni, & ex Canone quodam Moguntino colligi potest) quod nimis properè, & Episcoporum judicio minimè expectato, ad Defunctum quempiam honorandum imprudentiùs prorumperent: idcirco eadem de causa factum judicatur, ut jam in his rebus de consulenda Apostolica Sede cæptum sit cogitari. Certè a sæculo nono, ac deinceps aperire sese clariùs incipiunt, & paulatim percrebescere Pontificiæ Canonizationes; nec defuere Viri graves, qui judicaverint, initia solemniorum Canonizationum per Romanos Pontifices sancitarum desumenda esse a Sæculo viii. Quod alii negant. Non est autem hujus loci rem hanc definire. Illud autem

Tom. II.

E

dici

(1) Lib. 1. adversus Parmenianum Episcopum Donatistam Sæc. iv.

(2) In not. ad Martyr. 2. Apr.

(3) In brevic. collat. die 3. Cap. 13.

dici potest, & pluribus monumentis probari, Romani Pontificis oraculum hoc in negotio interpellari consuevisse a Sæc. iv. usque ad Sæculum decimum; quo Eruditi viri ex Mabillonio, ac Papebrochio ponunt *primum indubitæ fidei monumentum de solenni per Romanum Pontificem canonizatione*, ut videre licet apud Baronium cum Annot. Pagi (1), Bollandos (2), Fontaninum (3). Joannes siquidem Papa xv. (ut narrat Sandini) (4) *tranquillum adeptus pontificatum ad memoranda reliqua S. Udalricum Episcopum Augustanum, inquirens in vitam ejus, atque miracula, congregato ad id Romæ Concilio, in Sanctorum numero habendum decrevit. Quo facta, initium solemnibus Canonizationibus dedit.*

Exinde in proposito persistens Sancta Christi Ecclesia in hujusmodi Causis, ubi Sanctitas purissimæ nostræ Religionis periclitatur, horrendum putat flagitium, omnimodam diligentiam, curam, & studium non impendere, ut testificationibus nullo pacto suspectis, sed fide dignis, seu martyrii veritas, seu heroicarum virtutum summa, quæ haberi humanitùs potest, certitudo innotescat. Quo facto, & repetito pluries examine, & expensis hinc inde momentis, ubi nullus superest prudentis dubii locus, tunc enim verò ad decernendos alicui sacros honores, invocata divini Numinis ope, Pontifex Romanus descendit. Quæ dixi, in comperto sunt apud omnes: neque enim Sanctorum Causæ vel clanculum, vel exclusis quibuscunque contrariis testibus agitantur. In aperto sunt omnia, a doctissimis viris expenduntur, discutiuntur, excipiuntur, quæcunque pro Sanctitate, & contra proferuntur: & nisi contraria omnia diluantur, frustra Pontificium oraculum expectabitur.

Qui-

- (1) Ad An. 993.
- (2) Dic 4. Julii.
- (3) In Cod. Canon.
- (4) In Vit. Pontif.

Quibus ritè perpenſis, quâ fronte repetet Lutheranus Buddeus: *ingentem obtrudi Sanctorum turbam?* Quòd Sanctorum numerus in Ecclesia Romana *ingens* ſit: inficiari nequeo. Sed Religionis veræ in Romana Catholica Ecclesia vigentis fructus hic eſt: plurimos videlicet accenſeri, vel ſanguinis pro Fide Chriſti fuſi, vel heroicarum virtutum merito inſignes. Quòd *obtrudantur*, apertiffimum eſt invidi æquè, ac obſtinati animi mendacium. Næ heterodoxi omnes paulò plus quàm Buddeus mentis habeant, ut ad Romanæ Eccleſiæ firmiſſimam veteribus Sanctorum Patrum decretis adhæſionem advertant, & Lutheranæ Eccleſiæ pernicioſas novitates, & perpetuas varietates ſuſpectas habeant, atque ita veritatem unius Catholicæ Eccleſiæ Romanæ amplectantur. *Neceſſe eſt omnibus Catholicis*, (ſic in ſuo Commonitorio hortabatur S. Vincentius Lirinensis an. 434.) *qui ſeſe Eccleſiæ legitimos Filios probare ſtudent, ut Sanctorum Patrum Fidei inhæreant, adglutinentur, immoriantur, profanas verò novitates deteſtantur, horreſcant, perſequantur. Concilio enim ephesino divinitus placuit, nihil aliud Poſteris credendum decernere, niſi quod ſacra ſibi conſentiens Sanctorum Patrum tenuiſſet antiquitas.* Quæ hæcenus dixi, neceſſaria exiſtimavi, ut tantæ calumniæ vel umbram ipſam diluerem, quam non deſinunt obcæcati etiam Recentiores Lutherani, uti Aſley Syches (1), & uterque Coccejus (2) identidem repetere.

III. Aliud Juris naturæ officium adverſus Deum eſt de ejus *Simplicitate*, quòd nempe *nullis conſtet partibus*, & ideo *incorporeus* ſit. Ratio enim naturalis perſuadet, eſſe Deo tribuendum, quod melius, ac perfectius eſt. Quamvis autem id ſit manifeſtum, a pluribus tamen neque ſolum e rudi populo, ſed e Philoſophis ipſis ethnicis Deus corporatus habitus eſt; in iſque quanto major litterarum,

E 2

ac

(1) In Exem. Fundam. & Connex. Relig. nat. & revel. to. 1. c. 14.

(2) Comment. ad Grot.

ac doctrinæ usus fuit, tantò turpior dici debuit inscitia: Horum opiniones ex antiquorum commentariis repeti possunt; velut ex Plutarcho (1), ex Sexto Empirico, ex libris Ciceronis (2), ubi Epicurum innuit, *ἄσωματον* Deum concipi posse negantem. Deus enim sine corpore, ajebat, *careat sensu, necesse est, careat etiam prudentiâ, careat voluptate: quæ omnia una cum Deorum notione comprehendimus*. Sic apud Ciceronem (3) Epicurus contra Platonem. Quin & Deos hominis formâ præditos mavult; hoc nempe argumento: *Quoniam Deos beatissimos esse constat, beatus autem esse sine virtute nemo potest, nec virtus sine ratione constare, nec ratio usquam inesse nisi in hominis figura; hominis esse specie Deos, confitendum est*. At quandoquidem indignum ipsi videbatur, ejusdem prorsus conditionis, ac nostræ, partes Corporis in Deo admittere; idcirco subdebat: *Nec tamen ea species Corpus est, sed quasi Corpus: nec habet sanguinem, sed quasi sanguinem*. Verùm ipsemet Cicero irridens tam leves, ut appellat, tamque ineptas sententias, asserit, Epicurum nihil dixisse, quod non modò philosophiâ dignum esset, sed mediocri prudentiâ. Et deinde: *Non pudet, (ait) Physicum, idest speculatorem, venatoremque naturæ ab animis consuetudine imbutis petere testimonium veritatis? Ad Epicuri argumentum foritis sic acutè respondet: Beatos esse Deos sumpsisti. Concedimus. Beatum autem sine virtute neminem esse posse. Id quoque damus, & libenter quidem. Virtutem autem sine ratione constare non posse. Conveniat id quoque, necesse est. Adjungis, nec rationem esse nisi in hominis figura. Quem tibi hoc daturum putas? Si enim ita esset, quid opus erat te gradatim istuc pervenire? Sumpsisses tuo jure. Quid autem est istuc gradatim? Nam a beatis ad virtutem, a virtutè ad rationem*
video

- (1) De Philosoph. placit.;
- (2) De Natura Deorum.
- (3) Lib. 1. de Nat. Deor.

video te venisse gradibus . A ratione ad humanam figuram quomodo accedis ? Præcipitare istuc quidem est , non descendere . Ad postremam deinde Epicuri sententiam sic falsè reponit : Nunc istud quasi corpus , & quasi sanguinem , quid intelligis ? . . Corpus quid sit , sanguis quid sit , intelligo : quasi corpus , & quasi sanguis quid sit , nullo prorsus modo intelligo .

Sed revera non apud Ethnicos præsertim Epicureos insana hæc opinio invaluit , sed & aliquos Fidei christianæ lumine imbutos sectatores habuit . De Melitone , ac Tertulliano non satis constat , utrum ex propria , an alienâ sententia loquuti sint ; & de Tertulliano observant communiter , eum usurpasse sic *corpus* , ut idem sit ac *substantia* . At Sæculo IV. Antropomorphitæ ab Audæo , quem Concilium Antiochenum damnavit an. 341. asseruerunt , Deum præditum esse formâ corporeâ , nostrisque similia habere membra . Nimirum , ut ajebat Augustinus (1) : *Nimis in hæc corporalia progressi , atque lapsi nihil aliud putant esse , quàm quod istis quinque nuntiis corporis sentiunt ; & quis ab iis plagas , atque imagines acceperunt , eas secum volvunt etiam , cùm conantur recedere a sensibus : & ex eorum mortifera , & fallacissima regula ineffabilia penetrabilia veritatis rectissimè se metiri putant .* Expressius autem alibi (2) : *Turpiter vana (inquit) cogitatio est , quæ opinatur , Deum membrorum corporalium lineamentis definiri , atque circumscribi .* Quantò autem melius lumine naturali de Deo opinatus est Cicero , quem laudat Augustinus (3) , ubi eum definiit : *Mens quædam soluta , & libera secreta ab omni concretionem mortali , omnia sentiens , & inævens .*

Plurima autem suppetit argumenta ratio naturalis ad probandum , non dari Deo *Corpus* . Alcinous ex Platonis disci-

(1) L. de util. Cred. c. 1.

(2) L. 12. de Trin.

(3) L. 22. de Civ. c. 20.

disciplina sic Deum ἀσώματον demonstrat . Corpus omne partibus constat : Est enim quantum . Jamverò pars est naturâ prior eo , quod ex partibus componitur . Atqui nihil esse in Deo potest prius , nihil posterius . Ergo . II. Ex no- tione Divinitatis Deus est simplex , & primum omnium : hujusmodi autem non esset , si ex materia constaret , & for- ma aliqua : quæ sanè simpliciora , & consequenter priora es- sent Deo . III. Opificem , & Auctorem sui haberet alterum . Quidquid enim ex partibus componitur , causam sui habet aliquam , quæ partes illas in unam copulet . Quæ sanè ra- tio probat , tum ne Deus credatur corpus esse merum ; tum etiam ne ex corpore concretus , & spiritu , aut ex parti- bus , quæ reipsa invicem distent .

Rursus ex communibus naturali rationi inditis Dei proprietatibus concipimur , Deum esse infinitum , & im- mensum aliquod , ac nullo conclusum termino : unde , re- ctè ratiocinando , inferri debet , partium , & compositio- nis esse expertem . Vulgatum est illud ex Virgilio (1) .

... Deum namque ire per omnes
Terrasque , tractusque maris , Cælumque profundum .

Accedit , quòd si Deus corpus esset , aut haberet , & non esset omnino simplex : daretur in eo majus quippiam , aut minus . Sic totum majus esset parte , & pars una minori parte major esset . Atqui Deus ex lumine ipso naturali in- dividuus est , & eo ipso simplicissimus .

Tandem , ut omnes penè rationes paucis complecta- mur , Novatiani verba ad demonstrandum Deum ἀσώματον usurpamus (2) : qui sic ait : *Idem (Deus) enim , quidquid illud est , totus equalis est , & totus ubique est . Non enim habet in se diversitatem sui , quidquid est simplex . Ea enim demum*

(1) IV. Georg.

(2) In lib. de Trin. c. 6.

deinum in diversitatem membrorum decidunt, quæ veniunt ex nativitate sui in dissolutionem. Sed hæc, quæ concreta non sunt, sentire non possunt. Quod enim immortale est, quidquid est, illud ipsum unum, & simplex, & semper est. Et ideo quia unum est, dissolvi non potest: quoniam quidquid est, illud ipsum extra Jus dissolutionis positum, legibus est mortis solutum.

At, inquires, in sacris Libris toties legimus, Deo membra corporis tribui, oculos, aures, manus, pedes. Rursum Imagines Dei Patris in Catholicorum templis quotidie observamus; quibus quidem ex Decreto Tridentini Concilii (1) debitus honor, & veneratio impertitur; non quoddam credatur inesse aliqua in iis divinitas, vel virtus, propter quam sint colenda; vel quoddam ab eis sit aliquod petendum, vel quoddam fiducia in imaginibus sit figenda, veluti olim fiebat a Gentibus, quæ in Idolis spem suam collocabant; sed quoniam honos, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illæ repræsentant &c. Ergo.

Verùm ad illud primum ex Philone didicimus (2) quoddam: mera hæc abusus nominum est, imbecillitati nostræ consulens. Et S. Thomas (3) explicat rem hanc talipaculo: Partes corporeæ attribuuntur Deo in Scripturis ratione suorum actuum secundum quamdam similitudinem. Sicut actus oculi est videre: unde oculus de Deo dictus significat virtutem ejus ad videndum, modo intelligibili, non sensibili; & simile est de aliis partibus. Quantum verò ad Imagines spectat, cultus omnis ad Prototypa refertur, non ad materiales ipsas imagines, juxta Tridentini doctrinam. Quare, cum in Scripturis legimus, (consulendo nimirum imbecillitati nostræ) Deum Patrem antiquum dierum sic Dani-

nielis

(1) Sess. 25.

(2) L. de Cain, & Abele.

(3) I. p. q. 3. ar. 1. ad 3.

quos Ratio non posset, eos ad officium Religio duceret: nonne omnem Religionem funditus sustulerunt?

Quàm malè etiam ratiocinatur Hobbes (1) asserens. *Atheos non esse Dei subditos, quia Deum esse, non credunt. Et alibi idem repetit (2). Argumentum ejus est, quod: Atheus nunquam voluntatem suam Dei voluntati subjecit, ut quem ne esse quidem opinatus fuerit. Summum autem imperium neminem in nos habere, quod non sit ei nostro consensu delatum. Adeoque cum Atheus nunquam sub regno Dei fuerit, legibus quoque ejus regni ipsum non obligari. At verò, ut benè hìc observat Puffendorfius (3), falsissimum est, omne imperium constitui consensu eorum, quibus imperatur. Et quamvis de imperio humano velit quis ita opinari (de quo loco suo); quis unquam dixerit, Deo non esse jus imperandi suæ Creaturæ, nisi illa ultro in ipsius imperium consenserit? Idcirco contra Hobbesium rectè concludit Puffendorfius ib. *Unde & Athei haudquidquam, propriè loquendo, hostes Dei sunt: sed rebelles subditi, quique adeo crimine læsæ majestatis divinæ se obstrinxerunt.**

Duas proinde distinguamus, oportet, Atheorum classes: I. eorum est, qui a mentis stupiditate Deum non agnoscunt, quando videlicet vitii animus veluti obrutuerit, & rationis lumen extinctum propè sit. Atheismus hic rarus est, ajente Augustino (4): *Pauci inveniuntur tantæ impietatis, ut impleatur in eis, quod scriptum est. Dixit Impiensus in corde suo, non est Deus.* II. classis est eorum, qui perversâ nimis voluntate, ut nempè liberiùs peccent, & quibusvis voluptatibus fruantur, seipsos excæcant, & voluntariè Judicem, Inspectorèmqve suarum actionum negant. Atque hoc in numero plures esse, experientia ipsa suadet:

& Ma-

(1) C. 15. §. 2. de Cive.

(2) Leviath. c. 31.

(3) De J. N. & G. l. 3. c. 4. §. 4.

(4) I. Pf. 13.

& Mascovius l. c. optimè subdit: *Cùmque hac hominum (libenter, & cum voluptate in Atheismo errantium) multitudine sæculum nostrum abundet, Reipublicæ interest, hinc quoque interdum aliquid exemplo dari; scilicet in illos animadvertere.*

Cæterùm dari Atheos ex mera, simplicique ignorantia, si usu rationis perfecto polleant, negant plerique. Profectò Tullius (1) aiebat: *Qui dubitet (Deum existere), haud sanè intelligo, cur non idem, sol sit, an nullus sit, dubitare possit. Quid enim est hoc illo evidentius? Et ibi. Esse igitur Deos, ita perspicuum est, ut, id qui neget, vix eum sanæ mentis existimem.* Patet rursus ex eo, quòd ferè penes omnes Gentes firma, sanctaque fuerit de Dei existentia opinio. Aristoteles (2) ait: *Omnes homines notionem Deorum habent, omnesque summum locum divino cuidam numini assignant tum græci, tum barbari.* Et Tullius (3) ait: *quæ est enim gens, aut quod genus hominum, quod non habeat sine doctrina anticipationem quamdam Deorum?* Et paulò post: *Cùm enim non instituto aliquo, aut more, aut lege sit opinio constituta, maneatque ad unum omnium firma consensus: intelligi necesse est, esse Deos; quoniam infitas eorum, vel potiùs innatas cognitiones habemus. De quo autem omnium natura consentit, id verum esse necesse est. Esse igitur Deos, confitendum est. Quod quoniam ferè constat inter omnes non philosophos solùm, sed etiam indoctos: fateamur constare illud etiam, hanc nos habere sive anticipationem, ut ante dixi, sive prænotionem Deorum.* Quam sanè communem consensionem non infirmant ea, quæ ab aliquibus temerè traduntur, de nonnullis gentibus sic immanitate efferatis, ut apud eas nulla sit Dei sententia. Siquidem vel de hisce narrationibus non satis constet, vel

Tom. II.

C

pro-

(1) Lib. 2. de nat. deor.

(2) Lib. 1. de Cœlo c. 3.

(3) Lib. 1. de nat. Deor.

propter mentis hebetudinem in aliquibus, sive stupiditatem non possit argumentum duci ad omnes ejusdem regionis incolas; vel ex vocis ipsius ignoratione malè inferatur, eos Deum non agnoscere: idcirco Atheismus integrarum nationum non subsistit; ut egregiè demonstrat Joannes Ludovicus Fabricius (1). Tullius (2) ait: *nulla est gens tam barbara, quæ non fateatur, esse aliquem Deum, adeo quidem, ut homines falsum Deum habere malint, quàm nullum.*

Quare Deum existere est principium vel per se notum, vel facili negotio a rationabili mente dignoscendum. Profectò ex Tullii sententia primum illud est: habet enim expressè hoc pluribus in locis, ubi de natura Deorum. Clarissimè (3) *Itaque inter omnes omnium Gentium constat (omnibus enim innatum est, & in animo quasi insculptum) esse Deos.* Si igitur inter ideas innatas seu potiùs connaturales ista Dei accensetur, ut videlicet intellectus tantummodo, & benè explicatis notionibus, naturalis ratio de se ad illam affirmandam accedat: sequitur consequenter, Dei existentiam esse citra argumenta extrinseca per se notam. Et certè fieri non potest, ut animo concipiatur *Ens perfectissimum*, qualis est *Deus*: quin statim illud *existere* intelligatur: aliàs perfectissimum apprehenderetur, & non perfectissimum: perfectissimum ex hypothese; reipsa non perfectissimum, quia careret existentia, quæ omnium perfectionum prima est, ac fundamentum aliarum, & illo perfectius aliquid cogitare posset. Optimum est argumentum hoc, & a Divo Anselmo mutuatum (4) ejusque verba referre juvat: *Ergo Domine, ... credimus, te esse aliquid, quo nihil majus cogitari possit. An ergo non est aliqua talis natura, quia dixit Insipiens in corde suo: non est Deus? Sed certè idem ipse Insipiens, cum audit hoc ipsum quod dico,*
ali-

(1) In Apologetico pro genere humano contra calumniam Atheismi.

(2) Lib. 1. tuscul. quæst.

(3) Lib. 2.

(4) In Prolog. idest alloquio c. 2.

aliquid, quo majus nihil cogitari potest, intelligit: quod audit, & quod intelligit, in intellectu ejus est, etiamsi non intelligat, illud esse.... Et certè, id quo majus cogitari nequit, non potest esse in intellectu solo. Si enim vel in solo intellectu est, potest cogitari esse & in re, quod majus est. Si ergo id, quo majus cogitari non potest, est in solo intellectu: id ipsum, quo majus cogitari non potest, est quo majus cogitari potest: sed certè hoc esse non potest. Existit ergo proculdubio aliquid, quo majus cogitari non valet & in intellectu, & in re.

Accedunt oracula Scripturarum. Sic (1) *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine*. Quod de cognitione Dei summi boni hominis intelligit Augustinus (2): *Hoc lumen est totum hominis, & verum bonum, quod non oculis, sed mente concipitur. Signatum autem dixit in nobis, tanquam denarius signatur Regis imagine. Homo enim factus est ad imaginem, & similitudinem Dei, quam peccando corrumpit*. Alibi (3): *Regnum Dei intra vos est*. Quem locum de innata hominis Dei notione intelligit S. Athanasius (4): *Quia intus in nobismetipsis fidem, regnumque Dei habemus, facile possumus universitatis Rectorem salutare, verbum intelligere, & contemplari*. Et S. Greg. Nyssenus (5) ait: *Opinio de numine divino naturaliter quidem insita est omnibus hominibus, sed ignorantia veri Dei peccatur circa id, quod colitur*.

Sed ad probandam Dei existentiam, (etsi nolimus asserere innatam in nobis hujus existentie ideam) plurima sunt argumenta, quorum aliqua ita naturali rationi sunt satis obvia, ut confundi rubore potuerit Hobbes, nisi ve-

C 2

recun-

- (1) Psa. 4. v. 7.
- (2) In hunc locum n. 8.
- (3) Lucæ 17. v. 21.
- (4) Orat. contra Gentes:
- (5) Orat. 5. quæ est de Beatitudinibus.

recundiam omnem exuisset, asserendo: ita *difficile esse naturali ratione Deum investigare, quemadmodum est invenire proportionem sphaerae ad cylindrum*. Profectò *natura rerum omnium: ordo: & proportio* quæ in Universo conspiciuntur, existentiam Dei facillè probant. Etenim ubi res *creatae* sunt, ibi earum causa esse debet; rursus *Ordo, & Proportio* earum ostendunt causam intelligentem, & sapientissimam. Quod utique argumentum exponit Tullius (1): *Quarum rerum aspectus ipse satis indicaret, non esse ea fortuita. Ut si quis in domum aliquam, aut in gymnasium, aut in forum venerit, cum videat omnium rerum rationem, modum, disciplinam, non possit ea sine causa fieri judicare, sed esse aliquem intelligat, qui praesit, & cui pareatur: multo magis in tantis motionibus, tantisque vicissitudinibus, tam multarum rerum, atque tantarum ordinibus, in quibus nihil unquam immensa, & infinita vetustas mentita sit, statuat, necesse est, ab aliqua mente tantos naturæ motus gubernari.*

Verùm aliud magis aridet argumentum, quod apud Tullium ibidem pronunciabat Chrysippus acerrimo vir ingenio, sed ita ut ab ipsa natura didicisse, non ut ipse reperisse videretur; (verbis utar Auctoris ipsius): *Si est aliquid in rerum natura, quod hominis mens, quod ratio, quod vis, quod potestas humana efficere non possit: est certè id, quod illud efficit, homine melius. Atqui res caelestes, omnesque ea, quarum est ordo sempiternus, ab homine confici non possunt. Est igitur id, quo illa conficiuntur, homine melius. Id autem quid potius dixeris, quàm Deum? Etenim si àii non sunt, quid esse potest in rerum natura homine melius? In eo enim solo ratio est, quæ nihil potest esse præstantius. Esse autem hominem, qui nihil in omni mundo melius esse quàm se putet, desipientis arrogantia est. Ergo est aliquid melius. Est igitur profectò Deus. Hæc sanè, atque alia argumenta.*

(1) Lib. 2. de nat. Deor.

gumenta ex naturæ ipsius contemplatione humana ratio facili negotio concipit, eorumque vim animus non omnino corruptus intimè sentit, & nisi præposterum novitatis studium, aut pravum ingenium mentem abducat, extrinsecus præteatur, oportet.

Sed & peculiarem de Dei existentia demonstrationem demus, ad Atheismi scilicet evidentem confutationem.

Vel Deus non est possibilis: vel si possibilis est Deus, dici debet necessariò existens. Atqui *Deum esse possibilem* est metaphysicè evidens, ita nempe, ut, eo intellecto, mens nequeat non assentiri. Etenim *Deus* nobis exhibetur sub idea Entis perfectissimi, habentis nempe omnem perfectionem sine ullo defectu, & quidem ex naturali ratione teste Sexto Empirico (†) *quod est perfectum, & optimum, & homine præstantius, atque omnibus absolutum virtutibus, nulliusque mali capax*. Sub hac autem idea apparet metaphysicè evidens Dei possibilitas: nullum enim Dei attributum, seu nulla perfectio est de se opposita alteri perfectioni; secus illa perfectio alteri opposita non esset in suo genere perfecta, vel illam destrueret; quod repugnat. Atque hoc satis est ad firmandam possibilitatem rei sub evidentia metaphysica. Positâ autem possibilitate Entis perfectissimi, nempe Dei; inferri debet *necessitas semper existendi*; quod patet sic: Ens perfectissimum, quod esset possibile, & *actu non existeret*: esset simul possibile, & simul impossibile. Siquidem esset possibile ex hypothesi: non esset possibile, quia, si non existeret, non esset, a quo posset existere. Non enim posset existere a se; ut patet: nam quod non est, non potest agere: neque ab alio; etenim fieri ab alio non est perfectio perfectissima. Et causa ipsius Entis, positi perfectissimi, esset ipsum Ens perfectissimum, adeoque Deus; nam contineret omnes omnino perfectiones. Ergo repugnat simul Ens perfectissimum non existens semper, a se, & necessariò:

hæ

(†) Lib. 8. contra Mathem.

hæ namque sunt perfectiones constituentes Ens perfectissimum, nempe *necessitas existendi, semper, & a se*.

Ut patet, hæc demonstratio de unius Dei natura procedere potest, & quidem lumen ipsum rationis non prætergreditur, etsi aliquanto sublimis sit, & non satis ad cuiusque captum accommodata.

Aliæ etiam sunt viæ ad hanc Dei existentiam demonstrandam, & quidem a posteriori, ut ajunt scholæ, seu ab effectibus. Constat hoc ex divinis Scripturis. Sic (1) habemus: *A magnitudine speciei, & Creaturæ cognoscibiliter poterit Creator horum videri.* (2) *Quod notum est Dei, manifestum est in illis* (videlicet Ethnicis): *Deus enim illis manifestavit. Invisibilia enim ipsius a Creatura mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur; sempiterna quoque ejus virtus, & divinitas: ita ut sint inexcusabiles.* Quæ sanè testimonia ostendunt, evidentem existentiam Dei notitiam haberi posse ex Creaturis; atque ita a SS. PP. intelliguntur. Augustinus (3) ait: *Potest (Deus) inveniri per Creaturas evidenter, dicente Apostolo: Invisibilia &c.* Hieronymus in dictum Apostoli locum ait: *Tam evidenter intellecta sunt, ut conspecta dicantur.* Quomodo autem a creaturarum rerum existentia poterit demonstratio de Dei existentia confici, ostendam illico.

Profectò Platonem constat, ex mundi conspectu, & rerum constanti vicissitudine, ac præsertim ex perpetuo cælestium orbium motu, *Deum* agnovisse: ejusque existentiam ex dicto argumento probat in *x. de Legibus*, nec obscurè in *Timæo* significat, atque alibi, ut observat Proclus in *Comment. in Tim.* Aristoteles pariter, aliique ex rerum aspectabilium usu, ac præcipuè ex Cælestium corporum motu ad unius moventis, & moderantis ista Dei notitiam pro-

(1) Sap. 13.

(2) Ad Rom. 1.

(3) Tr. 2. in Evang. Jo.

profectus est ; ut ex 8. *Physic.* liquet . Pari ratiocinatione ad eandem Dei notitiam pervenere Epictetus , Sextus Empiricus , atque alii . Probari autem potest sic :

Pleræque res , quas videmus , nascuntur , intereunt , corrumpuntur . Ergo aut omnia nascuntur similiter , & pereunt : aut ad aliquid pervenitur , in quo sistit cogitatio nostra , quod neque natum sit , neque sit interiturum . Si prius illud verum putetur , semper erit aliquid , a quo alterum orietur : neque primum erit ullum , sed in infinitum progressa mens nullibi consistet . Quod sanè fieri non potest . Ergo primum concipi debet quippiam , quod per se , & a se existat , non ab alio , adeoque ex omni æternitate fuerit . Ab hoc igitur , tanquam a fonte profluit omne id , quod est : qui certè Deus est ab æterno existens a se , & rerum omnium Conditor , ac Præses .

Quod autem omnia , quæ existunt , habeant ab illo , ut existant , nec non tali modo quo existunt , nempe ut intelligant , ut sapiant , ut bona sint , prout sunt : patet . Etenim non aliunde ea habere possunt , quàm ab illo ; & quemadmodum ex eo , quòd multa sunt , & existunt , colligimus , unum esse primum existens , originem omnis existentia : Sic ex eo , quod multa sapiunt , intelligunt , bona sunt , eò ducimur , ut agnoscamus quamdam primigeniam , atque increatam , summamque sapientiam , intelligentiam , ac bonitatem quippe non minùs in his , quàm in existentia vitanda est progressio in infinitum . Hujusmodi autem summa , æterna , atque increata bonitas , & sapientia , infinitè , ac sine ullo modo , ac mensura debet esse perfecta . Nam si certum modum perfectionis , ac limitem habeat , ab alio cum definiri , ac circumscribi , necesse est . Atqui superiorem nullum habet , a quo vel ut a principio pendeat : ab inferiore autem restringi nequit , quod superius est . Ergo prorsus infinitum est . Quod certè Deus est . Ergo existit Deus summus , æternus , infinitus , rerum omnium
con-

conditor , qualem naturalis , & communis hominum sensus concipit .

Adversus hanc evidentem ratiocinationem nihil est , quod rationabiliter possit opponi . Etenim quod objicitur , Mundum extitisse *ab æterno* , nec *ab aliquo* , sed *a se* factum . quod Ocello Lucano primùm , deinde Aristoteli visum est , pari evidentiâ refellitur . Siquidem in Mundo , sive in hac rerum Universitate generationes , quæ nunc dantur , animantium existere debuerunt ab æterno : Sine his namque generationibus Universitas hæc , seu Mundus hic nequit existere . Expendamus speciem unam puta hominum . Horum generationes *necessariò* fieri debere ab æterno , quemadmodum fiunt hodie , ut scilicet non repente ac orti sunt , sed interjecto aliquo tempore alios homines genuerint . Posità autem hac successivâ , non verò simultaneâ generatione , (quam naturalis ratio necessariam omnino videt) : ruit omnino , quod constitutum fuit , *a nullo factum Mundum* . Nam quæcunque sit , aut concipiatur animo successio iufinita : semper anterior alia esse debet , quæ cum fuit , nondum illa esse potuit : atque hæc nativitatum perpetuitas semper esse debet aliquo tempore posterior , quo nondum propter ætatis imbecillitatem extitit . Quare si nemo in infinita serie gignentium fingi potest , qui ex æterno genuerit ; consequens est , nullam omnino generationem ab æterno esse potuisse . Proinde initium aliquod fuit in tempore , gignendi . Quod si fuit , etiam Mundus ab initio aliquo factus sit , oportet .

Admittere autem cum Epicuro materiam ab æterno omnino *independentem* , ac deinde ex ipsa efformatum in tempore Mundum a Deo , est etiam rationi repugnans . Etenim congeries illa *a se* existens ab æterno debuit pariter *a se* habere quemdam ordinem , ac situm , qui sanè utpote *independens* non poterat ab alio exturbari : Siquidem *necessitas* illa , quæ in materia existentia ab æterno concipitur ,

pitur, concipi etiam debet in determinato illo ordine, ac situ, quo existerat. Quare, si deinde ab eo ordine fuit materia ipsa alterius jussu exturbata; quemadmodum subjectionem in sui mutatione situs indicavit, ita pariter in suamet existentia inferri debet. Repugnat ergo materia æterna omnino independens, & a se: adeoque suam existentiam, (quam aliunde constat fuisse in tempore) Deo Creatori debet acceptam.

II. Huic proximum officium erga Deum est circa ejus *Unitatem* quoad naturam, & essentiam. Profectò ratio naturalis non minùs evidenter ostendit, *Deum esse unum*, ac ostendit Deum existere. Hoc assero contra Grotium, qui (1) ait: *Cætera notiones (Dei) non æquè sunt evidentes, ut Deos plures uno non esse*. Etenim, si rectè omnia expendantur, eadem rationes, quæ *Deum esse* dicent, simul eum esse *Unum*, seu *unicum* demonstrant.

Profectò qui Deum cogitant, eum esse sentiunt, qui sit bonis omnibus absolutus; cui nihil accedere possit, neque decedere: in quo perfectà Sapiëntia sit, & Potestas, & Bonitas, & siquid aliud est, quod divinam naturam deestet. Hanc ethnici Philosophi de Deo mentem habuere, ut suprâ, vidimus; & Seneca (2) ex eo, quòd Deo vilis voluptas non competat, infert hanc non esse bonam: *aut quod incredibile est, bona Deo desunt: aut hoc ipsum argumentum est, bona non esse, quæ Deo desunt*. Jam si duo sint Dii, aliquid esse oporteret, quo invicem differrent. Sanè quidquid illud est, quo Dii isti inter se discreparent, & quod in uno erit, deeritque alteri, divinum ac perfectissimum esse, necesse est: adeoque qui hoc careat, summâ re, ac perfectissimâ careat, oportet; ac propterea summum esse desinat. Atque, ut subtilissimè Boetius (3) colligit: Si

Tom. II.

D

duo

(1) Lib. 2. de J. B. & P. §. 47.

(2) Epist. 74.

(3) In 3. de consolat. Prosa 10.

duo sunt Dii, totidemque summa Bona, unum alterum non erit. Quare mancum, ac defectum erit: quia deerit illi summum Bonum, quod est alter Deus, a quo discrepat. *Quæ discrepant Bona, non esse alterum, quod sit alterum, liquet. Quare neutrum poterit esse perfectum, cum alterutri alterum deest. Sed quod perfectum non sit, id summum non esse, manifestum est. Nullo modo igitur quæ summa sunt bona, possunt esse diversa. Et Lactantius (1): Deorum virtutes, ac potestates infirmiores sint, necesse est; quia tantum singulis deerit, quantum in cæteris fuerit. Ita quanto plures, tanto minores erunt,*

Rursus duo illi, pluresve Dii, quorum singuli quipiam habent, quod non inest cæteris, melius, ac perfectius quiddam sunt simul universi, quàm separatim singuli. Majus enim bonum, ac perfectius est, quod pluribus bonis, perfectisque completur, quàm horum unumquodque, quod suo contentum careat alieno. Ergo ex eo, quod Deus summum bonum constituitur, ac præcellens cæteris unum esse, necesse est. *Nam si plures sunt Dii, quomodo Dominum quemcumque summum bonum dicemus, cum aliud sit majus ipso, ipsa scilicet bonorum multitudo, quàm quislibet unus ex ea multitudine (2).*

Quare optimè inferri potest, eos, qui Deorum pluralitatem statuunt, revera Dei existentiam negare, indeque Jus Deo quæsitum auferre; atque ita injuriam Deo irrogare. Unde *Polytheismus* crimen est naturale. Idcirco crimen hoc execrati sunt insignes Viri inter ethnicos, quorum testimonia collegit in primis Justinus (3) Athenagoras (4) Clemens Alexandr. (5) Lactantius (6) Cyrillus (7) Eusebius (8)

Ex

(1) Lib. 1. c. 3.

(2) Boet. l. c.

(3) In cohort. ad Græc. & lib. de Monarch.

(4) In orat. pro Christ.

(5) Lib. 7. Strom.

(6) Lib. 1. c. 3. 4. 5.

(7) Lib. 1. contra Jul.

(8) Lib. 13. de Præpar.

Ex his binos proferam, Orpheum nempe, & Pythagoram.
Ille inter alia hæc de Deo vero cecinit:

*Unicus est, per se existens, qui cuncta creavit.
Inque his ipse extat: nulli e mortalibus unquam
Lumine conspectus, mortales conspicit omnes.*

Et paulo post.

Magnum adeo præter Regem non alter habetur.

Pythagoras (1) hæc habet: *Deus quidem est unus. Is autem non est, ut quidam existimant, extra Mundum, sed in ipso totus; in toto circulo, præses omnis generationis, universorum temperatio, semper existens, & opifex suarum virium, & operum omnium: in cælo illuminator, omnium Pater, Mens, & Animatio totius circuli, omnium Motus.*

De *Polytheismo* Ethnicorum non desunt, qui illum excusare quodammodo conantur, obtendentes, multiplicem illam Deorum turbam Unum, eundemque significare Deum, pro variis effectis varia sortientem nomina. Sanè inter Stoicorum dogmata illud non postremum fuit, teste Diogene Laertio (2) *Deus pluribus nominibus appellatur, ut sunt potestates.* Et Orosius (3) hæc habet de ethnicis Philosophis, qui plures Deos non aliter ac plures unius Dei ministros intelligebant: *Dum intento mentis studio quærun, scrutanturque omnia, unum Deum, auctorem omnium reperisse, ad quem unum omnia referuntur. Unde etiam nunc Pàgani, quos jam declarata veritas de contumacia magis, quàm de ignorantia convincit, cum a nobis àiscutiuntur:*

D 2

non

(1) Apud Clementem in Protr.

(2) In vita Zenonis.

(3) Lib. 6. Hist. c. 1.

non se plures Deos sequi, sed sub uno Deo magno plures Ministros venerari, fatentur.

Hoc ipsum aliquo modo apud Tullium (1) colligi potest, & præsertim ubi plures Deos nominat, quos (ait) ex *magnis beneficiis & a Græciæ Sapientibus, & a majoribus suis constitutos esse putat. Itaque tum illud, quod erat a Deo natum (scilicet beneficium) nomine ipsius Dei nuncupabant: ut cum Fruges Cererem appellamus; Vinum autem Libetum: ex quo illud Terentii: Sine Cerere, & Libero friget Venus: Tum autem res ipsa, in qua vis inest major aliqua sic appellatur, ut ea ipsa vis nominetur Deus, ut Fides, ut Mens.*

Buddeus verò (2) sentit, malè Ethnicos posse a vero polytheismo defendi; citatque Augustinum, (3) & Lactantium (4). Sed hanc Buddei opinionem nihil moror, cum præsertim de omnibus Ethnicis sermo sit. Illud verò procacissimi Lutherani effatum, quòd apertam contineat calumniam adversus Catholicos, ferre minimè possum. Et quoniam hoc in loco Ecclesiæ Catholicæ Romanæ honor, & fides postulat, manus cum hæretico calumniatore conferere non verebor: quemadmodum enim hujusmodi Scriptores identidem, ut dixi, in Catholicos invehuntur: ita alienum a proposito meo non reputo, Catholicorum partes, quæ meæ sunt, pro viribus tueri. Buddeus itaque captà e polytheismo ethnicorum occasione subdit: *A gentiliis isto errore non procul absunt, quidquid etiam dicant, Romanenses (nos Catholicos innuit): dum ingentem illam Sanctorum, Sanctarumque turbam mortalibus obtrudere annuntiantur.* Hæc Buddeus. Ubi duo videtur nobis objicere, alterum, quòd cultum Sanctis tributum respicit: alterum, quòd

(1) In libris de Nat. Deor. lib. 2.

(2) P. 2. Instit. theol. mor. c. 3. sect. 1. §. 19.

(3) De Civ. lib. 4. c. 11.

(4) Lib. 4. div. Instit. c. 3.

quod Sanctorum ab Ecclesia Romana Canonizatorum multitudinem spectat ; nisi fortè innuere simul velit incautis lectoribus pro decernendo eo cultu nimiam in Ecclesia facilitatem , & incuriam .

Verùm ut a primo incipiam . Quantum ab errore gentilium recedat Catholicæ Romanæ Ecclesiæ cultus Sanctis exhibitus , satis superque ostendunt (quæ sanè ignorare Buddeus non poterat) Sacrosancti Tridentini Concilii decreta circa Sanctos , eorumque invocationem , & cultum (1) ubi expressè sic : *ut juxta Catholicæ , & Apostolicæ Ecclesiæ usum primævis Christianæ Religionis temporibus receptum , Sanctorumque Patrum consensionem , & Sacrorum Conciliorum decreta , in primis de Sanctorum intercessione , invocatione ... Fideles diligenter instruant , docentes eos , Sanctos unà cum Christo regnantes orationes suas pro hominibus Deo offerre , bonum , atque utile esse , suppliciter eos invocare ; & ob beneficia impetranda a Deo per Filium ejus Jesum Christum Dominum nostrum , qui solus noster Redemptor , & Salvator est , ad eorum orationes , opem , auxiliumque confugere .* Jam conferantur hæc Romanorum Catholicorum dogmata cum gentilium polytheismo , & cum sycophantæ Buddei paulo ante citatis verbis , & vesani hominis calumnia evanescent . Sed & ipsemet apertissimi mendacii confusionem non ferens subdit statim : *Non ignota sunt , quæ ad polytheismi suspicionem amoliendam regerere soleant : sed quàm parùm hac ratione ad summam rei proficiant , jampridem demonstratum est ab aliis .* Ita Buddeus . Sed in hac ejus criminatione an *perfidiam* , an *pervicaciam* , an *ignorantiam* demirer , nescio . Etenim , quas modò protulimus Romanæ Catholicæ Ecclesiæ in citato Tridentino Concilio sanctiones , conformes omnino sunt Nicæni Concilii II. sanctionibus in Sæc. VIII. celebrati ; easque in eodem Sæculo Francofordiense Concilium sub Adriano I. explicavit fusiùs , ut sensus sit : non eundem videlicet cul-

(1) Sess. 25.

tum

Baptismi Sacramentum, & Cælestis Patriæ notitiam primus attulit, ab omnibus, sicut decet, honorificè venerentur. Ita ut uterque dies ab Ecclesiasticis, & Monasterialibus feriatu habeatur: nomenque ejusdem B. Patris, & Doctõris nostri Augustini in Litanis decantatione post S. Gregorii vocationem semper, dicatur. Quis hæc legens in sæculo VIII. pro Sanctõrum cultu, & veneratione sancita decreta, non agnoscat perseverantem adhuc eundem omnino morem in Romana Catholica Ecclesia? Eodem sæculo anno videlicet 761. in Romano Concilio sub Paulo Papa I. constitutum fuit in hæc verba: Procurare studui (loquitur Pontifex) ea, quæ ad cultum Dei, & dignam Sanctõrum pertineant venerationem, & maximâ roborationis censurâ confirmare. Unde apertè innuuntur quædam de Sanctõrum veneratione decreta.

Anno 794. Concilium Francofordiense Canone 42. decrevit: *Ut nulli novi Sancti colantur, aut invocentur, nec memoriæ eorum per vias erigantur: nisi Episcopo approbante. Sed hi soli in Ecclesia venerandi sint, qui ex auctoritate passionum, & vitæ merito electi sunt.* Sententia ergo Canonis hæc est, non colendos novos Sanctos quoscunque, & ad cujusdam arbitrium; sed illos solos, qui maturo præmissõ examine electi essent, Episcopo approbante. Quod certè decretum ad diluendam alteram criminationis Buddeanæ in Catholicos partem sternit.

Equidem Sanctõrum cultus inter gravissimas a Christi Ecclesia causas fuit semper adnumeratus. Quare qui veteres Ecclesiasticarum rerum historias versat, comperiet, Episcoporum fuisse nedum de veneratione Sanctõrum, sed etiam de circumstantiis singulis venerationis, de die, de modo, deque aliis hujusmodi adjunctis constituere. Unde facilè dignoscetur, quo sensu accipi debeat illud, quod per ora multorum circumfertur de Sanctis olim canonizatis merâ, ut ajunt, populi voce. Præcedebat quidem plerun-
que

que vox Populi, hoc est Populi plausus, laudes, concursus, & pia, sed merè privata, erga Defunctum veneratio: nisi tamen Episcopi comprobatio accessisset, nullus unquam Canonizati honores adeptus censebatur. Sanè hac super re egregius est locus S. Optati milevitani (1), cùm de Lucilla potenti, ac factiosa Femina, Donatistis addictissima, ac Patrona, narrat, eam fuisse ab Archidiacono Cæciliano correptam, quod os nescio cujus hominis mortui, etsi martyr, sed nondum vindicati, libare dicebatur, cum confusione iratam discessisset. Quibus verbis Optatus significat, nefas fuisse venerari reliquias martyris alicujus non vindicati, hoc est nondum probati, & recepti. *Moris enim erat* (subdit Baronius) (2) *ut cùm aliquis martyrio occubisset, Episcopus, sub cujus ditione id accidisset, rem gestam scriberet ad Primatem Episcopum; a quo maturè, adhibitis in consilium collegis Episcopis, an inter Martyres esset recipiendus, decernebatur.* Citat pro hac re S. Augustinum (3).

Sed quoniam abusus in hoc genere quidam in finem sæc. viii. & initia sæc. ix. irreperant, (ut ex suprascripto Can. Francofordiensi, & ex Capitulari Caroli Magni, & ex Canone quodam Moguntino colligi potest) quòd nimis properè, & Episcoporum judicio minimè expectato, ad Defunctum quempiam honorandum imprudentius prorumperent: idcirco eadem de causa factum judicatur, ut jam in his rebus de consulenda Apostolica Sede cæptum sit cogitari. Certè a sæculo nono, ac deinceps aperire sese clariùs incipiunt, & paulatim percrebescere Pontificæ Canonizationes; nec defuere Viri graves, qui judicaverint, initia solemniorum Canonizationum per Romanos Pontifices sancitarum desumenda esse a Sæculo viii. Quod alii negant. Non est autem hujus loci rem hanc definire. Illud autem

Tom. II.

E

dici

(1) Lib. 1. adversus Parmenianum Episcopum Donatistam Sæc. iv.

(2) In not. ad Martyr. 2. Apr.

(3) In brevic. collat. die 3. Cap. 13.

dici potest, & pluribus monumentis probari, Romani Pontificis oraculum hoc in negotio interpellari consuevisse a Sæc. iv. usque ad Sæculum decimum; quo Eruditi viri ex Mabillonio, ac Papebrochio ponunt *primum indubitatae fidei monumentum de solenni per Romanum Pontificem canonizatione*, ut videre licet apud Baronium cum Annot. Pagi (1), Bollandos (2), Fontaninum (3). Joannes siquidem Papa xv. (ut narrat Sandini) (4) *tranquillum adeptus pontificatum ad memoranda reliqua S. Udalricum Episcopum Augustanum, inquirens in vitam ejus, atque miracula, congregato ad id Romæ Concilio, in Sanctorum numero habendum decrevit. Quo facta, initium solemnibus Canonizationibus dedit.*

Exinde in proposito persistens Sancta Christi Ecclesia in hujusmodi Causis, ubi Sanctitas purissimæ nostræ Religionis periclitatur, horrendum putat flagitium, omnimodam diligentiam, curam, & studium non impendere, ut testificationibus nullo pacto suspectis, sed fide dignis, seu martyrii veritas, seu heroicarum virtutum summa, quæ haberi humanitùs potest, certitudo innotescat. Quo facta, & repetito pluries examine, & expensis hinc inde momentis, ubi nullus superest prudentis dubii locus, tunc enim verò ad decernendos alicui sacros honores, invocata divini Numinis ope, Pontifex Romanus descendit. Quæ dixi, in comperto sunt apud omnes: neque enim Sanctorum Causæ vel clanculum, vel exclusis quibuscunque contrariis testibus agitantur. In aperto sunt omnia, a doctissimis viris expenduntur, discutiuntur, excipiuntur, quæcunque pro Sanctitate, & contra proferuntur: & nisi contraria omnia diluantur, frustra Pontificium oraculum expectabitur.

Qui-

- (1) Ad An. 993.
- (2) Dic 4. Julii.
- (3) In Cod. Canon.
- (4) In Vit. Pontif.

Quibus ritè perpensis, quâ fronte repetet Lutheranus Buddeus: *ingentem obtrudi Sanctorum turbam?* Quòd Sanctorum numerus in Ecclesia Romana *ingens* sit: inficiari nequeo. Sed Religionis veræ in Romana Catholica Ecclesia vigentis fructus hic est: plurimos videlicet accenseri, vel sanguinis pro Fide Christi fusi, vel heroicarum virtutum merito insignes. Quòd *obtrudantur*, apertissimum est invidi æquè, ac obstinati animi mendacium. Næ heterodoxi omnes paulò plus quàm Buddeus mentis habeant, ut ad Romanæ Ecclesiæ firmissimam veteribus Sanctorum Patrum decretis adhæSIONem advertant, & Lutheranæ Ecclesiæ perniciosas novitates, & perpetuas varietates suspectas habeant, atque ita veritatem unius Catholicæ Ecclesiæ Romanæ amplectantur. *Neesse est omnibus Catholicis*, (sic in suo Commonitorio hortabatur S. Vincentius Lirinensis an. 434.) *qui sese Ecclesiæ legitimos Filios probare student, ut Sanctorum Patrum Fidei inhæreant, adglutinentur, immoriantur, profanas verò novitates detestentur, horrescant, persequantur. Concilio enim ephesino divinitus placuit, nihil aliud Posteris credendum decernere, nisi quod sacra sibi consentiens Sanctorum Patrum tenuisset antiquitas.* Quæ hæcenus dixi, necessaria existimavi, ut tantæ calumniæ vel umbram ipsam diluerem, quam non desinunt obcæcati etiam Recentiores Lutherani, uti Asley Syches (1), & uterque Coccejus (2) identidem repetere.

III. Aliud Juris naturæ officium adversus Deum est de ejus *Simplicitate*, quòd nempe *nullis constet partibus*, & ideo *incorporeus* sit. Ratio enim naturalis persuadet, esse Deo tribuendum, quod melius, ac perfectius est. Quamvis autem id sit manifestum, a pluribus tamen neque solum e rudi populo, sed e Philosophis ipsis ethnicis Deus corporatus habitus est; in iisque quanto major litterarum,

E 2

ac

(1) In Exem. Fundam. & Connex. Relig. nat. & revel. to. 1. c. 14.

(2) Comment. ad Grot.

ac doctrinæ usus fuit, tantò turpior dici debuit incitia: Horum opiniones ex antiquorum commentariis repeti possunt; velut ex Plutarcho (1), ex Sexto Empirico, ex libris Ciceronis (2), ubi Epicurum innuit, *ἀσώματον* Deum concipi posse negantem. Deus enim sine corpore, ajebat, *careat sensu, necesse est, careat etiam prudentiâ, careat voluptate: quæ omnia una cum Deorum notione comprehendimus*. Sic apud Ciceronem (3) Epicurus contra Platonem. Quin & Deos hominis formâ præditos mavult; hoc nempe argumento: *Quoniam Deos beatissimos esse constat, beatus autem esse sine virtute nemo potest, nec virtus sine ratione constare, nec ratio usquam inesse nisi in hominis figura; hominis esse specie Deos, confitendum est*. At quandoquidem indignum ipsi videbatur, ejusdem prorsus conditionis, ac nostræ, partes Corporis in Deo admittere; idcirco subdebat: *Nec tamen ea species Corpus est, sed quasi Corpus: nec habet sanguinem, sed quasi sanguinem*. Verùm ipsemet Cicero irridens tam levis, ut appellat, tamque ineptas sententias, asserit, Epicurum nihil dixisse, quod non modò philosophiâ dignum esset, sed mediocri prudentiâ. Et deinde: *Non pudet, (ait) Physicum, idest speculatorem, venatoremque naturæ ab animis consuetudine imbutis petere testimonium veritatis? Ad Epicuri argumentum foritis sic acutè respondet: Beatos esse Deos sumpsisti. Concedimus. Beatum autem sine virtute neminem esse posse. Id quoque damus, & libenter quidem. Virtutem autem sine ratione constare non posse. Conveniat id quoque, necesse est. Adjungis, nec rationem esse nisi in hominis figura. Quem tibi hoc daturum putas? Si enim ita esset, quid opus erat te gradatim istuc pervenire? Sumpsisses tuo jure. Quid autem est istuc gradatim? Nam a beatis ad virtutem, a virtutè ad rationem*
video

- (1) De Philosoph. placit.
- (2) De Natura Deorum.
- (3) Lib. 1. de Nat. Deor.

video te venisse gradibus . A ratione ad humanam figuram quomodo accedis ? Præcipitare istuc quidem est , non descendere . Ad postremam deinde Epicuri sententiam sic falsè reponit : Nunc istud quasi corpus , & quasi sanguinem , quid intelligis ? . . Corpus quid sit , sanguis quid sit , intelligo : quasi corpus , & quasi sanguis quid sit , nullo prorsus modo intelligo .

Sed revera non apud Ethnicos præsertim Epicureos insana hæc opinio invaluit , sed & aliquos Fidei christianæ lumine imbutos sectatores habuit . De Melitone , ac Tertulliano non satis constat , utrum ex propria , an alienâ sententia loquuti sint ; & de Tertulliano observant communiter , eum usurpasse sic *corpus* , ut idem sit ac *substantia* . At Sæculo IV. Antropomorphitæ ab Audæo , quem Concilium Antiochenum damnavit an. 341. asseruerunt , Deum præditum esse formâ corporeâ , nostrisque similia habere membra . Nimirum , ut ajebat Augustinus (1) : *Nimis in hæc corporalia progressi , atque lapsi nihil aliud putant esse , quàm quod istis quinque nuntiis corporis sentiunt ; & quis ab iis plagas , atque imagines acceperunt , eas secumvolvunt etiam , cùm conantur recedere a sensibus : & ex eorum mortifera , & fallacissima regula ineffabilia penetrabilia veritatis rectissimè se metiri putant .* Expressiùs autem alibi (2) : *Turpiter vana (inquit) cogitatio est , quæ opinatur , Deum membrorum corporalium lineamentis definiri , atque circumscribi .* Quantò autem meliùs lumine naturali de Deo opinatus est Cicero , quem laudat Augustinus (3) , ubi eum definiit : *Mens quædam soluta , & libera secreta ab omni concretionemortali , omnia sentiens , & inævens .*

Plurima autem suppetit argumenta ratio naturalis ad probandum , non dari Deo *Corpus* . Alcinous ex Platonis disci-

(1) L. de util. Cred. c. 1.

(2) L. 12. de Trin.

(3) L. 23. de Civ. c. 20.

disciplina sic Deum ἀσώματον demonstrat . Corpus omne partibus constat : Est enim quantum . Jamverò pars est naturâ prior eo , quod ex partibus componitur . Atqui nihil esse in Deo potest prius , nihil posterius . Ergo . II. Ex notione Divinitatis Deus est simplex , & primum omnium : hujusmodi autem non esset , si ex materia constaret , & forma aliqua : quæ sanè simpliciora , & consequenter priora essent Deo . III. Opificem , & Auctorem sui haberet alterum . Quidquid enim ex partibus componitur , causam sui habet aliquam , quæ partes illas in unam copulet . Quæ sanè ratio probat , tum ne Deus credatur corpus esse merum ; tum etiam ne ex corpore concretus , & spiritu , aut ex partibus , quæ reipsa invicem distent .

Rursus ex communibus naturali rationi inditis Dei proprietatibus concipimus , Deum esse infinitum , & imensum aliquod , ac nullo conclusum termino : unde , rectè ratiocinando , inferri debet , partium , & compositionis esse expertem . Vulgatum est illud ex Virgilio (1) .

... Deum namque ire per omnes
Terrasque , tractusque maris , Cælumque profundum .

Accedit , quòd si Deus corpus esset , aut haberet , & non esset omnino simplex : daretur in eo majus quippiam , aut minus . Sic totum majus esset parte , & pars una minori parte major esset . Atqui Deus ex lumine ipso naturali individuus est , & eo ipso simplicissimus .

Tandem , ut omnes penè rationes paucis complectamur , Novatiani verba ad demonstrandum Deum ἀσώματον usurpamus (2) : qui sic ait : *Idem (Deus) enim , quidquid illud est , totus equalis est , & totus ubique est . Non enim habet in se diversitatem sui , quidquid est simplex . Ea enim demum*

(1) IV. Georg.

(2) In lib. de Trin. c. 6.

denum in diversitatem membrorum decidunt, quæ veniunt ex nativitate sui in dissolutionem. Sed hæc, quæ concreta non sunt, sentire non possunt. Quod enim immortale est, quidquid est, illud ipsum unum, & simplex, & semper est. Et ideo quia unum est, dissolvi non potest: quoniam quidquid est, illud ipsum extra Jus dissolutionis positum, legibus est mortis solutum.

At, inquires, in sacris Libris toties legimus, Deo membra corporis tribui, oculos, aures, manus, pedes. Rursus Imagines Dei Patris in Catholicorum templis quotidie observamus; quibus quidem ex Decreto Tridentini Concilii (1) debitus honor, & veneratio impertitur; non quod credatur inesse aliqua in iis divinitas, vel virtus, propter quam sint colendæ; vel quod ab eis sit aliquod petendum, vel quod fiducia in imaginibus sit figenda, veluti olim fiebat a Gentibus, quæ in Idolis spem suam collocabant; sed quoniam honos, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illæ representant. &c. Ergo.

Verùm ad illud primum ex Philone didicimus (2) quod: mera hæc abusio nominum est, imbecillitati nostræ consulens. Et S. Thomas (3) explicat rem hanc tali pacto: Partes corporeæ attribuuntur Deo in Scripturis ratione suorum actuum secundum quamdam similitudinem. Sicut actus oculi est videre: unde oculus de Deo dictus significat virtutem ejus ad videndum, modo intelligibili, non sensibili; & simile est de aliis partibus. Quantum verò ad Imagines spectat, cultus omnis ad Prototypa refertur, non ad materiales ipsas imagines, juxta Tridentini doctrinam. Quare, cum in Scripturis legimus, (consulendo nimirum imbecillitati nostræ) Deum Patrem antiquum dierum sic Danielis

(1) Sess. 25.

(2) L. de Cain, & Abele.

(3) 1. p. q. 3. ar. 1. ad 3.

nielis, & antiquus dierum sedit; Usque ad antiquum dierum; donec venit antiquus dierum (1). Hinc factum est, ut exhiberetur imago Dei Patris veluti Senis venerandi plerumque sedentis.

Neque aliquid conficitur contra rei hujus veritatem ex loco illo Genesis (2): *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram*. Qui sanè locus ab Anthropomorphitis ad erroris sui confirmationem proferebatur. Etenim homo sine ulla dubitatione imaginem Dei in se habet, non quidem in corpore, sed in anima. Audiatur S. Thomas doctissime locum Genesis explicans: *Homo dicitur esse ad imaginem Dei non secundum corpus, sed secundum id, quod homo excellit alia animalia... Excellit autem homo omnia animalia quantum ad rationem, & intellectum: unde secundum intellectum, & rationem, quæ sunt incorporea, homo est ad imaginem Dei* (3). Et tradit ibidem rationem, ex loco ipso sacrae Scripturae erutam: quia post illa verba, *ad imaginem, & similitudinem nostram*, subdit: *Et præsit piscibus maris, & volatilibus Cæli, & universis animantibus, quæ moventur super terram*.

Est ergo *incorporeus* Deus, & a Nonnullis veterum solus eo vocabulo dignus. Idcirco negabant, posse dici *incorporeas* hominum animas. Verùm discrepantia hæc a notatione vocis *incorporeum* oriebatur. Sub eo siquidem vocabulo illud tantummodo designari putabant, quod nullo pacto mutari possit, & nullo loco circumscribi. Atque ita Gennadius (4) ajebat: *Nihil incorporeum, & invisibile naturæ credendum, nisi solum Deum*. Subdit autem: *Ex eo autem incorporeas esse credimus intellectuales Creaturas, quod*
loca-

(1) 7. v. 9. & v. 13. & v. 21.

(2) 1. 26.

(3) 1. p. q. 3. ar. 1. ad 1.

(4) Lib. de Eccl. dogm. c. 11.

localiter circumscribantur: sicut & anima humana, quæ carne clauditur, & Dæmones, qui per substantiam angelicæ naturæ sunt. Putabant idcirco uqum Deum esse incorporeum, quia est ubique, neque loco definitur; tum quia immutabilis est: quæ omnia cum præter Deum nulli alii congruant, solus ille incorporeus eo sensu merito dicitur.

Controversiam hanc in meram logomachiam resolvit Augustinus (1). Sic enim ait: *Si corpus est omnis substantia, vel essentia, vel siquid aptius nuncupatur id, quod aliquo modo est in seipso: corpus est Anima. Item si eam solum incorpoream placet appellare naturam, quæ summè incommutabilis, & ubique tota est: corpus est Anima; quoniam tale aliquid ipsa non est, Porro si corpus non est, nisi quod per loci spatium aliquâ longitudine, latitudine, altitudine ita sistitur, vel movetur, ut majore sui parte majorem locum occupet, & brevior brevior, minusque sit in parte, quàm in toto, non est corpus Anima.* Qui Augustini locus idoneus est quàm qui maximè ad intelligendas veterum Patrum discordes hac in re sententias.

De impio Spinozæ Systemate unius Substantiæ universalis, quæ sit Deus; unde & cætera omnia, & animæ ipsæ nostræ vel sint, vel promanent, dicam, ubi de animæ nostræ proprietatibus differam.

IV. Præterea ad Juris naturæ officia erga Deum spectat, ipsum cognoscere *Conditorem hominum, & universitatis rerum omnium.* Maximi enim interest officium hoc, unde nostra omnis subjectio Deo exoritur, Deique in omnia dominium contra insipientis Hobbesii deliria. Verùm & de hac Dei proprietate aliqua suprâ dedimus, ubi de ejus *existentia* differuimus; & præsertim de hominum creatione a Deo. Nonnulla hic subjiciamus *De Mundo*, seu de *Universitate rerum.* Hanc autem fuisse a Deo conditam ratio

(1) Epist. 8. & 20. ad Hieronymum de Orig. animæ.

naturalis ex iis , quæ proposuimus hæcenus , faciliè persuadet .

Id , quod per se , sive necessariò existit , unum esse , nempe Deum , jam demonstravimus . Idcirco cætera , quæ in Mundo existunt , ab alio oriri , necesse est . Ut autem in infinitum progressio vitetur , non alia præter Deum admittenda est rerum omnium creatarum Causa .

Quod enim dicunt , *Naturam omnia fecisse* , ut apud Tullium (1) ; verbo ludunt . Etenim *Naturæ* nomine vel aliquid *extra Mundum* ipsum intelligunt , vel Mundi ipsius *ordinem ac dispositionem* . Si hoc secundum : ergo Mundus esset *a se* , & *necessariò* existens : quod rei successivæ omnino repugnare vidimus . Si primum : Natura Deus est juxta Philosophum , quem sæpè testem produximus , & noster in hac tractatione Juris naturalis dici potest , nempe Seneca ; qui sic habet (2) : *Natura* , inquit , *hæc mihi præstat . Non intelligis , te , cùm hoc dicis , mutare nomen Deo ? Quid enim aliud est Natura , quàm Deus , & divina ratio toti mundo , & partibus ejus inserta ?* Ac tametsi Natura sit Dei opus , non Deus , si accuratè loquimur (contrà ac impius Plinius asseruit (3) nimirum *id esse naturam* , quod Deum vocamus) : tamen idem utriusque est opus : idem a natura , atque a Deo elaborari aliquid , ac perfici , dicitur . Unde illa veterum Patrum dicta : *Voluntatem Dei rerum esse naturam* . In idem recidunt fermè absurdum , qui ineptè dicunt , *Sidera fecisse Mundum* : quasi verò Sidera pars Mundi non essent . Pari ratione convincuntur , qui *Animam Mundi* Mundi causam volunt . Hanc enim vel *aliquid extra Mundum* esse opinantur , & Deum esse sub hoc nomine constat , ex illo Senecæ (4) : *Omnia ejusdem Dei*

(1) Lib. 3. de Nat. Deor.

(2) Lib. iv. de Benef. c. 7.

(3) Lib. 2. c. 7.

(4) Loc. cit. c. 8.

Dei nomina sunt, variè utentis suâ potestate. Vel aliquid in ipso Mundo; & ex tradita ratione falsum esse patebit: nihil enim dum non est, potest agere; debet idcirco ab alio creari; ponimus enim, a se Mundum non extitisse.

Aliud profert argumentum Grotius (1) desumptum, ut ipse ait, non a ratione tantum, sed etiam a sensu. Nimirum ab admirabili humani corporis constructione intus, & extra: imò & mutorum animalium: sed & plantarum, & herbarum, ut a Philosophis accuratè notatum est. Rursum ex aquarum situ, ut notavit Strabo, ita nempe ut terræ fecunditati, hominumque vitæ servirent. Omnia autem ad peculiarem aliquem finem directâ, unde mens aliqua concipitur directrix, cui omnia subesse debent. Operationes Brutorum mirabiles, ut in apibus, & formicis, uniformes semper, & ante omne experimentum directæ ut nocitura fugiant, profutura quærant. Unde aliqua extrinseca ratio illas dirigens dignoscitur, nempe Deus. Ex siderum conspectu, præsertim Solis, & Lunæ cum eorum motibus maximè regularibus ad hominum commoda promovenda, ut Stoicî ipsi arbitrarentur, Mundum hominis causâ factum. Cùmque hominum vis ad ea disponenda non possit perringere, ut sibi serviant, nec illa ultro homini se mancipâsse credenda sint, sequitur, ut superior quædam sit Mens, cujus imperio corpora illa obediant: quæ ipsa mens non alia est, nisi Opifex siderum, atque universi. Motus etiam siderum, mundi que ipsius figura, & partes omnes admirabili ordine dispositæ satis loquuntur, non casu hæc confluisse, sed ab Intellectu, & quidem excellentissimo esse constituta. Nam quis aded stultus est, ut a casu aliquid tam accuratum expectet, quasi credat, casu lapides, & ligna in domus speciem evasura, aut ex jactis fortè litteris extitutum poëma; cùm & qui figuras geometricas in littore viderat, hominis vestigia se videre dixerit, satis per-

F 2

spi-

(1) Lib. 1. de veritate Relig. Christ. §. 7. 8. 9.

ipiciens, a casu talia proficisci non posse? Hæc ferè sunt ex longiore Grotii dissertatione deprompta, quæ Deum Mundi hujus adspectabilis Opificem esse, demonstrant. Quæ autem longè ante Grotium Tullius (1) expromserat.

Illud hic inquiri posset ratione etiam naturali, an *Mundus hic a Deo fuerit ab æterno creatus*? Nam quòd non potuerit esse ab æterno existens a se, & independens a Deo, jam suprà ostendimus. Ut hac super re uniformitatem rationis naturalis cum Fide indicemus, illud subjicere non incongruum est; rem nullam, atque adeo nec Mundum ab æterno potuisse a Deo creari. Unde autem argumentum sumam ad hanc probandam propositionem? Ex illo planè loco, quo usi sunt Patres adversus Arianam perfidiam ad excludendum a Creaturis Dei Filium. Audiatur Athanasius (2) *Tametsi*, ait, *Deus possit semper facere: at res creatas æternas esse non posse. Quippe ex non extantibus sunt, & non erant, antequam fierent. Quæ autem non sunt, antequam fiant, quænam poterunt cum Deo, qui semper est, existere?* Et (3) brevius alibi sic: *Proprium est creaturarum, & operum, non esse, antequam fiant, & ex non extantibus subsistere.* Ex qua sanè ratione Nicæni Patres contra Arium hac formulâ usi sunt in proscribendo ejus errore: *Eos autem, qui dicunt: (Dei Filius) erat, quando non erat: aut non erat, antequam fieret: & quia ex non extantibus factus est: hos anathematizat Catholica, & Apostolica Ecclesia.* Alia possent adduci ad rem hanc argumenta, sed a proposito nostro aliena. Constet ergo, hoc inter alia esse Creaturarum a Deo discrimen ex Gregorio Nysseno (4), quòd Divinitas increata sit, & ab nullo cœpta primordio omnium sæculorum spatia transcendit: **Creatura**

(1) Lib. 2. de Nat. Deor.

(2) Disp. 2. contra Arianos.

(3) In Orat. 3.

(4) Lib. 1. contra Eunomium.

tura autem omnis cum intervallo aliquo, ævique spatio consideretur. Cùmque Creatarum rerum natura det notionem *initii*, & *successionis*; innuit, eas & prius non fuisse, & ab anteriore causa aliqua procreatas: Etenim oportet, Opificem antiquiorem esse operibus suis, & Conditorem conditis rebus.

Unum tandem hic opponi posset, nec illud quidem dissimulandum. Ex rerum in tempore creatione aliquam potuisse videri factam in Deo mutationem. Quod cum simplicissima Dei natura quomodo componatur, non apparet. Argumentum est Origenis, ipsique difficillimum adèò visum, quod resolvatur, ut putaverit idcirco, ab æterno omnia extitisse a Deo condita. Sic enim ipse ratiocinatur: *Si nullus est Opifex sine opificiis, neque Factor sine factis operibus; neque Omnipotens sine iis, in quæ potestatem habet Oportet ab initio hæc a Deo esse procreata, neque tempus ullum extare, quo ista non fuerint Si enim postea Universum hoc molitus est, perspicuum est, eum ab non faciente in facientem esse mutatam.* Quod argumentum ex *Creatoris* nomine, quod in tempore Deo accesserit, sumit vim suam: pariterque ex titulo etiam *Domini*, qui non nisi post conditos sibi servos ipsi obvenit, poterit idem confici argumentum.

Verùm *Creatoris* nomen, aut *Domini* bifariam sumi potest: vel pro eo, qui, ut primùm libuerit, creare potest, & servum habere: qua ratione Deus ab æterno utrumque fuit; vel pro eo, qui reipsa procreat, habetque servum, quo sensu nonnulli Patres æterna hæc esse Deo nomina negant. Quæ sanè distinctio aptari utique potest illorum Patrum auctoritatibus, qui negant; non verò Origeni, qui ut difficultatem solveret, ac Deo ab æterno nomina illa tribueret, in errorem prolapsus est. Neque ex illa rerum factâ pro tempore determinato creatione aliquid in Dei natura, & substantia mutationis contigisse dicendum est: Crea-
tio

tio enim facta non addidit nisi speciem quamdam relationis inter Creatorem, ac Dominum sine ulla substantiæ mutatione, & inter Ea, quæ actu creata sunt, & serviunt. Relationes enim hujusmodi sunt omnino extrinsecæ a substantia illorum, inter quæ illæ concipiuntur, licet fundentur in proprietatibus rerum ipsarum: sunt enim ideæ nostræ mentis res illas invicem comparantis. Atque ita advertens mens nostra ad creationem a Deo factam, (quæ Voluntatis divinæ actum liberum denotat), & ad rem actu creatam: concipit inter utrumque quemdam relationis ordinem Creatoris scilicet & rei creatæ, Domini & servi. Optimè Augustinus (1) ad rem explicandam nummi exemplum adhibet: *Nummus cum dicitur pretium, relative dicitur: nec tamen mutatus est, cum esse capit pretium, neque cum dicitur Pignus, & siqua sunt similia.*

Ex his consequitur, Deum habere jus, ac potestatem plenissimam in res omnes hujus Mundi, ab ipso creati: *Domini est Terra, & plenitudo ejus, orbis terrarum, & universi, qui habitant in eo* (2). Rursus dominium supremum in corpus, vitam, actusque omnes suarum Creaturarum; ac tale revera, tantumque dominium, ut antonomasticè *Dominus* appelletur; eoque nomine sapissimè in Scripturis vocetur, *Dominus nomen ejus*. Idcirco ab ipso pendere omnium *vitam*, quin & ipsum *esse* nostrum ita vimirum, ut in ejus manu, qui Dominus est, qui Omnipotens est, *vivere* nostrum, & *conservari* sit. Unde non *Creator* tantummodo dici debet Deus, sed & *Conservator*. *Conservatio* enim a Philosophis optimè dicitur continuata *Creatio*. Quare non incongruè Puffendorfius ab eodem creationis principio illud conservationis deduxit (3): *Qui nos conservat, is existentiam futuram dat (nam durationis nostræ cau-*

(1) Lib. 5. de Trin. c. 15.

(2) Pl. 23.

(3) In Lib. 1. c. 4. de Off. hom. & Civ.

causam non habemus in nobis, sed extra nos: cum non possit inferri: sum modò, ergo & sequenti momento ero). Ergo conservatio est continuata creatio: qui nos creavit, & conservat. Deus creavit nos. Ergo & nos conservat.

Supremum hoc Dei dominium in vitam præcipuè hominum longè distat ab hominum dominio inter se. Pessimè igitur ab eo, quòd Deus aliquando in puniendo homines aliquid egit, exemplum sumunt homines, id ipsum adversus homines sibi naturâ pares agendi. Sic Deus (1) minatus est, *paternam impietatem in tertiam, & quartam generationem se vindicaturum*: quod utique Deus absolutâ Domini ratione id jure facit; respectu enim posterorum non est pœna mors illa, sed supremi domini usus. Pœna dici revera poterat respectu Parentum, quibus ex intentabantur minæ: *Nullum durius supplicium*, ait Chrysostramus (2); *quàm eos, qui ex se sunt, miseros spectare*. Pari modo autem uti non licet hominibus; & idcirco Senecæ præceptum erat (3): *Ne irascamur inimicorum, & hostium liberis. Inter Syllanæ crudelitatis exempla est, quod a Republica Liberos Proscriptorum submovit. Nihil est iniquius, quàm aliquem hæredem paterni odii fieri*. Alia hujus absoluti divini domini testimonia produximus *tomo 1. diff. vi.*


Proinde si quis hominum eò imprudentiæ devenerit, ut Deo succenseat, quòd morbo afficiatur, quòd præpropero fato liberos eripiat, quòd violentæ morti destinetur, quòd bonis privetur, quòd in honoribus posthabeatur, quòd fortunæ bonis careat, & similia: is si minus directo, intentoque animo, at indirectè saltem negat supremum Dei Jus in Creaturas, adeoque ejus imperio eximi optaret; quod qui-

(1) Ex. 10. 5.

(2) Hom. 19. in Gen.

(3) Lib. 1. de Ira c. 34.

quidem reverentiæ Deo debitæ officit , Deique bonam in homines Voluntatem lædit , cùm tot illas calamitates bono nostro jubeat Deus ; ut cum Seneca dicere possimus (1) : *Nihil horum in nostram injuriam fit : imò contrà nihil non ad salutem.* Et appositissimum id est , quod habet Augustinus : *Quàm multi agrotant in lecto Innocentes ; & si sani fuerint , procederent ad scelera committenda !*



(1) Lib. 2. de Ira c. 27.

DISSERTATIO II.

Epicureorum , ac primæ Classis Deistarum errores circa Providentiam . Duplex Providentiæ pars explicatur ; & contra negantes asseritur . Eorum argumenta refelluntur . Secundæ Classis Deistarum errores de Mali natura impugnantur . Eorum cavillationibus respondetur .

I. **I**Nter præcipua a nobis commemoranda erga Deum officia illud est utique accensendum , quo nimirum cognoscamus ejus erga res omnes a se creatas *Providentiam* . Ethnici Philosophi de hoc Dei attributo maximè solliciti fuere contra Epicurum , ejusque sectatores , qui *Anum futidicam Stoicorum πρὸς τὸν θεόν* , latine Providentiam dicere solebant . Ac de Dei vita interrogati , esse reponebant , *Eam videlicet , quæ nihil beatius , nihil omnibus bonis affluentiùs cogitari potest . Nihil enim agit , nullis occupationibus est implicatus : nulla opera molitur : suâ sapientiâ & virtute gaudet : habet exploratum , fore se semper tum in maximis , tum in æternis voluptatibus . Hunc Deum ritè beatum dixerimus ; vestrum verò laboriosissimum* . Sic Tullius ex Epicuri doctrina (1) . Verùm sapientiores Philosophi ex adverso pugnabant , atque inter cætera , tolli sic omnem erga Deum religionem ostendebant : *quæ porrò pietas ei debetur , a quo nihil acceperis ? aut quid omnino , cui nullum meritum sit , ei deberi potest ? Est enim Pietas Justitia adversus Deos : cum quibus quid potest nobis esse juris , cum homini nulla cum Deo sit communitas ? Sanctitas autem est scientia colendorum Deorum : qui quamobrem colendi sunt , non intelligo , nullo nec accepto ab iis , nec sperato bono . Et paulò post : At etiam liber est Epicuri de Sanctitate . Ludimur ab homine non tam faceto , quàm ad scribendi*

Tom. II.

G

licen-

(1) Lib. 1. de Nat. Deor.

licentiam libero . Quæ enim potest esse Sanctitas , si Dii humana non curant ? . . . Deinde , si maximè talis est Deus , ut nullâ gratiâ , nullâ hominum caritate teneatur , valeat .

Sed Epicurei , ab ethnicis olim cordatioribus Philosophis ignominiâ affecti , Recentiores quosdam nostris temporibus nacti sunt christiano quidem nomine insignitos , eorum tamen dogmata vehementer amplectentes , quos *Deistas* dicimus ; quorum quatuor sunt , teste Samuele Clarkio (1) classes : Prima quidem eorum est , qui *Providentiam* Dei negant : *Peiores esse* , ait Clarkius , *nostrorum temporum Deistas veteribus illis , quos ethnica Gens alebat : Siquidem prior ille Deismus absque divina revelatione in ignorantia tenebris versabatur : Recentiorum verò Deismus voluntate obfirmatus per seriem consequentium propositionum ad ipsum omnino atheismam trahit .* Et de istis utique illud pari jure dici potest , quod referente Tullio (2) nonnullis videbatur : *Epicurum , ne in offensionem Atheniensium caderet , verbis reliquisse Deos , re sustulisse .*

Prima , de qua nunc est sermo , (de reliquis acturi sumus loco suo) *Deistarum* classis , eorum est , qui Entis cujusdam æterni , infiniti , independentis , atque intelligentis existentiam agnoscunt : cuique , ne Epicureorum atheorum invidiam subeant , Universi structuram adscribunt . Non refugiunt tamen inter Epicureos ex parte aliqua accenseri , ut qui omnem de Mundo auferant Dei Providentiam . Volunt siquidem , Deum in hac Universi administratione haud se miscere , nullamque omnino rerum hic existentium curam habere , minùsque mundi mutationibus attendere . Idcirco Deum honorifico adæciem vocabulo appellant *Intelligentiam supra mundan*

Jamverò , ut diceban. , *Deistæ* modò relati in *Atheos* evadere necessariò debent , atque ita opinatur Clarckius (2)

vide-

(1) Tract. de Exist. & attrib. Dei de Relig. nat. Offic. de ver. rel. Chr.

(2) Lib. cit. tom. 2. c. 2. *

videlicet: Omnino necessarium est, Deistas in atheismum se precipites dare, & argumentorum pondere, quo Athei opprimuntur, pariter opprimi. Ut autem hoc demonstraretur, evidens est ratiocinatio. Cùm enim Deus sit omnino simplex, & unus, sequitur inde evidentè, non minùs in Dei naturam peccari, siquid a Deo detrahatur, quod ejus sit; quàm si, Deum ipsum existere, negetur: *In Deo*, ait Augustinus (1), *omne, quod dicitur, idipsum est. Neque enim in Deo aliud potestas, & aliud prudentia, aliud fortitudo, & aliud justitia, aut aliud castitas.* Quare sive unum ex his attributis, sive tota Dei natura denegetur existere, perinde se habet, cùm in Deo *omne, quod dicitur, idipsum sit*. Alibi etiam ex Platoniorum sententia idipsum confirmat Augustinus (2): *Non aliud illi (Deo) est esse, aliud vivere, quasi possit esse non vivens; nec aliud illi est intelligere, aliud beatum esse; quasi possit intelligere, & non beatus esse; sed quod est illi vivere, intelligere, beatum esse, hoc est illi esse. Propter hanc incommutabilitatem, & simplicitatem intellexerunt, eum & omnia ista fecisse, & ipsum a nullo fieri potuisse.* Quare Deistarum omnium opinio ab Atheorum errore nihil revera distat, & verbo Deum agnoscunt, re tollunt. Quamcunq̃ enim aliam sibi confingant de Deo ideam, indignissima Deo erit. *Tantummodo negare, Deum esse, non audent, nequid invidiæ subeant, aut criminis; dicam cum Tullio (3). Ut autem directè eos in Juris naturæ officiis theoreticis erga Deum delinquere, ostendam, negando Providentiam Dei in suas Creaturas; sic ulteriùs ordine procedam.*

II. *Providentia*, prout in Deo spectatur, duas habet partes: quarum altera in *rerum futurarum scientia*: altera in *bona aliis consulendi voluntate* posita est. Constat ex

G 2

co,

(1) Serm. 341. c. 6.

(2) De Civ. l. 8. c. 6.

(3) Lib. 3. de Nat. Deor.

eo, quod tradit Nemesius, ab eoque Joannes Damascenus (1). *Providentia est Dei Voluntas, per quam res omnes aptè administrantur.* Et ex Boetio (2): *Providentia est ipsa illa divina ratio ... quæ cuncta disponit.* Atque ita loquuntur, qui de Providentia Dei scribunt, omnes. *Sine scientia, & præsentione futurorum non posset bono Creaturarum provideri, quod vox ipsa significat: Et sine bona Voluntate non consuleretur de facto.* Idcirco Cyrillus Alexandrinus (3) *Deum appellat inspectorem Unversorum, & consultorem.* Non est tamen, quod non requiratur *Dei Potentia*, quam præsupponi certissimum est. Sed binas illas partes Providentiæ essentielles esse, lumine ipso naturali patet. Profectò Christus Dominus divinam Patris Providentiam volens Apostolis, & nobis commendare, duas illas proprietates designavit: *Scientiam* quidem, ubi dixit (4) *Scit enim Pater vester, quia his omnibus indigetis.* Rursum *Bonitatem*, ubi dixit (5): *Si ergo vos, cum sitis mali, no- stis bona dare Filiis vestris, quanto magis Pater vester cælestis dabit spiritum bonum petentibus se.* Ipsum quoque Ethnici Philosophi *Providentiam* a græco vocabulo *προνοία* appellabant, quod quidem *mentis notitiam* exprimit, & ad *Scientiam* spectat. Sed pari modo ad Providentiam spectare putabant *bonum ipsam Voluntatem*, quemadmodum ex Tullio (6). *Providentiâ Deorum Mundum, & omnes Mundi partes administrari, quod ad voluntatem, ac decretum Deorum spectabat.*

Rursus illud est adnotandum, *divinam Providentiam* & in omnes res creatas, & præcipuè in homines se extendere. Utrumque tum veteres Epicurei, tum Recentiores Dei-

(1) Lib. 2. c. 29.

(2) Lib. 4. de consol. Phil. prof. 6.

(3) Lib. 10. in Joan.

(4) Matth. 6.

(5) Luc. 11.

(6) Lib. 2. de Nat. Dcor.

Deistæ, sed posteriorem partem oppugnant potissimum. Quare utramque Providentiæ divinæ veluti partem agnoscere, ad Juris naturalis officia spectare, ostendendum est.

Et primò quod pertinet ad primam partem. Quemadmodum Juris naturæ est, admittere in Deo omnem omnino, atque infinitam perfectionem, ut suprâ statuimus: ita agnosci debet infinita scientia. Augustinus (1) ait: *Confiteri esse Deum, & negare præscium futurorum, apertissima insania est.* Si itaque aliquid esset, quòd Divinam scientiam effugeret, jam non esset infinita ejus scientia. Rursum idipsum inferri debet ex eo, quod Deus creavit omnia: debuit ergo Eas creaturas prænotasse, antequam crearet: nihil enim Deum ignoranter fecisse, dicendum est. Cùm ergo omnia ex eo volente oriantur, & existent: ante voluntatis actum præcedere rei, quam voluit, cognitionem, oportet. Omnium ergo rerum tum quæ existunt, tum quæ extiterunt, tum denique quæ futuræ sunt, scientia est in Deo. Quare errasse Tullium ostendit S. Augustinus l. c. ubi in libris *de divinat.* ex eo impugnaverit Scientiam futurorum, ne fatum admittere videretur. Unde illud celebre: *Ut faceret homines liberos, fecit sacrilegos.*

Altera verò pars ex ipsismet divinis Perfectionibus innotescit lumine ipso rationis, & potissimum ex capite divinæ Bonitatis. Nihil enim concipi potest divinæ Bonitati consentaneum magis, quàm ut prosit, commodetque se omnibus. Magistrâ enim naturâ, ac ratione didicimus: *id esse melius, quod ex animi proposito utilitatem affert aliis, quàm quòd nulli prosit* (2). Si autem hoc verum est in universum, multò convenientius existimari debet divinæ Bonitati, ut rerum a se conditarum curam velit habere. Confirmat hoc egregiè Joannes Damascenus (3) *Solus Deus*
nata-

(1) Lib. 5. c. 9. de Civit.

(2) Clem. Alex. 1. Pædag. c. 8.

(3) Lib. de Fide c. 29.

naturá bonus est, & sapiens. Igitur quatenus est bonus, providet. Qui enim non providet, non est bonus. Nam & homines, & bestia priorum fatuum providentiam habent naturali quodam instinctu: & qui non providet, vituperari solet, quatenus autem sapiens est, optimè rebus prospicit. Id ipsum luculenter exponit Ambrosius (1): Et quis Operator negligat operis sui curam? Quis deserat, & destituat, quod ipse condendum putavit? Si injuria est regere: nonne est major injuria fecisse? Cùm aliquid non fecisse, nulla injustitia est: non curare quod feceris, summa inclementia. Id autem quàm alienum sit a divina Bonitate, ratio ipsa naturalis ostendit. Bonus est Deus: quòd si bonus est, etiam beneficus est: Si beneficus est, erit & Providus. En optimam Nemessii ratiocinationem (2).

Praclare tamen rem hanc pertractat Theodoretus (3) Quid enim, ait, res omnes procreavit (Deus), si curam earum nollet gerere? Aut quid tandem causæ habet, cur non provideat? An cùm possit, non vult? Atqui posse illum quidem, quæ ab eo sunt facta, testantur... Etenim longè majus est, e nihilo produxisse aliqua, quàm jam extantibus providere. Enimverò posse ipsum, Creatura testatur: velle autem, eadem iterum testis est. Quippe nullo cogente alio, ad procreandum accessit. Sed neque tanquam indigus res omnes creatas produxit. Verùm quia bonus erat, & bonitate præditus mensuram omnem superante, voluit iis etiam, quæ non erant, ut essent, tribuere. Jam qui tantá in ea, quæ non erant, bonitate usus est, quomodo a se producta negligeret? Non enim dici hoc potest, illum productis rebus invidisse. Siquidem natura ejus ab omni est invidia remota, & ab omni perturbatione libera. Ex quo rationabili testimonio summa illa Dei bonitas deduci debet, qua velit creaturarum a se rerum curam habere.

Tul-

(1) Lib. de Off. c. 13.

(2) Lib. de Natura hom. c. 42.

(3) Lib. 2. de Provid.

Tullius verò ex duplici illo *Scientiæ*, & *Potentiae* capite, quam utramque Deo convenire putabat (1) inferebat Providentiam. *Si concedimus*, ait, *intelligentes esse Deos, concedimus etiam Providentes, & rerum quidem maximarum. Ergo utrum ignorant, quæ res maximæ sint, quoque hæc modo tractandæ, & tuendæ: an vim non habent, qua tantas res sustineant, & gerant? At & ignorantia rerum aliena naturæ Deorum est, & sustinendi muneris propter imbecillitatem difficultas minimè cadit in majestatem Deorum. Ex quo efficitur id, quod volumus, Deorum Providentiâ Mundum administrari. Efficax esset Tullii argumentum, si utrique illi *Scientiæ* nimirum, & *Potentiae*, tertium addidisset *Bonitatis* caput: exinde conficeretur, posse Deum, & scire non solum, sed & velle creatis rebus consulere.*

Sed de *Dei Providentiâ adversus homines* præcipuum controversiæ caput est, & fortasse minus cum Veteribus Epicureis, quàm cum Recentioribus Deistis. Et certè ad *Juris naturæ Officia* spectat existimare, homines divinâ Providentiâ regi. Equidem ex antedictis constat fati, eâ Deum præditum esse scientiâ infinitâ, ut nihil illum latere possit: ac tantâ rursus bonitate pollere, ut rerum a se conditarum curam gerere velit: & si malis, addas summam atque infinitam Dei *Potentiam*, ut modis omnibus consulere bono omnium queat. Quare fit, ut, cùm homo sit Dei *Creatura*, atque inter *Creaturas* ipsas nobilissimum opus, utpote ad imaginem Dei factum: & quæcunq; ad hominem spectant, Deo perspecta sint, & bonâ Dei voluntate gubernentur modo etiam peculiari respectu aliarum *Creaturarum*, quæ ratione sunt destitutæ. Advertit hoc Hierocles (2) ubi ait: *Brutis sufficere generalem Providentiam, ac toti impensam speciei. Nos verò, nisi singillatim,*
ac

(1) Lib. I. de Nat. Deor.

(2) In Lib. de Provid.

ac per omnia Providentiâ regimur, adeo ut nihil quod ad nos pertinet, extra rationem Providentiæ sit: nequaquam consentaneam nobis curam assequimur. Quod ita est intelligendum, ut eorum, quæ a libertate nostra pendent, quædam auctore, ac volente Deo; alia permittente; omnia præsciente, & ordinante contingant. Ex quo singularum rerum Providentiâ comprobetur: quia non possent ordinari, & ad eundem exitum conspirare tot res, tamque varix, ac dissonæ, nisi summa illis præset sapientia, quæ unicuique modum, tempus, rationemque præscriberet.

Itaque ex divinis Perfectionibus constat, Deum esse *infinite bonum*, ideoque sibi soli sufficientem, nec altero egentem ad beatitudinem suam: & idcirco homines condidisse, in quos potissimum dona sua effunderet ad felicitatem captandam. Esse rursus *infinite sapientem*, ut omnia æquè præsentia habeat, tum quæ necessaria dicuntur, tum quæ ex aliorum libertate pendent. Esse *infinite præditum potentiâ*, qua possit modis omnibus providere. Esse tandem *rebus omnibus intime præsentem*, ut Creaturis suis præsto ubique, ac semper sit. Ex quibus fit, ut Dei in omnes Creaturas, & potissimum in homines Providentiâ evidenter ostendatur.

III. Expendamus modò, quibus hæc tanta sive Epicureorum, sive Deistarum impietas fundamentis innitatur. In quo quidem examine, quæ vera errandi causa sit, expromam prius, tum, quæ ab iis proponuntur rationes, dissolvam. Ac de vero erroris fonte quid apertius dici potest, (si de Epicureis loquimur) quàm quod ex ipsorum doctrina profert Tullius, (1) ubi Epicureum quemdam sic conquerentem inducit: *Imposuistis in cervicibus nostris senpitemnum Dominum, quem dies & noctes timeremus. Quis enim non timeat, omnia providentem, & cogitantem, & animadvertentem, & omnia ad se pertinere putantem, curio-*

(1) Lib. 1. de Nat. Deor.

riofum, & plenum negotii Deum? Nec diffimilis est origo erroris in recentioribus Deistis, si fides detur auctori minimè suspecto, & in hujusmodi sive Atheorum, sive Deistarum principiis versato, nempe Francisco Buddæo (1). Prima enim causa ab ipso profertur inordinatus corruptæ voluptatis appetitus, cui nimium quantum officit Dei omnia inspicientis, & curantis cognitio juxta illud (2): *Dixit Insuper in corde suo: non est Deus*; scilicet ad quem cura spectet actuum humanorum. Additur autem a divino Vate statim tanti mali causa: *Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in studiis suis*. Adverterat hoc idem S. Augustinus (3) *Alii*, inquit, *nullam divinam Providentiam præesse rebus humanis libenter opinantur*. Quare autem libenter? En: *Dum fortuitis committunt casibus & animos, & corpora sua, tradunt se feriendos, & dilaniandos libidinibus, divina judicia negantes, humana fallentes, eos, a quibus accusantur, fortunæ patrocínio propulsuros se putant; quam tamen cæcam effingere, ac pingere consueverunt, ut aut meliores eâ sint, a qua se regi arbitrantur, aut se quoque cum eadem cæcitate, & sentire ista fateantur, & dicere*. Pari ratione hujusmodi vesanos homines infectatur Ambrosius (4): *Nolunt supra se esse Judicem, quem nihil fallat; nolunt ei dare occultorum scientiam, qui metuunt occulta sua prodigi*. Eisdem alibi (5) sic arguit: *Qui se existimat, ab eo, qui omnia videt, non videri, & tenebris credit commissâ sua posse celari, umbram præ tendit. Sed frustra latere se credit; cum oculus Domini lucidior sole occulta omnia deprehendat, tenebrosa illuminet, & intimi cordis penetret conscientiam, atque in alta, & profunda descendat*.

Jam ad illorum argumenta descendamus, quæ duobus
Tom. II. H potif-

- (1) In tr. de Atheismo, & superst. c. 4.
- (2) Psalm. 13.
- (3) L'ib. 3. de lib. arb. c. 2.
- (4) Lib. 1. offic. c. 14.
- (5) Lib. de Interpret. c. 2.

potissimum capitibus concluduntur, quorum alterum veluti ipsummet Deum quodammodo directè respicit, alterum ea, quæ in Mundo fieri conspiciuntur. Primi generis sunt, quæ ex Lucretio, & apud Tullium legimus, quod nimium negotiosus esset Deus, adeoque minimè beatus.

*Omnis enim per se Divinam Naturam, necesse est,
Immortali ævo summam cum pace fruatur,
Semota a nostris longè, sejunctaque curis.
Nam privata dolore omni, privata periculis,
Ipsa suis pollens opibus, nihil indiga nostri,
Nec benè pro meritis capitur, nec tangitur irâ (1).*

Et apud Tullium (2): *Nisi quietum autem, nihil beatum est. Sive in ipso Mundo Deus inest aliquis, qui regat, qui gubernet . . . hominum commoda, vitasque tueatur: ne ille implicatus molestis negotiis, & operosis. Nos autem beatam vitam in animi securitate, & in omnium vacatione munerum ponimus. Quæ sanè omnia confirmans pariter Epicureus ille aiebat:*

*Scilicet is superis labor est, ea cura quietos
Sollicitat.*

Verùm & Tullius ipse paulò post hanc Epicuri sententiam, seu citius fatuitatem irridet: *Nihil habet, inquit, negotiū (Deus). Profectò Epicurus, quasi pueri delicati, nihil cessatione melius existimat. At ipsi tamen Pueri, etiam cùm cessant, exercitatione aliquam ludicram delectantur: Deum sic feriatum volumus cessatione torpere, ut, si se commoverit, vereamur, ne beatus esse non poterit. Sed reverà talia Epicureorum dicta ab homine proferri possunt divinæ naturæ
omni-*

(1) Lucr. l. 1.

(2) Lib. 1. de Nat. Deorum.

omnino imperitissimo. Cùm enim Deus sit quid simplicissimum, neque, ut diximus, quidquam insit ipsi multiplex, & adscititium, ac propterea non constet aliquã verã potentiã: idcirco, quemadmodum a seipso abesse non potest, ita nec deesse illi potest rei alicujus cognitio: & rerum in mundo dispositarum Ordo quilibet a suæ voluntatis decreto absque ulla prorsus difficultate elicitò dependet. Totum hoc a nostrarum virium natura longè abest, sed in Deo concipere debet, qui Dei rectam habet cognitionem. Sane Ammonius Philosophus *lib. de Interpr.* dementiam Eorum esse, affirmat, qui quanto intervallo divina cognitio, & vis nostram superet, non intelligunt: & propter hanc inscitiam ex nostris rebus conjecturam de iis facere, quæ ad Deum pertinent, ac nostram in illum imbecillitatem transferre.

Idipsum ex capite créationis sine ullo labore a Deo rerum omnium factæ egregiè confirmat Augustinus (1): *Tu homo cùm sis, quia laboras, si omnia domus tuæ noveris, & pertineant ad te omnia verba, omnia facta servorum tuorum: putas, & Deum sic laborare, ut attendat ad te, qui non laboravit, ut crearet te. Oculum in te non intendit suum, qui fecit tuum? non eras, & creavit te, ut esses: non te curat, cùm jam sis, qui vocat ea, quæ non sunt, tanquam sint?* Ex capite etiam Immensitatis divinæ excludi intelligitur omnis labor in Providentia ex Augustino (2): *Non enim sic fecit (Deus Mundum) quo modo facit Faber. Forinsecus est arca, quam facit, & illa in alio loco posita est, cùm fabricatur; & quamvis juxta sit, ipse alio loco sedet, qui fabricat, & extrinsecus est ad illud, quod fabricat. Deus autem Mundo infusus fabricat, ubique positus fabricat, & non recedit aliquò, non extrinsecus quasi versat molem, quam fabricat. Præsentia majestatis facit, quod facit: præsentia suã gubernat, quod fecit.* Et alibi (3)

H 2

ait:

(1) Serm. 59. de verb. Euang. Matth. c. 2.

(2) Tr. 2. in Jo.

(3) Epist. 187. ad Dardanum.

ait: *Sic est Deus per cuncta diffusus . . . sine labore regens , & sine onere continens Mundum .*

Accedit , quòd in Creaturas omnes actu potestatem suam exercet Deus , quæ nonnisi ex ipsarum intima scientiâ , & liberâ dispositione pendet . Hoc advertit Plotinus Platonicus , quem laudat S. Augustinus (1) . Hic ex Dei Creatoris , & Domini simplicissima natura sic rationem dat , cur non sit operosus Deus (2) : *Nam laborare in opere disponendo , nihil aliud esse videtur , quàm aliena opera tractare , idest ea , in quæ potestatem non habet . At in iis , quæ quis habet in potestate , & quidem solus , quam re aliâ indiget , nisi seipso , & voluntate suâ . Hoc autem perinde est , ac suapte Prudentiâ , dicere . Qui enim hujusmodi est , huic Voluntas ipsa Prudentia est . Nihil itaque deest huic ad faciendum , quandoquidem non est ejus aliena Prudentia . Sed ipse nullâ re adventitiâ utitur . Ergo neque cognitione neque memoriâ . Hæc enim adventitia sunt .*

Sed indignum est Deo rebus nostris vacare , quemadmodum indignum esset Regi summo Pastorum tuguria curare , eorumque lites componere . Ajebat idcirco Plinius (2) : *Ir-ridendum verò , agere curam rerum humanarum ! Istud , quidquid est summum : Anne tam tristi , atque multiplici ministerio non pollui credamus , dubitemusve ? Itane ?* Profanus homo de Deo ineptissimè judicat , Deique infinitam virtutem , ac bonitatem ex suamet infirmitate , ac pravitate metitur ! Si indignum esset Deo rebus nostris vacare : cur indignum non fuit nos , & nostra creare ? Argumentum urget S. Ambrosius (3) : *Si injuria est regere , nonne est major injuria fecisse ?* Profectò ex uno Deo condita sunt , quæcunque etiam minima , & abjectissima in terris conspiciuntur , quin aliquid de infinita ejus majestate detractum sit : pari igitur ratione nihil de ejus infinitis perfectionibus imminue-

(1) De Civ. l. 10. c. 14.
(2) Lib. 1. de Offic. c. 13.

(3) Enn. 4. lib. 4. c. 12.

minuetur, dicendo, curam illi esse de omnibus. Hoc utique S. Augustinus expendit (1): *Deus itaque summus, & verus . . . Deus unus omnipotens, creator, & factor omnis Animæ, atque omnis Corporis . . . a quo est quidquid naturaliter est, cujuscunque generis est, cujuslibet æstimationis est: a quo sunt semina formarum, formæ seminum, motus seminum, atque formarum: qui dedit & Carni originem, pulchritudinem, valetudinem, propagationis fecunditatem, membrorum dispositionem, salutem concordia: qui & Animæ irrationali dedit memoriam, sensum, & appetitam; rationali autem insuper mentem, intelligentiam, voluntatem: qui non solum Cælum, & Terram . . . sed nec exigui, & contemptibilis animantis viscera, nec avis pennulam, nec herbæ flosculum, nec arboris folium sine suarum partium convenientia, & quadam veluti pace dereliquit: nullo modo est credendus, regna hominum, eorumque dominationes, & servitutes a suæ Providentiæ legibus alienas esse voluisse. Argumentum maximi est ponderis, & , ut dicunt, a fortiori, desumptum nempe a benefica Dei voluntate circa rerum minimarum existentiam.*

Ex alio etiam capite Providentiæ divinam demonstrat Augustinus, videlicet ex necessitate virtutis divinæ ad rerum conservationem. Sic enim habet (2): *Creatoris namque potentia, & Omnipotentis, atque Omnitenentis virtus, causa sustinendi est omni Creaturæ: quæ virtus ab eis, quæ creata sunt, regendis si aliquando cessaret, simul & illorum cessaret species, omnisque natura concideret. Neque enim sicut structor Ædium, cum fabricaverit, abscedit; atque, illo cessante, atque abscedente, stat opus ejus: ita Mundus vel ictu oculi stare poterit, si ei Deus regimen sui subtraxerit. Et infra, ne uno quidem die cessasse ab opere regendi, quæ creavit: ne motus suos naturales, quibus aguntur, atque vegetantur, ut omnino naturæ sint, & in eo quod sunt, pro suo*

(1) Lib. 5. c. 11. de Civit.

(2) Lib. 4. de Gen. ad litt. c. 11.

suo quaque genere maneant ; illico amitterent , & esse aliquid omnino desinerent , si eis subtraheretur motus ille Sapientiae Dei , qui disponit omnia suaviter . Si ergo & rerum creatio , earumque conservatio divini muneris est , ex reata ratione deducitur , pari jure divini esse beneficii effectum singularum rerum , atque hominum in primis curam , & providentiam . Non enim fecit , atque abiit : sed ex illo , in illo sunt : ait Augustinus (1) .

Hanc majorem , quam semper inculcamus , curam , ac providentiam Dei adversum homines praeter ceteris rebus aliis , voluit alicubi Hieronymus innuere (2) , quem locum Deistae in suam ipsorum perniciem detorquent : ait enim S. Doctor : *Sicut igitur in hominibus , etiam per singulos Dei currit Providentia : sic in ceteris animalibus generalem quidem dispositionem , & ordinem , cursumque rerum intelligere possumus . Verbi gratia , quomodo nascatur Piscium multitudo , & vivat in aquis : quomodo reptilia , & quadrupedia oriuntur in terra , & quibus alantur cibus . Caterum absurdum est , ad hoc Dei deducere majestatem , ut sciat per momenta singula , (nimirum scientiam pariente curam benevolam , & paternam , qualem habet erga homines) quot nascantur culices , quotque moriantur , quae cimicum , & pulicum , & muscarum sit in terra multitudo , quanti pisces in aqua nant , & qui de minoribus majorum praedae cedere debeant . Non sumus tam fatui adultores Dei , ut , dum Potentiam ejus ad ima detrahimus , in nos ipsos injuriosi simus , eandem rationabilium , quam irrationabilium Providentiam esse dicentes . Id equidem in confesso est apud omnes , longè majorem exerceri Providentiam erga homines , quam erga creaturas alias hominibus naturam inferiores . Sanè Aristoteles ipse (3) asseruit : Si Deorum Providentia daretur , potissimum circa homines esset , qui Diis magis accederent .*

Inter

(1) Lib. 4. Confes. c. 12. (2) In c. 1. Habacuc .
 (3) Lib. 10. Ethic. c. 8. n. 10.

Inter Creaturas deinde omnes nulla finem habet adeo excelsum, qualem habet homo, ut veram felicitatem consequatur. Jamverò *Providentia* (ut ait Boetius) (1) *est ars ordinans res ad suos fines per media consequentia*: debent itaque multò esse nobiliora media ad rationalium Creaturarum felicitatem a Providentia adhibita, quàm ad cæteras res ratione carentes.

Aliud est Epicureorum, ac Deistarum contra Providentiam argumentum, quod ex innumeris vitæ hujus incommodis, ac malis eruitur. Hoc utique Lactantius (2) ita exponit ex illorum sententia: *Deus aut vult tollere mala, & non potest: aut potest, & non vult: aut neque vult, neque potest: aut & vult, & potest. Si vult, & non potest; imbecillus est: quod in Deum non cadit. Si potest, & non vult; invidus: quod æquè alienum a Deo. Si neque vult, neque potest; & invidus, & imbecillus est; ideoque neque Deus. Si vult, & potest; quod solùm Deo convenit: unde ergo sunt mala? aut cur illa non tollit?* Subdit deinde Lactantius: *Plerosque Philosophorum, qui Providentiam defendunt, hoc argumento perturbari solere, & invitos penè adigi, ut Deum nihil curare fateantur: quod maximè querit Epicurus.* Idem alibi fusè tradit (3). Ac revera ex rei hujus ignoratione in errorem maluit prolabi Arnobius, auctor africanus ex pagano christianus, asserens, illorum malorum auctorem non esse Deum: & ex hoc in alium errorem se conjecit, affirmans, Animas ipsas hominum non a Deo procreari, tantumque est longè, ait, *ut istarum auctor rerum (Deus) esse credatur, ut in sacrilega crimen impietatis incurrat, quisquis ab eo, conceperit, hominem esse prognatum, rem infelicem, & miseram; qui esse se doleat; qui conditionem suam detestetur, ac lugeat: qui nullà alià de causa sese intelligat procreatum, quàm ne materiam non*
habe-

(1) Lib. 4. de Consol. pro. 6.

(2) Lib. de Ira Dei c. 13.

(3) Lib. 3. Instit. c. 17.

haberent, per quam diffunderent se mala: & essent miseri semper; quorum cruciatibus pasceretur nescio quæ latens, & humanitati adversa crudelitas. Hæc Arnobius scribebat circa annum 304. (1) indigna sanè viro Philosopho, horrenda homini Christiano.

Verùm equidem non est, cur ex tradita difficultate quidquam perturbemur, sed optimam nodo solutionem tradere possumus. Atque in primis partem illam eligimus, quòd Deus potest tollere mala physica, & non vult: at minimè inde sequitur, Deum esse invidum. Ut enim hoc inferretur, deberet homini innotescere ratio, cur velit ea mala Deus, cùm possit ea nolle. Hoc autem non est hominis undequaque limitati, & finiti, nõsse videlicet æternæ, infinitæque mentis consilia. Negare autem Providentiam Dei ex eo, quòd non uno modo, nec ad votum omnia cedant; & ignoretur divini consilii ratio: est omnino (ut notat Nemeseus c. 44.) *extra omnem rationem, ac iudicium*. Quemadmodum enim nemo propterea mare uspiam esse negat, quòd illius mensuram non assequatur: nec arenam, quòd ejus numerus non appareat: sic Providentiam ob id e medio tollere non oportet, quòd ejus effecta, & quasi vestigia comprehendere non possimus. Opportunè subdit Nemeseus ib. *Si infinita est (Providentia), nobis erit ignota. Quamobrem par non est, nostram inscientiam ad rerum Curæ, ac Providentiæ subversum transferre.*

Cæterùm non una designari potest ratio, cur Deus mala hæc physica in rerum omnium ordine admixta voluerit: & multiplex profertur tum a nostris, tum ab externis Auctoribus; unde nimirum Universitas hæc rerum mirificè Dei sapientiam gubernantis repræsentet. Profectò Synesius (2) sic ratiocinatur: positis nimirum in propinquo malis, non solùm notiora, sed etiam perfectiora fiunt bona, quæ tali modo purgantur, ac veluti defæcantur. Rem hanc suadet

exam-

(1) Lib. 2. contra Gentiles. (2) Lib. 2. de Prov.

exemplo arborum, ubi folia amariora, quæ ad se succum pravam, & quidquid est deterius arboris trahunt; in proximo habent poma dulcissima ex probo, sincero, ac maximè defæcato succo orta. *Ideo ficus videmus suavissimum esse fructum: folia verò, corticem, radicem, & truncum, omnia hæc acrioris esse succi.*

Juxta hanc rerum imaginem optimè addi potest, quæ tradit Lactantius: (1) *Ideo proposuisse Deum homini bona, & mala: quia sapientiam dedit: cujus omnis ratio in discernendis malis, ac bonis posita est. Non potest enim quisquam eligere meliora, & scire quid bonum sit, nisi sciat simul rejicere, ac vitare, quæ mala sunt. Invicem sibi alterutrum connexa sunt, ut sublato alterutro, utrumque tolli sit necesse. Propositis igitur bonis, malisque, tum demum opus suum peragit Sapientia: & quidem bonum appetit ad utilitatem, malum rejicit ad salutem... Nam si malum nullum sit, nullum periculum, nihil denique, quod lædere hominem possit, tollitur omnis materia sapientiæ; nec erit homini necessaria. Positis enim tantummodo in conspectu bonis, quid opus est cogitatione, intellectu, scientiâ, ratione, cum quoquunque porrexerit manum, id naturæ aptum, & commodum sit? Quæ planè verba cum Synesii paulò antè citatis benè cohærent.*

Aliam nobis speciem exhibet Augustinus; (2) quæ pulcherrima, & ad rem explicandam aptissima est. *Divisit Deus inter lucem, & tenebras, ne vel ipsæ privationes non haberent ordinem suum, Deo cuncta regente, atque administrante. Sicut in cantando interpositiones silentiorum certis, moderatisque intervallis, quamvis vocum privationes sint, benè tamen ordinantur ab iis, qui cantare sciunt, & suavitati universæ cantilenæ aliquid conferunt. Et umbræ in Picturis eminentiora quæque distinguunt; ac non specie,*
 Tom. II. I sed

(1) Lib. de Ira Dei c. 13.

(2) Lib. de Gen. ad litt. c. 5.

sed ordine placent. Et alibi (1) sic scribit: Ita quasi antithetis quodammodo, quod nobis etiam in oratione jucundum est, idest ex contrariis, omnium simul rerum pulchritudo figuratur.

Huic suppare sunt S. Prosperi enunciationes de admirabili nempè rerum varietate, & sapienti moderatione, in carmine de Providentia:

*Quod verò adversis compugnant condita causis,
Atque aliis alia obsistunt; contraria discors
Omnia motus alit: dumque illi occurritur illo,
Vitalem capiunt cuncta exagitata vigorem.*

Ac paulò post

*Nec mihi fas dixisse aliquid non ritè creatum,
Aut ullas ausim Mundi reprehendere partes:
Cum Sator ille operum teneat momenta suorum,
Et carptim varios in totum temperat usus.
Denique quidquid obest, aut causâ, aut tempore verso,
Prodest: & gemino subsistunt cuncta periculo.
Frigora perpeffus solem cupit: ustus ab aestu
Inter hyperboreas mavult algere pruinas.
Injusto pluviam metuit sub fasce Viator,
Quam poscit votis sitienti Rusticus agro.
Cæruleos angues timor istius est visere: at illi
Intrepida excœctis oneratur mensa Chelydris.*

Ex quibus sanè sententiis iniquissima Arnobii querimonia diluitur, admittentis idcirco duplex illud principium: cum ceteroqui ex eo, quò Deus infinitè bonus sit rerum omnium auctor, inferre debuisset vel in malis physicis suum esse ad Universi commoda bonum. In cuius rei testimonium S. Paulini epistolæ fragmentum juvat subjicere. Sic enim

(1) In lib. 1. de Ord. c. 7,

enim habet (1): *Omnia Dei facta pulcherrima sunt: & non est malum, quod bonum habet Auctorem: qui cuncta per Mundum nostris usibus præparavit, & nostris utilitatibus agit: & ita ipsius Universitatis opus condidit, ut alia ad serviendum, alia ad exercendum, alia ad dominandum creaverit. Itaque corporeis, animalibusque naturis homines ratione dominamur. Sed ne ipsâ potestatis nostræ licentiâ resolvamur, utiliter exercemur adversis, aut spiritibus Dæmonum, aut difficultatibus negotiorum, aut ipsorum sæpè elementorum motibus, videlicet ut exagitati, curis Prudentiæ, & metu Divinitatis acuamur.*

Sed multo majorem expositâ videtur habere difficultatem argumentum a multitudine hominum iniquorum, qui sunt in Mundo, desumptum. Ex rectissima Dei Voluntate illud consequi deberet, ut hominum reatus, & peccata impedi-
rentur. Optimi enim Gubernatoris esse partes novimus, non punire modò, sed pro viribus coërcere Subditorum licentiam, ne in culpas prodeat. Cùmque ex Dei nutu; omnia scientis, & prævidentis omnia pendeant, facillimum ipsi esset, ita Mortalium dirigere affectus, ut nonnisi divinæ legi conformes fierent. Enimvero non Epicureis tantum, sed recentioribus Deistis visum est hoc lethiferum telum adversus Dei Providentiam, ut videre licet apud Petrum Bayle in execrando suo Dictionario (2).

Ast equidem in hujusmodi perquisitionibus non Dei Providentiam in discrimen adduci, sed hominum temeritatem, atque intolerabilem arrogantiam manifestari, judico. Sanè quamvis nulla designari possit hujusce difficultatis ratio; vel ipsam exposcere rationem a Deo, nonne hominem pudere deberet? *De hujusmodi rebus (ait Chrysostr.) (3) curiosè perquirere, & rationes exposcere, modumque sciscitari, audacissimi, ac temerarii animi est.* Et hujus rei clarissima

I 2

ratio

(1) Ep. 38. (2) Art. *Manich. Marc. Paullan. Origen. Zenoson. &c.*
(3) Tom. 1. de Incompr. Dei Nat. Ser. 2.

ratio est : tum quia ex Apostoli documento admonemur : *Quis enim cognovit sensum Domini ? aut quis consiliarius ejus fuit (1) ?* Tum etiam quia ex Augustino accepimus (2) *Revera sunt , de quibus ratio reddi non potest , non tamen non est . Quid enim est in rerum natura , quod irrationabiliter fecerit Deus ?* Quin & alibi docet . *Non dubitandum est , esse justum , etiam quando (Deus) facit , quod hominibus videtur injustum (3) .* Ac revera consideretur humanae mentis infirmitas præ infinita Dei sapientia , quàm nihili facienda est ! ut statim evanescit ! Divini Creatoris dignitas postularer , ut ipsius opera nonnisi rectissimo consilio perpetrata existimarentur , & summo haberentur in honore . Pulcherrimè hac super re differit Augustinus (4) : *Cùm enim ceperimus disputare de operibus Dei : quare hoc ? & quare illud ? Et non debuit sic facere . Malè fecit hoc . Ubi est laus Dei ? &c . Quasi si intrares in officinam fortè Fabri ferrarii , non auderes reprehendere folles , incudes , malleos . Et da imperitum hominem , nescientem , quid quare sit : & omnia reprehendit . Sed si non habeat peritiam Artificis , & habeat saltem considerationem hominis , quid sibi dicit ? Non sine causa hoc loco folles positi sunt : artifex novit quare ; etsi ego non novi . In officina non audet vituperare Fabrum , & audet reprehendere in hoc Mundo Deum ?*

Profectò ut de hominibus , quos malos permittit esse hoc in Mundo Deus , aliquid dicamus : Eos sinit existere Deus , ut exinde boni aliquid extrahat . Hoc apertè ait Augustinus (5) : *Neque enim Deus ullum non dico Angelorum , sed vel hominum crearet , quem malum futurum esse præscisset ; nisi pariter nosset , quibus eos bonorum usibus commendaret : atque ita ordinem sæculorum , tanquam pulcherrimum sarmen etiam ex quibusdam quasi antitibetis honestaret .* Quare pu-

(1) Ad Rom. 11. 34.

(2) Epist. 120. ad Cor.

(3) Lib. Sent. Sent. 330.

(4) In Ps. 148.

(5) Lib. 11. de Civ. c. 18.

re putandum est, ad bonum Universi etiam pravos homines facere. Neque obstat, id a nobis non concipi: Novit optimè rerum Auctor, cui bono deputentur. Fortassè longè minor esset Mundi totius pulchritudo, si Improbi deessent, quàm quanta est in præsentì. Opportunè suppetit, quod scribit Theodoretus (1): *Nos autem illorum esse similes videmur, qui ignari Picturæ id accusant, quòd Pictor non ubique pulchros colores adhibeat: cum tamen ille, qui cuique congruebat loco, eum adhibuerit. Aut si quis drama reprehendat, quòd non omnes in eo sunt heroës, sed est etiam servus, & rusticus, & similis quispiam loquens. Atqui pulchrum illud non erit, si deteriores eximas, quod ex istis completur.*

Potest autem aliqua proferri ratio, propter quam Deus Malos esse finat in hoc Mundo? Plures exhibet Chrysof. (2) Anselmus *de lapsu diaboli*; & Augustinus pluribus in locis. Celebre est illud (3): *Ne putetis, gratis esse malos in hoc Mundo, & nihil boni de illis agere Deum. Omnis malus aut ideo vivit; ut corrigatur: aut ideo vivit, ut per illum bonus exerceatur.* En binæ rationes, in quarum prima eminet Dei longanimitas, benignitas, & patientia: in altera proborum virtus, caritas, & constantia perficitur. *An divitias bonitatis ejus, & patientiæ, & longanimitatis contemnis? Ignoras, quoniam benignitas Dei ad penitentiam te adducit?* Sic hujusmodi Improbos alloquitur Apostolus (4). Et Augustinus (5) ait: *Cum eos vitiis propriis malos futuros esse præsciret, non eos tamen creare desistit: utilitati deputans eorum, quos in hoc genere ita creavit; ut ad bonum proficere nisi malorum comparatione non possent.*

Accedit & alia ratio, ut videlicet sancti ex illis gignerentur Filii, & Nepotes; atque horum gratiâ illos tolera-

(1) Lib. 9. contra Græcos obtrectatores, desumitque ex Plotini libris.

(2) Hom. 13. in Matth.

(3) In Ps. 54.

(4) Ad Rom. 2. 4.

(5) Lib. 11. de Gen. ad litt. c. 11.

plures tum ex ethnicis, tum e nostris optimè respondent. Inter illos proferri meretur Seneca in libro *de Providentiâ*; ubi multiplice ratione evincit, non esse Providentiæ contrarium, quòd *bonis viris mala accidant*. Ad quatuor capita revocari omnia possunt: i. quòd ista, quæ videntur *mala, adversa, & abominanda*, iis ipsis quibus accidunt, profint potius, quàm noceant. ii. profint Universis, quorum major esse debet divinæ Providentiæ cura, quàm singulorum: & Bonorum aspera patientium exemplo cæteri maximè juvantur. iii. accidant volentibus; ac dignos malis esse, si ea nolint. iv. Eadem lege bonis eveniant, qua boni sunt. Bona tandem Impiis tradita apertè doceant omnes, vili loco & a Deo, & a nobis esse reponenda. *Nulla modo magis potest Deus concupita traducere, quàm si illa ad turpissimos defert, ab optimis abigit* (1).

E nostris autem longum esset, atque operosum egregias, & virtute plenas sententias exscribere. Legi potest Ambrosius (2) Gregorius magnus (3) Chrysofomus (4) & Augustinus (5) ait. *Alios coronat (Deus), alios damnat, nusquam errat. Alios probat, de aliis probat; omnes ordinat. Quid faciunt in hoc mundo homines mali? In fornace artificis palea quid facit?*

Non est autem, quòd Impiis in hoc etiam Mundo malè non accidat, & quidem sæpissimè: minus autem ad hoc advertitur; ubi autem Improbiis benè succedat, attentè consideratur, & speciatim adnotatur: unde de bono Impiorum successu queruntur omnes, de suscepta ab iis pœna nemo admiratur. Enimverò si historias veteres, si accuratas nostrorum temporum ephemerides, si quotidiana exempla diligenter animo percurramus: manifestum fiet, multo plures

- (1) Sen. loc. cit. c. 7. (2) Lib. 1. offic. c. 12.
 (3) Lib. 14. Moral. c. 23. & 24. lib. 18. c. 13. lib. 21. c. 4.
 (4) Lib. de Providentiâ, & in Genes. hom. 33.
 (5) In Ps. 36. & 136. lib. 1. de Civ. c. 8. In Serm. 3. de dedicat.

res esse malos homines malè habitos , quàm riceversa . Evolvantur Cæsarum historiæ apud Suetonium , ac Tacitum : ut illos scelestissimos novimus , sic eosdem & continuos inter iniquæ sortis timores vitam egisse , & miserando fato consummâsse , legimus . Idipsum historiæ recentiores ostendunt . Idipsum luculento confirmant testimonio carceres improbis hominibus , humanâ vigente Justitiâ , destinati ; vincula , quibus nefarii quicumque adstringuntur ; furcæ , quibus damnantur . Idipsum tot perditissimi Juvenes voluptatibus penè mersi , suis illis foetidissimis ulceribus ad suam , aliorumque nauseam oppleti , apertè satis indicant , malis hominibus malè etiam in hac vita esse consultum . Quòd autem aliquando aliter fieri conspiciamus , & Iniquis prospera pleraque contingere , id propterea ex Dei Providentia disponi autumant sapientes Viri , quòd cum nemo sit sceleratis adèd moribus inquinatus , ut nonnullam virtutis saltem moralis speciem non habeat ; idcirco tenui quadam bonorum felicitate donetur : Ex opposito cum nemo ita bonus , virtutisque cultor sit , ut aliquâ cupiditatum scoriâ non sordeat ; ideo bonos , probosque viros molestiarum , & malorum igne Deus repurget . De primi generis exemplis profert Augustinus (1) Rempublicam romanam , quam Cives illi constituerunt , auxeruntque , Deo remunerante *civiles etiam sine vera Religione virtutes* . De secunda verò classe legatur Salvianus (2) , ubi ostendit , calamitates omnes nostris iniquitatibus esse adscribendas : *Quidquid malorum quotidie , pœnarumque perferimus , censura est divinæ manûs : quam utique censuram nos inardescere facimus , & peccatis nostris jugiter commovemus . . . Nihil itaque , quod de calamitatibus nostris Deo imputare possimus : nos calamitatum nostrarum Auctores sumus .*

Quare approbanda in universum est Titi Bostrensis sen-

Tom. II.

K

ten-

(1) Ep. 138. ad Marcellinum c. 3.

(2) In lib. de Provid. & l. 8.

tentia (1): *Non oportebat, ut videtur, pervia omnibus esse divinorum operum argumenta: neque sermone, aut comprehensione omni majorem mentem penitus esse manifestam hominibus: quandoquidem Regis etiam hominis, & Magistratus interdum pleraque sunt occulta consilia: adeo ut, quod geritur, obscurum sit, qua ratione geratur. Quocirca mirum non est, si homines non omnino capiunt rationem divinæ administrationis; quibus conveniens est absque ulla curiositate cedere, ac quietè sese continere, nec inexplicabili gubernationi illi resistere. Etenim sæpenumero ne in artificem quidem, velut Architectum, aut navium Ædificatorem, aut ararium Fabrum artis suæ peritum curiosè inquirimus: qui singula opera consentaneè molitur, cum illorum experientiæ fidamus.*

IV. Secunda Deistarum Classis, *Deum esse ultro fatentur, ejusque Providentiam, quatenus rerum Creatarum vices, ac naturales mutationes divinæ Potentiæ, ac Sapientiæ adscribunt: Verùm inter bonum, malumve morale nullum a Deo volunt esse discrimen; Dei quippe nihil interesse, ajunt, probè ne, an secùs homines operentur, proindeque actus dici bonos, aut malos ex arbitrariis dumtaxat humanarum legum sanctionibus. Ac revera error hujusmodi, qui teste Clarkio l. c. altè serpit, atque latè, officia Juris naturæ Deo debita oppugnat. Etenim ipsis Dei attributis, ejusque potissimùm in suas Creaturas supremo dominio, ac potestati legislativæ (quæ ex Jure naturæ dignoscuntur) vehementer obsistit. Idcirco Apostolus (2) scribebat: *Per prævaricationem legis Deum inhonoras; Illum ipsum, nempe, a quo legem accepisti. Legis enim prævaricatio in injuriam cedit, & ignominiam Legislatoris; per eam quippe honor illi debitus, qui in observatione legis ab eo latæ consistit, aufertur.**

Pro-

(1) Ex lib. de Prov. apud Jo. Damasc. in Eclog.

(2) Ad Rom. 2. 23.

Profectò inde est, quòd Improbi homines in Scripturis inimici Dei dicuntur, & communiter ita audiunt: *Dicuntur (1) autem in Scripturis inimici Dei, qui non naturá, sed vitiis adversantur ejus imperio: nihil ei valentes nocere, sed sibi. Inimici enim sunt resistendi voluntate, non potestate lædendi. Deus namque immutabilis est, & omni modo incorruptibilis... Natura igitur non est contraria Deo, sed vitium. Quia quod malum est, contrarium est bono. Quis autem negat Deum summè bonum? Vitium ergo contrarium est Deo, tanquam malum bono.*

Ex quo inferri potest, (quod alibi statuimus) officia nempe moralitatis, quæ ad Jus naturæ spectant, ex intima rerum convenientia, aut non convenientia cum natura rationali vim suam haurire. Hanc respicit naturæ Lex, quam hominibus indidit Deus, ipsaque voluntates eorum, qui Deo subjecti sunt, determinat. Quare, quotiescumque homines ab hisce regulis discedunt, præferendo nimirum propriam voluntatem naturæ ipsi rerum: toties injuriam Creatori rerum, ac Legislatori faciunt, qui jus habet exigendi ab omni Creatura, cui rationis usum dedit, illarum legum observationem, juxta quas etiam Auctor ipse actus suos dirigit.

Enimvero ipsa Justitia Dei, sine qua Deus non est; nullo pacto ferre potest æquo, gratoque animo iniquitates suarum Creaturarum, quarum ipse curam gerit. Imò necesse est, ut ipsi quam maximè displiceant; quod expressit optimè Augustinus (2): *Si Deus est, Justus est: si Justus est, displicet ei injustitia, displicet iniquitas. Tu autem cum putas ei placere iniquitatem, negas Deum. Si enim Deus est, cui displicet iniquitas; cum dicis in cordibus tuis, favet Deus iniquitatibus meis, nihil aliud dicis, quàm non est Deus.* Tullius (3) hoc idem docuit tanquam omnino

K 2

cer-

(1) Ait. Aug. de Civ. l. 12. c. 3.

(2) In Pl. 52.

(3) Lib. 2. de Leg. c. 7.

certum : *Sit igitur jam hoc a principio persuasum Civibus ; Dominos esse omnium rerum , ac Moderatores Deos : Eaque quæ gerantur , eorum geri dilione , ac numine , eosdemque optimè de genere hominum mereri : & qualis quisque sit , quid agat , quid in se admittat , qua mente , qua pietate colat religiones , intueri : Piorumque , & Impiorum habere rationem .* Idcirco juxta rationabilem hanc persuasionem stantebant Ethnici suos Judices apud Inferos , quorum sententiâ homines post mortem vel pœnis addicebantur , vel præmiis cohonestabantur ex Deorum decreto . Hoc ipsum Euripides scripsit (1) : *Quisquis mortalium improbus est , illum Dii puniunt .*

V. Quòd autem Deistæ dicunt , prædicta Moralitatis officia a legibus , hominum conventionem fancitis , ortum habere : apertæ falsitatis convincitur , & contradictionem claudit . Etenim si antecederet ad leges Societatis nullum esset discrimen inter bonum , & malum : quænam produci posset ratio legis alicujus ferendæ , cum omnia sint naturâ suâ indifferentia ? Profectò Tullius (2) vim Lucretiæ illatam improbavit , etsi nulla Lex de stupris Romæ scripta esset ; additque rationem : *Erat enim ratio profecta a rerum natura , & ad rectè faciendum impellens , & a delicto avocans .* Dices fortasse : commune generis humani bonum postulare harum legum constitutionem . At exinde inferatur , dari aliqua , ad bonum generis humani tendentia præ aliis ; ut nimirum aptiora sint ad conservandam , perficiendamque naturam humanam , & ad felicitatem consequendam : & idcirco sapientibus Viris visum fuisse necessarium , leges illas condere . Ergo si ratio , cur nonnulla fuerint legibus præscripta , exinde trahitur , quòd hæc bono generis humani necessaria sint : quis non videt , dari aliqua antecederet ad quamlibet legem , quæ naturâ suâ ita sint ? Si enim dicitur , ante legis sanctionem ea non esse bona : non posset

(1) V. 440.

(2) Lib. 2. de Leg. c. 4.

set dari æqua ratio , cur hoc potiùs in legem transferit , & non oppositum . Quod fanè Clarkius adnotat , esse absurdorum omnium maximum .

Sed difficillima res est , limites definire inter bonum , & malum ; inter virtutem , & vitium . Hujusmodi autem difficultas , ex tenui mentis acumine orta , in rem ipsam quàm malè refunditur ! Ecquis enim , colores esse diversos neget , quòd limites propter graduum decrementum inter unum , aliumve colorem non discernat ? Atque hoc quidem ex oculorum acie pendet , illud verò ex mentis solertia . Dari enim possunt hinc , & inde argumenta pro definienda præcisè rei alicujus natura : unde mens fluctuet ; quin ex eo deduci possit , non dari essentialem inter malum , & bonum diversitatem ; quæ quidem in re clarissima , innato rationis lumini oppositâ , manifestè dignoscitur .

Inde etiam resolvitur & alia difficultas ex diversa Sapientum opinione de re aliqua , bona sitne , an mala , pugnantium . Non ex rei natura , quæ nihil habet in se ambiguitatis , sed ex diversa hominum diversorum idea procedit . In principiis autem ipsis moralitatis , de quibus ideæ habentur clarissimæ , & idcirco dici solent clarissima , & evidentia ; nulla est inter sapientes Viros discrepantia . Res innotescet exemplo ducto ex Mathematica facultate : ubi nonnullæ propositiones non statim , & illico veritatem ostendunt , quemadmodum ipsa principia , ex quibus illæ deducuntur .

At pluribus in regionibus , ac diversis temporibus leges latæ sunt admodum inter se oppositæ ; & ab hujusmodi hominibus asseritur , nullum sibi videri intrinsicum inter bonum malumve discrimen . Sit ita porro . Tullius (1) adnotavit , latas fuisse aliquando leges ex impulsu cupiditatum etiam Romæ , etiam Athenis potuisse condi , quin ex eo inferri posset , non esse reipsa hujusmodi leges iniquas ,
& ipso

(1) Lib. 1. de Leg.

& ipso legis nomine indignas. *Illud stultissimum, existimare omnia justa esse, quæ scita sunt in populorum institutis, ac legibus. Etiamne si quæ leges sint Tyrannorum? Si triginta illi Athenis (Rectores nempe a Lacedæmoniis constituti) leges imponere voluissent, aut si omnes Athenienses delectarentur tyrannicis legibus, num. idcirco hæ leges justæ haberentur? Nihilò, credo, magis illâ, quàm interrex noster (L. Flaccus) tulit, ut Dictator (Sylla) quem vellet Civium, indictâ causâ, impunè posset occidere. Inde infert Tullius, ex intimo sensu discerni, quod bonum est a malo: Atqui nos legem bonam a mala nullâ aliâ nisi naturæ normâ dividere possumus. Nec solùm jus, & injuria a natura dijudicantur, sed omnino omnia honesta, ac turpia.*

Equidem non inficior, dari Gentes, quæ ex prava educatione, contractisque diurnâ consuetudine vitiis, depravata sentiant moralitatis principia, atque adeo ut silere faciant rationem. Ipsi quoque asserere non erubescant, minùs a se videri inter honestum, & turpe discrimen: Usque eò inveterata libido hominem præcipitem agat. Verùm & homines hujusmodi naturam omnino exuere nequeunt, & sepositis præjudiciis, insita moralitatis principia exhibent vel inviti. Quis enim utcumque scelestus homo est, ait Tullius (1), *ut eandem illam rem, quam adipisci scelere quovis velit, non multis partibus malit ad sese, etiam omni impunitate propositâ, sine facinore, quàm illo modo pervenire? Et Seneca (2): Dic cuilibet ex istis, qui rapto vivunt, an ad illa, quæ latrociniiis, & furtis consequuntur, malint ratione bonâ pervenire? Optabit ille, cui grassari, & transeuntes percutere quæstus est, potiùs illa invenire, quàm eripere. Neminem reperies, qui non nequitia præmiis sine nequitia frui velit. Maximum hoc habemus naturæ meritum, quòd virtus in omnium Animos lumen suum præmittit: etiam qui non sequuntur illam, vident.*

Sed

(1) De Fin. lib. 3.

(2) De Benef. lib. 4. c. 17.

Sed multò validius ad veritatem confirmandam argumentum desumi potest ex iudicio, quod homines ferunt de aliorum actibus, ubi nempe nihil sit, quod ad se, vel ad utilitatem suam spectet: ibi confestim patet, quid cuique Natura dicat circa distinctionem bonum inter ac malum. Virtus ea est, ut etiam a vitioso laudes extrahat. *Placet sua-
pte natura, adeoque gratiosa virtus est, ut insitum sit etiam
Malis, probare meliora.* (1) E contrario quamvis vitia altas in animo radices egerint, nunquam tamen approbantur in aliis:

Mendacia Fallax,

Furta Rapax, Furiosum Atrox, Homicida cruentum

Damnat, & in Moechum gladios distringit Adulter. Prosp.

Sic etiam experimur in legendo historias, excitari in nobis quosdam admirationis, & existimationis motus adversus homines præstantes in æquitate, in fortitudine, in fidelitate. Contrà verò nemo indignationem frænare potest in barbariem, prodicionem, injustitiam scelestissimorum quorumque. In his videlicet casibus nemo nisi ex conscientia iudicat, ubi nullam cum illis partem habet. Quid? quòd in fictis theatrorum spectaculis idem contingit sæpillimè, ut virtutis partes agenti faveamus, irascamur autem iniqua molienti?

Non est autem temerè præstanda fides narratiunculis quibusdam, citra debitos criterii boni canones propositis, ubi de Ignorantia refertur integrarum nationum circa vim obligandi ex principiis moralibus. Deinde etsi detur hoc, non inde inferri potest, quod optant Deistæ. Nonne plures etiam designari possent, & fortasse non minores numero, qui veritates mathematicas ignorent etiam certissimas, ut puta, quæ sit ratio quadratorum hypothenusæ. & laterum in triangulis rectilineis? Quare argumentum probaret, ut maximè, dari veritates aliquas, claras quidem, & faciles etiam, de quibus tamen homines indigent crudiri; & dari pariter alias magni quoque momenti, quæ rationes exigunt validissimas, ut approbentur: non verò

(1) Sen. de Benef. lib. 4. c. 17.

quòd

quòd homines possint dissentire a regulis illis ritè intellectis, & multò minùs, quòd nullum sit naturale, ac necessarium inter honestum ac turpe discrimen. Prædicta autem difficultas est nobis argumento satis ineluctabili ad demonstrandam necessitatem Revelationis.

Tandem nihil est, quod pro Deistis inferri potest ex retributione præmii, vel comminatione pœnæ, quæ ex legibus positivis determinatur aliquando sive pro rectè factis, sive pro iniquè gestis. Utcunque enim præscindamus, hujusmodi retributionem in genere ex natura ipsa actionum descendere, & lege positivâ tantummodo in particulari esse definitam: at certum est, esse quid posterius ad ipsam actuum naturam, nec quidquam immutare in rebus ipsis. Nihil ergo aliud præstat, nisi pondus addere, animosque augere hominibus ad Officia peragenda, quæ tamen aliunde ex recta ratione optima, & necessaria ostenduntur. *Sed inest*, ait Seneca (1); *huic bono etiam utilitas aliqua: cui enim virtuti non inest? Sed id propter se expeti dicitur, quod quamvis habeat aliqua extra se commoda, sepositis quoque illis, ac remotis, placet.* Et priùs dixerat Tullius (2): *Honestum id intelligimus, quod tale est, ut, detractâ omni utilitate, sine ullis præmiis, fructibusque, per seipsum jure possit laudari.* Et alibi (3): *Nihil est, de quo minus dubitari possit, quàm & honesta expetenda per se, & eodem modo turpia per se esse fugienda:*

Ex quibus manifestè deprehenditur, quantum a vero etiam hac in re aberraverit Voltairius, ubi asseruit: *Deismum esse ipsam rationem humanam, licèt nondum informatam revelatione* (4). Etenim Deismus adeo a ratione differt, ut neque rationi conformis sit: atque adeo rationi maximè adversari, vel Ethnici ipsi contestentur. Sed in hominis istius portentosis opinionibus vel commemorandis, vel refellendis superfluum esse existimo, immorari.

HOMI-

(1) De Benef. l. 4. c. 20. (2) De Fin. l. 2. (3) L. 3. (4) Zib. c. 22

82

HOMINUM OFFICIA
ERGA DEUM PRACTICA
DISSERTATIO III.

Explicantur hujusmodi officia . De Fide , quod primum est erga Deum ex J. N. officium . Hic Protestantes J. N. Scriptores a vera Fide aberrare convincuntur , & Coccejus apertè impugnatur . De Spe , altero J. N. erga Deum officio . Ubi de Desperatione , & Præsumptione . De Caritate , quod tertium est erga Deum J. N. officium . Ac tandem de Pœnitentia , quæ ad J. N. spectat . Atque hinc etiam Adversariis nostris J. N. Scriptoribus , Protestantibus neipè , eorum errores deteguntur .

I. **H** Actenus exposuimus præcipuas quasdam Dei notiones , quas Grotius (1) appellat *contemplativas* , & a nobis inter officia erga Deum *theoretica* accensentur : nunc progredi fas est ad alteram officiorum partem , & quidem *practicam* ex Jure etiam Naturæ , ut videlicet ad Dei voluntatem actiones reliquas nostras , quæ Deum ipsum spectant , componamus ; quæ sanè omnia *ad activas de Deo notiones* reducit Grotius l. c. *ad Deum honorandum , amandum , colendum , atque obtemperandum* . Profecèdò ex primis illis , quas proposuimus , divinis notionibus , & *practica* hæc officia legitimè descendunt ; quemadmodum Henricus de Cocceji pariter adnotat (2) : *Vera perfectionis æstimatio consistit in honore , & cultu : cum ergo Deus sit ens perfectissimum , summè colendus nobis erit .* II. *quia auctor est omnium rerum , a quo omnia bona profluunt , ideo honorandus , ac colendus .* Denique & III. *nulla ratio dari potest , cur mentem generi humano præ reliquis animantibus concesserit .*

Tom. II. L serit .

(1) Lib. 2. de J. B. & P. c. 20. §. 45.

(2) In Comment. ad dictum locum Grotii.

serit, cur facultate illum instruxerit cognoscendi Creatorem, ejusque attributa, voluntatem, & præcepta, si ab hominibus agnosci, eoque coli nolisset. Quare, cum Perfectiones divinæ, & Jus universalissimum Dei in homines exigant cultum non a facultatibus tantum internis, sed ab externis etiam: idcirco cultus erga Deum esse debet *internus* pariter, & *externus*.

Porro *Cultus* Deo *internus* exhibetur non modò animi submissione, qua infinitam Dei excellentiam veneramur: sed omnibus internis actibus, quibus lex naturalis observatur, si propterea observetur, ut Deus eam legem præcipiens honore debito habeatur. Si enim *ratione simplicis honestatis moralis* Legis naturalis præceptis paremus, erit actus merè moraliter honestus, qui remotè dirigi potest in Deum: erit autem religiosus erga Deum, si ex Dei jubentis ratione actus procedat. Præ cæteris autem actibus aliqui sunt, qui de se Deum respiciunt: atque his Deum præcipuè colimus: nempe actibus internis *Fidei*, *Spei*, *Caritatis*, & *Pœnitentiæ*, prout explicabimus in hoc tractatu, ubi de officiis ad Deum de Jure naturæ potissimum spectantibus agimus. Ad *externum* verò *Cultum* pertinent actus, quibus internum testamur, ut sunt ea, quæ ad exhibendam exterius virtutem Religionis Deo præstantur: licèt Religionis reipsa sit, Cultum omnem sive internum, sive etiam externum moderari. Ad Religionem etiam revocamus, *vitia* cultui Deo debito opposita prohibere: quæ sanè esse possunt vel *per excessum*, ut dicitur, vel *per defectum*: Primi generis est *Superstitio* cum suis speciebus. Secundi generis sunt actus directè tendentes ad *Dei*, *rerumque sacrarum Irreverentiam*.

Quamvis officia erga Deum levissimè fuerint a Protestantibus Juris naturæ Scriptoribus pertractata, irrationali nempe judicio: tamen eorum sententias non idcirco præteream, sed eas, ubi a recto deflexerint, rationibus coarquam

quam. Atque hoc in loco prædicti Auctores sunt commemorandi, nimirum qui nobiscum sentiunt quoad aliqua: is est utique Grotius, & cum eo uterque Coccejus, & si quis alius: licet ineptè contendant, utrum *Superstitio*, (quam esse vitium Religioni oppositum omnes fatemur) sit vitiosa *per defectum*, an *per excessum* (1)? Utrumque enim revera dici potest sub diverso respectu. Erit namque vitium *per defectum*: si animum advertamus ad hoc, quòd Deus coli nunquam potest nimum *cultu recto*: quantumcunque enim Deum colas toto corde, totâ animâ, totis viribus, si eo modo, quo ille se coli præcipit, colas: nunquam diceris colere *per excessum*. Superstitio idcirco, qui in perverso cultu consistit, dici potest revera *defectus* veri, rectique cultus. Dicitur autem solet *Superstitio* vitium *per excessum*, quemadmodum appellat S. Thomas (2): *Superstitio est vitium Religioni oppositum secundum excessum . . . quia exhibet Cultum divinum, vel cui non debet, vel eo modo, quo non debet*; videlicet in ordine ad externas circumstantias, vel ad certum tempus, vel ad alia determinata adjuncta, quæ expriment Dei cultum vel falsum, vel superfluum. Ac revera id videtur asserere Gronovius (3), contra quem scribit Coccejus ib. Ait enim Gronovius sic: *Quomodo igitur religiosos nos demonstramus? nempe templa adeundo, orando in genibus, aperto capite, supinis manibus &c. In his verò modum excedi posse, & amplius fieri, quàm Deus præcipit, & recta ratio poscit, quis ignorat?*

Erit ergo Cultus Deo debitus sive interior, sive exterior omni ex parte *rectus*, si nihil habeat sive in *actu*, sive in reliquis *circumstantiis*, quod Perfectiones divinas non deceat: Cultus enim *rectus* est *perfectionis existimatio*. Quicumque itaque actus ad Cultum spectantes ii esse debent, atque iis circumstantiis septi, qui apti sint ad manifestandas

L 2

das

(1) Grot. Proleg. §. 45.

(2) 2. 2. q. 92. ar. 1.

(3) In lib. c. Grotii.

das perfectiones divinas: atque ita dici possunt idonei modi *rectè* colendi Deum.

Hic errare dignoscitur Gronovius, (1) dum excusat Aristotelem, quòd *Religionem inter virtutes morales non accensuit*: & dum ait quòd *Spes, Caritas, & Fides solis Christianis ex revelatione innotuerint*. Aristotelem autem nihil moror: siquidem de Religione alio sub titulo loquitur ipse (2). Verùm fallitur Gronovius, excludendo a Jure naturæ virtutes illas ad Dei Cultum spectantes: cùm exerce-ri eæ debeant, quantum ex recta ratione innotescere possunt, ut mox videbimus.

II. Primum itaque inter officia *practica* erga Deum est *Fides*; non ea quidem, quæ ex revelatione, & divini Spiritus gratiâ nobis est infusa: sed quæ ex lege naturali potest haberi. Lex enim naturalis hominem obligat ex solo rationis lumine, ut *veram habeat, & sibi curet modis omnibus Dei cognitionem*. Idcirco optimè agebat Tullius (3): *Perdifficilis, & perobscura quæstio est de natura Deorum: quæ & ad agnitionem animi pulcherrima est, & ad moderandam religionem necessaria*. Atque hoc omni procul dubio est *officium*, quod dici potest *absolutum* erga Deum quoad hanc virtutem. Sunt etiam alia huc pertinentia ex ex J. N. officia *hypothetica*, quæ pari modo hominem ratione ipsa naturali obligant. Positâ enim gratuitâ hominis ad statum supernaturalem elevatione, Ratio ipsa naturalis, seu Lex naturæ obligat ad *habendam veram interiorem Fidem in Deum*. Etenim aliud est, hominem ad dona, supra naturæ vires excipienda, aptum fieri, (quod certissimè ex supernaturali divinæ Gratix beneficio factum est): aliud est, hominem curam omnem, diligentiam, studium adhibere, ut *in vera, rectaque Fide* instruat; quod quidem homo in præsentî statu tenetur ex præcepto legis natura-

(1) In Comm. ad Grot. Prolog. §. 45. (2) 4. Eth. 5.
(3) De Nat. Deor. sub init.

turalis implere. Lex enim naturalis obligat ad perficiendas Animæ facultates, ut diximus to. I. Perfectio autem Intellectus requirit veræ, rectæque Fidei instructionem; a qua Ethnicorum errores circa Dei naturam, ac perfectiones dignoscuntur, & vera obtinetur Dei ipsius notitia. Hæc rursus Fides necessaria homini fuit pro quocunque tempore, etiam pro statu Innocentiæ, imò, ut nostri probant Theologi, Angelis ipsis pro statu viæ.

Lege etiam naturali tenetur homo non resistere Fidei, semel sufficienter propositæ: nec recedere a Fide semel suscepta: neque dubitare, aut formidare de illa. Siquidem Ratio naturalis ipsa suadet, quoties Regis *mandatum* sit alicui sufficienter propositum, toties teneri Subditum illi non resistere: Qui enim tunc resistit, Regi ipsi injuriam facit. Par esset injuria Deo irrogata, & contra naturalem rationem, si Fidei divinæ sufficienter propositæ homo resisteret. Nec dissimilis esset Deo illata injuria etiam ex naturali ratione, si deficeret homo a Fide semel suscepta: vel de illius veritate, fundata nempe in Deo, qui ex lumine naturali prima & infallibilis veritas est, dubitaret quocunque modo.

Quod de Fide *generatim* accepta dictum est; intelligi debet de re qualibet ad Fidem spectante *in particulari*: teneri scilicet hominem ea vera credere, quæ ex eadem Fide, ut credenda, & probanda proponuntur: positâ videlicet sufficienti propositione. Quemadmodum ex eadem ratione asserimus: teneri Infidelem, quicumque is demum sit, ubi stimulos incipiet animi sentire, veritatem inquirere. Curare enim debet modis omnibus veras circa Deum habere cognitiones ex Jure naturæ.

III. Hic autem Heterodoxos *Juris naturalis Scriptores*, qui in libris suis, *de Jure naturæ, & Gentium* captâ occasione, non rarò contra nos Ecclesiæ Romanæ Alumnos calamum acuunt, parumper alloqui fas sit. Sanè Puffendor-

dorſius in ſuo *de J. N. & G.* volumine , & uterque Coccejus (1) , aliique complures non deſinunt nos Catholicos provocare , noſtrorumque dogmatum veritatem velle infirmare , meris tamen vocibus , & calumniis : quas tamen incauti e noſtris , indoctique ebibunt , & in propriam aliquando perniciem convertunt : Fas itaque mihi ſit , & venia detur , ſi hoc in loco ipsis non inutilia uſurpans verba , ſed evidentibus utens rationibus respondeam ; nec injuriis injurias , aut calumnias calumniis opponam , ſed æquo , pacatoque animo , & chriſtiana caritate prædito cum ipsis agam . Sic ergo , ut veritati modò propoſitæ inſiſtam , eos alloqui juvat .

Quicumque extra Romanam Eccleſiam eſtis , vel de veſtra Fide dubitatis , vel non ? Si primum : ergo neceſſe eſt , Fidem veſtram expendere diligentiffimè , utrum ex Deo ſit : ad hoc enim *Jus ipſum nature* , & officia *erga Deum* vos obligant : illorumque verba lubenti animo excipere , qui vobis probare contendunt , dubitationem veſtram non ſine fundamento eſſe , atque adeo effectum eſſe animi in errore exiſtentis , a quo ſanè niſi quantocyus ſe liberet , æternum ſibi metuat exitium . Si ſecundum , hoc eſt , habere vos pro vera , ſancta , & infallibili Fidem , Eccleſiamque veſtram (quod equidem in Viris ingenio , ac doctrina præſtantibus ſatis difficile judico) ; tum ſubdo : Ergo , cum ſciatis , eſſe ex adverſo Romanæ Eccleſiæ aſſectas , expendere adhuc vobis licet , imò & oportet (quod laudabiliter , & maximo cum emolumento fieri poteſt) Fidei , Eccleſiæque veſtræ fundamenta : Nam & nobis de noſtræ Fidei veritate omnino certiffimis licitum eſt , quin & laude dignum , & Deum rogare , ut Fidem adaugeat in nobis ſuam ; & expendere etiam ſolertiffimè , non quidem ex ulla dubitationis cauſa , ſed ut magis magiſque in Fide firmemur , veritatem rerum , ab Eccleſia noſtra propoſitarum . Neceſſe

(1) In Commentariis ad Grotium .

se est etiam, Fidei vestræ fundamenta cum illis, quæ Ecclesia Romana exhibet, sedulò conferre: Nam, *Et lana tincta fuco citra purpuram placet, non si contuleris*, juxta vulgatum adagium: tandem gravissimas illas, quas vobis objiciunt Ecclesiæ Romanæ Scriptores, opus est solvere difficultates.

In primis illa præcedat difficultas, quæ circa *unitatem Ecclesiæ Christi* a Catholicis opponitur. Etenim Christi Ecclesia una semper fuit, nec nisi una esse potest juxta Nicæni symboli veritatem: *Unam Ecclesiam*. Et Augustinus ait (1) *Ecclesia aut una, aut nulla*. Ea nimirum quæ in *Unitate Fidei* subsistit, & *extra quam salus esse non potest*. Sic expressè Apostolus (2): *Rogo autem vos, Fratres, ut observetis eos, qui dissensiones, & offendicula, præter doctrinam, quam didicistis, faciunt, & declinate ab illis*. Similia habet (3) alibi: *Sed licet nos, aut Angelus de Cælo evangelizet vobis, præterquàm quod evangelizavimus vobis, anathema sit*. In his locis ait Apostolus, non esse reputandos de Ecclesia Christi, qui aliquid docuerint circa fidem, oppositum nempe ipsius doctrinæ. Clariùs autem (4): *Unum Corpus, & unus spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestræ, Unus Dominus, una Fides, unum Baptisma, unus Deus, & Pater omnium*. Quæ indicant, vocatos nos esse in una spe vocationis, constituere cætum vocatorum, seu Ecclesiam Christi, tanquam unum Corpus, uno spiritu animatum. Sicut nobis unus est Deus: ita una nobis est Fides. Quod autem *extra Ecclesiam Christi non sit speranda salus*, in confesso est apud ipsos sive Lutheranos, sive Calvinistas, sive alterius sectæ heterodoxos.

At omnes istiusmodi homines, in vera Christi Ecclesia se esse, profitentur, & nonnisi unam nobiscum Christi Ecclesiam constituere.

Verùm

(1) Lib. 2. contra Cresc.

(2) Ad Rom. 16.

(3) 1. ad Cor. 1. Ad Phil. 3. Ad Gal. 1.

(4) Ad Eph. 4.

Verùm quâ id ratione possunt evincere? Quis unquam dicet, unam, eandemque esse Romanæ Ecclesiæ Fidem, ac Lutheranæ, aut Calvinisticæ &c? Cùm adeò discordes sint in pluribus ad Fidei, ac Religionis substantiam spectantibus; quæ sanè opposita cùm sint, a Christo Domino tradi simul Ecclesiæ suæ minimè potuerunt. Ergo vel Romana Ecclesia, vel ipsorum Ecclesia non est Ecclesia Christi. Utraque enim esse non potest. Quid ad hæc?

Novi equidem, e Protestantibus complures non adeo effrontes esse, ut primum illud asserant: sed neque secundæ parti acquiescunt. Incredibile est, quot effugia quærant, quot rimentur exitus, ut inde evadere ipsis liceat. Ingeniosissimus Leibnitzius hac super re pluries egit cum Cl. V. Pellissonio, ut constat ex commercio litterarum mutuo circa *tolerantiam Religionum* edito Parisiis an. 1692. Sed infirmitatem Cause suæ aliquo modo professus est. Præ cæteris verò observari licet, quantum se torqueat Henricus de Cocceiis in Commentariis ad Grotium pluribus in locis, ut ostendat, non debere se, suosque asseclas dici *extra Ecclesiam Christi* ex eo nimirum, quòd in aliquibus capitibus diversum sentiant a Romana Ecclesia, dummodo in præcipuis capitibus uniantur, prout revera uniantur. Repetit sæpissimè, (1) non esse censendum hæreticum (hoc est ab Ecclesia Christi sejunctum) nisi cùm quis a judicio totius Ecclesiæ Catholicæ, seu a quatuor Conciliis Catholicis dissentit: quo sensu sumitur ἀπερίστος ἀνόητος ad Tit. 3. 10. add. 2. Petri 2. 1. neutiquam autem cùm quis ab Ecclesia particulari, nedum cùm duæ particulares Ecclesiæ ab invicem dissentiant: uti cùm græca Ecclesia, & latina ritibus ordinationum ab invicem discedunt, id pro hæresi nullo modo habetur. Et paullo post: Talis est dissensus inter Romanam, & Evangelicorum Ecclesias: cùm Evangelici, & magis etiam, quàm Greci, omnia capita quatuor Conciliorum,

tan-

(1) Tom. 3. l. 2. c. 20. §. 50. & to. 4. l. 3. c. 5. §. 2.

tanquam normam Ecclesie Catholicae, inviolabiliter recipiant, adeoque planè sincera Ecclesie Catholicae membra sint (1).

Sed homini acutissimo Henrico de Cocceiis, (quem *Beatum* auctoritate suâ vocat Samuel ejus filius) & Samueli Filio, aliisque affectis sic oppono: Quonam jure, & quonam fundamento rationum prædictam addatis limitationem verbis Apostoli omnino absolutis, atque indefinitis? Quòd nimirum *satè sit cuique, recipere quatuor Conciliorum definita dogmata, ut intra Ecclesiam Christi sit*, licèt de cætero in aliis pluribus gravissimis Fidei, ac Religionis capitibus discrepet? Etenim Apostolus absolutè pronuncia- vit: *Licèt Nos, aut Angelus evangelizet vobis, præterquam quòd evangelizavimus vobis, anathema sit* (2), & (3) ali- bi: *Unus Dominus, una Fides, unum Baptisma, unus Deus, & Pater omnium*. Si fas est addere limitationes proprio ex cerebro locis Scripturarum, equis non videat, nihil ex Ver- bo Dei confici posse? Licebit etiam Mahumedano hanc pa- ri jure subdere limitationem: *Una Fides* hoc est *Unitate Dei*, ut sic concludat, nec se, suosque Mahumedanos esse extraveram Dei Ecclesiam. Profectò id animadvertere oportet, quòd docet Augustinus (4): *Non potest error oboriri pal- liatus nomine Christiano, nisi de Scripturis malè intellectis*. Rursus, undenam vir doctus hausit, *hæreticos illos tantùm dici posse, qui a quatuor Conciliis dissentiunt*? Undenam habuit, quòd in eo sensu dicatur *ἀπερὸς ἀνθρώπων* in il- lis locis Scripturarum, quos citat, ut scilicet *a quatuor Conciliis* discors sit? Licèt deinde addat etiam & *quintam quoque, & sextam* Synodum. Cur non etiam septimam? Cur non octavam? Et sic deinceps usque ad Tridentinam? Quo jure aliqua includuntur Œcumenica Concilia, & alia

Tom. II. M exclu-

(1) Comment. ad I. 2. c. 20. §. 50. Grot. de J. B. & P.

(2) Ad Gal. 1.

(3) Ad Eph. 4.

(4) Lib. 83. quæst. quæst. 4.

excluduntur? Citiùs omnia rejecisset, licèt fœdiùs, ad rem autem pari modo indecentiùs, at rationi conformiùs: cùm æqua sit omnium ratio. Optimè quidem scribebat S. Gregorius Magnus (1): *Sicuti Sancti Evangelii quatuor libros, sic quatuor Concilia suscipere, & venerari me fateor: Nicænum scilicet . . . Constantinopolitanum . . . Ephesinum . . . Calcedonense: quia in his velut in quadrato lapide sanctæ Fidei structura consurgit . . . Quintum quoque Concilium pariter veneror . . . Quisquis ergo aliud supit, Anathema sit.* Verùm eo tempore non amplius quinque celebrata fuerant Œcumenica Concilia: obiit enim an. 604. Si ergo ulterius vixisset, pari ratione & sextum, & alia deinceps excepisset Concilia. At Coccejus suo tantùm arbitrio filius præter quintum, etiam sexto Concilio se subscribit, rejectis aliis, ex quibus noverat, manifestos fieri suæ sectæ errores; quòd proculdubio est caput, unde ab ipso, & a suis rejiciantur alia, non minori licèt auctoritate pollentia. Sed de hoc infrà.

Subdit Coccejus: dissensum inter Romanam Ecclesiam, & Evangelicorum, seu Lutheranorum Ecclesiam non esse quoad capita substantialia, & idcirco ipsos esse *sincera* Ecclesiæ *Catholicæ membra*. Quàm malè sibi hac super re adblanditur Coccejus, videlicet ut conscientiæ suæ stimulos leniat quodammodo! In primis qui fieri potest, ut dignoscantur errores, qui sint fundamentales, & substantiales, ac secernantur ab iis, qui tales non sunt? Profectò Leibnitzius in citatis epistolis ad Pellissonium *unius tantùm capitis substantialis* meminit; quo dato, certissima ipsi est salus æterna: nimirum *Amor Dei, & Unio cum Deo*. Optimè factum. At si quisque sibi erit iudex putati hujus amoris Dei; nemo unus ex damnatis hæreticis hac de re non sibi adblandebatur. Amor Dei enimverò, nisi in observatione mandatorum ejus, re ipsa non datur. *Qui servat verbum*

(1) Lib. 1. Epist. 24.

bum ejus (Dei) verè , in hoc caritas Dei perfecta est (1) . Plura ex his mandatis ad rectam Fidem spectant . Hæc autem non certis capitibus pro cujusque libitu concluditur , sed omne quodcumque a Deo revelatum est , (utcumque minus substantiale videatur) fide divinâ credendum est .

Et sanè Apostolus ad Galathas scribens damnat eos , qui necessariam esse circumcisionem in lege Evangelica volebant , & clarè indicit Galathis (2) : *Si circumcidamini , Christus vobis nihil proderit .* Et paulò post subdit : *Persuasio hæc non est ex eo , qui vocat vos . Modicum fermentum totam massam corrumpit .* Videtur autem , circumcisionis necessitas in ipsa lege Evangelica non esse caput substantiale juxta Coccejum , cui solummodo , quæ ad doctrinam de Christi Divinitate , ceu Fidei fontem ; & universam illud de Sacrosancta Trinitate dogma , ceu unicum fidei fundamentum , ut asserit , (3) sunt capita fundamentalia , a quibus dissentientes hæretici dicendi sunt , utpote qui a quatuor illis primis Conciliis , ubi illa dogmata de Christi Domini divinitate , & de Sacrosancta Trinitate fuerunt constituta , dissentiunt . At nihilominus ab Apostolo damnantur , qui , admittentes Christi Divinitatem , ac SS. Trinitatis dogma , Circumcisionem (agebant) esse necessariam . Item resurrectionis futura non videtur in sententia Cocceii esse articulus Fidei substantialis , admissâ resurrectione Christi Domini , atque aliquâ aliâ jam factâ : non enim spectat ad Divinitatem Christi , neque ad Trinitatis mysterium : nihilo tamen minus ex Apostolo (4) habemus , præcipi Timotheo ; *ut profana , & vaniloquia devitet , addens : Ex quibus est Hymenæus , & Philetus , qui a veritate exciderunt , dicentes , resurrectionem esse jam factam , & subverterunt quorundam fidem .* Et licèt in Symbolo dicatur : *Credo Carnis resurrectionem* : potest intelligi juxta modum explicandi Scri-

M 2

ptu-

(1) 1. Jo. 2. 5.

(2) Cap. 5.

(3) Lib. c. sub. init.

(4) 2. Ad Tim. 2.

pturas ab ipsis admissum , de *Resurrectione jam facta* , non autem *futura* : quemadmodum licet in Symbolo dicatur , *Christum descendisse ad inferos* , explicatur id a Lutheranis de descensu *mentali* , & *metaphorico* , non autem de descensu *reali animæ Christi Domini* . Non erit ergo error ille Himenæi , & Philetis fundamentalis : ut qui non excluderet absolutè resurrectionem , multo minùs illam Christi Domini , sed *tempus resurrectionis* ; & nihilominus ab Apostolo *hæretici* , & *vixandi* declarantur .

Sed instemus cominus , & manus conferamus . Peto ab ipsis pacificè : ex quam ratione moveantur ad certa stabilienda capita *fundamentalia* fidei Christianæ , (exclusis aliis , quæ a Romana Ecclesia proponuntur , uti sunt , ajente Coccejo ib. *de Missa* , *de Sacramentis* &c.) atque ita , ut *hæretici* nomen habeat *tantum* ; qui ab illis discrepet : qui verò capita illa *fundamentalia* admittat , intra Ecclesiam Christi Orthodoxam sit ? Non quidem ex *Scriptura* : ubi nullum est vestigium , articulos fundamentales determinandi , prout sint a non fundamentalibus distincti . Non ex *judicio Ecclesiæ Christi* : nam Ecclesia Christi per Lutheranos constat e diversis sectis , quæ in discernendis dictis articulis dissentiunt . Etenim Ecclesia , quæ Romana dicitur , accenset inter capita *fundamentalia* (eo nimirum sensu , ut , qui ea neget , *hæreticus* sit) etiam Sacramenta *Pœnitentiæ* , *Eucharistiæ* , *Missæ Sacrificium* , *Purgatorium* , *Indulgentiarum potestatem* , *Sanctorum Cultum* , atque alia : quæ sanè Ecclesia dicta Lutherana , seu Evangelicorum negat . Hæc rursus Ecclesia aliqua admittit , quæ rejicit Calviniana : hæc nonnulla , quæ reprobatur Anabaptistica : alia etiam ab istis admittitur , quæ rejiciuntur a Socinianis : &c. Erit ergo prorsus impossibile defini articulos fundamentales Fidei , in ea nimirum acceptione , ut satis sit alicui ea admittere , ne ab Ecclesia Christi deturbetur , quin & inter *sincera ejusdem Ecclesiæ membra* accenseatur .

Dicet

Dicet autem Coccejus, (quòd sæpè ad ravim repetit ibidem) : *disertissimè regula, & norma Ecclesiæ Catholicæ statuuntur hæc quatuor Concilia. Rursus: hæc quatuor Concilia jure constituta, sunt norma Ecclesiæ, & Fidei Catholicæ, adeoque Catholicæ Ecclesiæ omnes illi sunt, qui hæc quatuor Concilia Catholica, & Oecumenica recipiunt, atque custodiunt: ita hæreticus in toto jure ille dicitur, qui in aliquo articulo ab Ecclesia Catholica, seu ab his quatuor Conciliis recedit.*

Verùm ponamus, dari Arianum aliquem, aut Macedonianum, aut Nestorianum, agentes: iniquè se pro hæreticis traduci, cùm in Fidei fundamentali articulo non deficient: non enim articuli fundamentales Fidei illi sunt, pro quibus damnavit eos Synodus Nicæna, Constantinopolitana, & Ephesina? Peto hic a Coccejo: quonam argumento hujusmodi Sectarios poterit coarguere: quanam ratione eos inter hæreticos jure accensebit? Quid? Si Mahumedanus se Coccejo sistat, asseratque, articulum Fidei fundamentalem esse præcisè, credere unum Deum, & Christum ut magnum Prophetam? Quid? Si Ethnicus ipse velit asserere, unicitatem Dei non esse inter articulos Fidei fundamentales, adeoque Polytheos esse inter sincera Ecclesiæ Coccejanæ membra adnumerandos? Poteritne jure hos omnes repellere?

Sed gladium nequit ullo pacto a jugulo remove: quin & seipsum lethaliter confodit ex iis, quæ ad sui defensionem subdit. Novit siquidem, potissimum Lutheranicæ doctrinæ caput esse: *non aliam dari Fidei regulam nisi Verbum Dei.* Cùmque hætenus institerit pro admittendis ad Fidei regulam quatuor illis Conciliis, videbatur evidenti ex illatione evelli Lutheranicæ sectæ fundamentum: Idcirco hoc sibi objicit, & satisfacere conatur. *Neque cum his pugnat; quòd Orthodoxi (scilicet Lutherani) meritò contendunt, non esse aliam Fidei normam, quàm sacrosanctum Dei*

Dei Verbum. Sistamus hic paulisper: Si *meritò* id contendit a Lutheranis, ait Coccejus: qua fronte poterit Lutheranus Coccejus idem id negare, atque obtrudere præterea quatuor Conciliorum decreta? Sed pergat Coccejus. *Etenim non hùc quærimus de Authentica Fidei norma, ejusque vero fonte, & supremo controversiarum judice; qualis norma, ac fons unicè omnino est æternum illud Verbi divini Oraculum*. Atqui enimverò *Authenticam Fidei normam* hic exquirimus, ut qui solliciti simus de vera Christi Ecclesia; extra quam ex utraque parte constat, non posse salutem dari; utque definiri possit, quodnam sit sincerum Ecclesiæ Christi membrum, quod verò secus? Si vobis *unicè, omnino Fidei norma, fons, & judex controversiarum est Verbi Dei æternum oraculum*: non ergo quatuor Conciliorum decreta? Videtis, ne adversum te hoc usurpent, atque intorqueant telum Ariani, Macedoniani, Nestoriani? Perge tamen, & quid tibi velis, explica. *Sed de regula civili Fidei, & Cultùs divini*. Hic rogo, edisseras, quidnam rei sit hæc tua *regula civilis fidei, & cultùs divini*? Anne exterior quædam, & verbalis fidei professio: quin respondeat interior animus? Ergo tibi alia erit norma Fidei interioris, alia norma Fidei civilis? Sed Ecclesia Christi *in spiritu, & veritate* fundata unam, eandemque agnoscat, oportet, Fidei normam, quæ & interiorem, & exteriorem seu civilem religionem moderetur.

Conatur autem exponere mentem suam, sed argumentum vel ab invito profertur, quo Romanæ Ecclesiæ Fides unicè comprobatur. *Nimirum, ait, cum de absconditis illis summæ Trinitatis, & Incarnationis Mysteriis, adeoque de ipso Fidei Christianæ fundamento, plures hæreses, seu opiniones essent, & qualibet ex Verbo Dei se pugnare, eoque nixam se, testaretur: videndum fuit, quænam esset sententia Universalis Ecclesiæ, ut inde formula fieret, quam Secuti pro membris Ecclesiæ Catholicæ Christianæ haberentur,*

tur, atque ad ejus Ecclesiæ exercitia, cultus, jura, & beneficia admitterentur: reliqui autem ab hoc cœtu excluderentur. Est hic locus subsistendi. Ergo illa eadem ratio quæ Patres illos Nicænos, Constantinopolitanos, Ephesinos movit, ut de absconditis illis, ac tunc temporis impetitis Mysteriis decernerent, quid esset Fide divinâ, & Christianâ credendum: eadem prorsus ratio apodicticè ostendit: *Verbum Dei*, seu Sacram Scripturam non posse esse *ex se sola, unicè, omnino Judicem controversiarum*: siquidem teste ipsomet Coccejo tum Catholici, tum etiam Hæretici *ex Verbo Dei se pugnare, eoque nixos se*, testabantur. Quod advertit etiam Augustinus (1): *Non ob aliud sunt hæretici, qui Scripturas Catholicas legunt, nisi quod eas non intelligentes, suas falsas opiniones contra earum veritatem pertinaciter asserunt*. Ubi ergo obscurus est locus, alius querendus est Controversiæ illius Judex: non ergo *unicus* ille esse potest controversiarum Judex, cujus exquiritur explicandi, interpretandique novus Judex, cum de ipsamet illa sententia fiat controversia. Atqui hæc est ipsissima Catholicorum Romanæ Ecclesiæ sententia, ubi adversus Lutheranos statuunt: *Solum, & nudum Verbum Dei scriptum non posse esse normam Fidei, & sufficientem ex se solo controversiarum Judicem*. Ex ipsisnet Scripturarum locis id ipsum ostenditur (2), ubi legimus: *Interpretabatur illis in omnibus Scripturis, quæ de ipso erant, & tunc aperuit illis sensum, ut intelligerent Scripturas*. Si ergo Christus Dominus explicare debuit Discipulis sensum Scripturarum, non est sensus hic clarus, & evidens, ut *se solo* sufficiat ad normam Fidei; sed requiritur Interpretes, & quidem infallibilis. In Pauli Apostoli epistolis, ait S. Petrus (3), *sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti, & instabiles depravant*. S. Augustinus obscuritatem Scri-

ptura-

(1) Lib 7. de Gen.

(2) Lucæ 24. 27.

(3) 2. Petr. 3. 16.

pturarum ingenuè fatetur , ubi ait (1) : *In ipsis Sacris Scripturis nescio plura , quàm scio*. Non negant Catholici Romani , ex Verbo divino sive scripto , sive tradito erui normam Fidei divinæ Christianæ : sed quemadmodum in Civili Republica , quamvis ex lege decernantur omnia , & idcirco legis tabulæ existant : tamen Judex necessariò deputatur a Principe , qui leges ipsas interpretetur , & controversias de legis significatione decidat : pari modo Ecclesiæ suæ Christus Dominus Sacrarum Scripturarum libros tradidit , & controversiarum Judicem , ubi opus erit , constituit .

At quis crederet ? Coccejus ipse veritatem hanc lumine ipso naturali perspicuam admisit , & professus est . Statim enim subdidit : *Potuitque eò securiùs hæc totius Ecclesiæ sententia pro regula hætenus accipi , quod tali (N. B.) suæ Ecclesiæ Servator spiritum veritatis promiserit , nec adeo concessurus sit , si pio zelo , & veritatis studio congregetur , ut a vero aberret* . Euge Coccei ! In his verbis te Catholicum Romanum , & verum Ecclesiæ Christi membrum accipio . Apage ergo Lutheranae sectæ errores , qui nobiscum unâ sentis , *Ecclesiam esse Infallibilem Controversiarum Judicem* cum Augustino ajente : *quisquis falli metuit hujus obscuritate quæstionis , Ecclesiam de illa consulat* (2) . Cùmque facilè sit ostendere , Ecclesiæ judicium , sive *dispersa* illa sit , sive in *unum locum congregata* , esse ex Christi promissione in rebus Fidei , ac Religionis pari jure certum , & errori minimè obnoxium ; necesse erit ; te judicio Ecclesiæ etiam *dispersæ* debere submitti : Cùmque rursus evidenti ratione poterit demonstrari , uti a nostris Polemicis demonstratur , Ecclesiæ Christi Primatum residere in Romano Pontifice , Sancti Petri successore , & Christi ipsius Vicario per non interruptam seriem usque ad præsentem *Pium VI.* , hinc Pontificis ipsius primi , & legitimi Judicis

(1) Ep. ad Jan.

(2) Lib. contra Cresc. c. 33.

cis controversiarum iu rebus Fidei , ac Religionis aucto-
ritatem a Christo traditam , & in Ecclesia Christi a primis
usque temporibus assertam , te pariter debere revereri . Te
enim non latet , Grotium tuum , adnitente Cl. V. Dionysio
Petavio , agnovisse tandem supremi hujus controversiarum
Judicis , pro recta verbi divini intelligentia , necessitatem in
benè constituta Ecclesia a Christo Domino : quo Judice Pro-
testantes carent ; & exinde se , extra Ecclesiam Christi con-
stitutum eidem Petavio promississe , in reditu suo ad verè
Catholicam Romanam Ecclesiam transiturum . Spes eum fe-
fellit : in itinere Rostochii obiit . Felix , si quod animo pro-
posuerat , fato proximus implevit ! Illud ejus animum ma-
ximè percellerat S. Cypriani testimonium (1) : *Primatus Pe-
tro datur, ut una Christi Ecclesia, & Cathedra una monstretur.*

Habeas etiam præ oculis auream illam S. Augusti-
ni sententiam , (2) ubi rationem dat agnoscendæ Ecclesiæ
Christi , in qua se velle vivere , & cui firmiter velle ad-
hærere , protestatur : *Tenet me (in Ecclesia Catholica) ab
ipsa sede Petri Apostoli , cui pascendas oves suas post Resur-
rectionem Dominus commendavit , usque ad præsentem Epi-
scopatum , successio Sacerdotum . Tenet postremò ipsum Ca-
tholicæ nomen , quod non sine causa inter tam multas hæ-
reses sic ista Ecclesia sola obtinuit , ut cum omnes hæretici se
catholicos dici velint , (hæc verba tibi , tuisque dicta pu-
tes , Coccei , qui te , tuosque lutheranos Catholicos dici de-
bere , ais) : quærenti tamen peregrino alicui , ubi ad Ca-
tholicam conveniatur , nullus hæreticorum vel Basilicam suam ,
vel Domum audeat ostendere .* Quantoque in honore , &
quantâ fide Pontificis Romani judicium exceperit ipse Au-
gustinus , patet ex celebri illo suo in causa Pelagianorum
effato : *Jam etiam de hac causa duo Concilia missa sunt ad sedem
Apostolicam : Inde etiam rescripta venerunt : Causa finitu est (3) .*

Tom. II.

N

Sed .

(1) De Unit. Eccl.

(2) Lib. contra Epistolam Fundamenti c. 4.

(3) De Verb. Apost. Serm. 131.

Sed si velis Ecclesiam *pio zelo*, & *studio veritatis congregatam*, cui, te fatente, *Servator Spiritum veritatis promiserit*, ut a vero non aberret: habes Tridentinam Œcumenicam Synodum; contra quam nihil te commoveant Lutheranorum, aut Calvinistarum voces, quos diro anathemate illa confixit, & a vera, catholicaque Ecclesia disjunctos declaravit. Hujusmodi enim voces, calumnias, dictoria pari injuriâ contra Nicænâ Synodum Ariani, Quarto-decimani, & Meletiani; contra Constantinopolitanam Macedoniani; contra Ephesinam Nestoriani; & contra Calcedonensem Eutychniani evomuerunt: quin tamen id obstitit, quominus & per teipsum fatearis, *tali suæ Ecclesiæ Servatorem promississe Spiritum veritatis*. Quidni ergo & Tridentino Concilio morem gerens ad Christianæ, Catholicæque veræ Ecclesiæ sinum confugas. Ab ista Lutherus vester, aliique discesserunt; quæ proinde *Catholicæ* nomen, idest *Universalis* ex quorumdam discessu meritò non amittit, quemadmodum Respublica, aut Civitas jure optimo pergit appellari, licèt ab ipsa nonnulli Cives aliò concesserint: ipsemet autem discessus ab Ecclesia nonne & illos primos, & vos etiam condemnat, ni sapiatis? Eu quale adversum vos intorquet telum Hieronymus (1): *Hæretici in semetipsos sententiam ferunt, arbitrio suo de Ecclesia recedentes: quæ recessio propriæ conscientiæ videtur esse damnatio*. Quæ autem Cocceiis diximus, Protestantibus aliis, qui eadem sunt in navi, dixisse me volui, Sed ad officia erga Deum ex Jure naturæ redeamus.

IV. Alterum Juris naturæ officium internum erga Deum est *Spes*. Etenim sicut homo inquirere tenetur, & habere veram Dei cognitionem ex Jure naturæ: ita sperare debet ab eo aliqua bona, & timere aliqua mala. Profectò Tullius (2) ajebat: *Si maximè talis est Deus, ut nullâ gratiâ, nullâ hominum caritate teneatur: valeat. Quid enim*

(1) In c. 1. Abdiæ:

(2) Lib. 1. de nat. Deor.

enim dicam : Propitius sit ? Esse enim propitius potest nemini ; quoniam , ut dicitis , omnis in imbecillitate est & gratia , & caritas . Spes enim , quæ de Deo habetur , quemadmodum perfectiones divinas maximè confirmat , ita & honorem ipsi Deo debitum excitat . Etenim agebat Lactantius (1) : neque honor ullus deberi potest Deo , si nihil præstat colenti : nec ullus metus , si non irascitur non colenti . Exinde ipsi quoque Ethnici putabant , sublatâ spe præmiorum hand posse subsistere Deorum cultum . Quæ porro pietas , scribit Tullius (2) , ei debetur , a quo nihil acceperis ? aut quid omnino , cujus nullum meritum sit , ei deberi potest ? Est enim pietas justitia adversum Deos : cum quibus quid potest nobis esse juris , cum homini nulla cum Deo sit communitas ? Sanctitas autem est Scientia colendorum Deorum : qui quamobrem colendi sunt , non intelligo , nullo nec accepto ab iis , nec sperato bono ?

Idcirco ex Jure naturæ tenetur homo de divina Providentia benè sentire : ad ipsam enim spectat reddere virtuti præmium , & vitiis pœnam ; unde & spes excitatur pro virtute , & metus pro vitiis . Quate advertit Clemens Alexandrinus (3) : *Antiquos Philosophos cognovisse , & commendâsse spem præmiorum etiam post mortem .* Quod sanè patet ex Poëtarum , ac Tragicorum commentis . Quin & qui Epicuro Providentiam neganti insultabant , tali pacto etiam contra ipsum arguebant , nimirum ex intima hac persuasione homines solere ad Deum confugere , & spem in illo collocare . Scio , quid hoc loco respondeatur (ab Epicuro) , sic scribit Seneca (4) : *Itaque non dat Deus beneficia , sed securus , & negligens nostri , aversus a mundo , aliud agit , aut (quæ maxima Epicuro felicitas videtur) nihil agit , nec magis illum beneficia , quàm injuriæ tangunt .* Statim verò reponit : *Hoc qui dicit , non exaudit*

N 2

pre-

(1) De Ira Dei c. 6.

(2) De nat. Deor. l. 1. c. 11,

(3) L. 4. str. in fin. & l. 3. in princ.

(4) Lib. 4. de Benef. c. 4.

precantium voces, & undique, sublatis in Cælum manibus, vota facientium privata, ac publica. Quod profectò non fieret, nec in hunc furorem omnes Mortales consensissent, alloquendi surda Numina, & inefficaces Deos: nisi nossent illorum beneficia nunc ultro oblata, nunc orantibus data: magna, tempestiva, ingentes minus interventu suo solventia. Pergit deinde hoc, & sequenti capite beneficia per censere, quæ hominibus Deus largitur, & idcirco homines ab illo sperant. Epistolâ verò 41. Lucilium hortatur, ut maxima cum fiducia ad Deum confugiat: *Quàm stultum est, ait, optare, cum possis a te impetrare. Non sunt ad Cælum elevanda manus, nec exorandus ædituus, ut nos ad aures Simulacri, quasi magis exaudiri possimus, admittat: propè est à te Deus, tecum est, intus est. Ita dico, Lucili, sacer intra nos spiritus sedet, malorum, bonorumque nostrorum observator, & custos: hic prout a nobis tractatus est, ita nos ipse tractat. Bonus vir sine Deo nemo est. An potest aliquis supra fortunam nisi ab illo adjutus, exsurgere? Ille dat consilia magnifica, & erecta. In unoquoque virorum bonorum (quis Deus, incertum est) habitat Deus. Quod autem cæcutienti rationi incertum videbatur, certissimâ persuasione Fides ostendit.*

Sed multo nobiliùs Spem hanc, ejusque objectum explicant Nostri etiam quod ad Jus ipsum naturæ spectat. Quàm præclare S. Thomas (1), de Spei objecto differit! Circa objectum Spei quatuor conditiones attenduntur. 1. quidem quod sit bonum. Non enim, propriè loquendo, est spes nisi de bono, & per hoc differt spes a timore, qui est de malo. II. ut sit futurum. Non enim spes est de præsentijam habito; & per hoc differt spes a gaudio, quod est de bono præsentij. III. requiritur, quod sit arduum cum difficultate adipiscibile. Non enim aliquis dicitur aliquid sperare minimum, quod statim est in sua potestate, ut habeat; & per

(1) 2. 2. q. 40. ar. 1.

& per hoc differt spes a desiderio, vel cupiditate, quæ est de bono futuro absolute, unde pertinet ad Concupiscibilem, spes autem ad Irascibilem. iv. quodd illud arduum sit possibile adipisci. Non enim aliquis sperat id, quod omnino adipisci non potest; & secundum hoc differt spes a desperatione. Hujusmodi verò bona, quæ sperare licet hominibus, possibile cognosci debent primariò ab ipso Deo; & idcirco spes tendit in Deum principaliter. In ipso enim vivimus, movemur, & sumus (1) Et alibi (2): Ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia, ipsi gloria in sæcula. Et in hoc sensu ait S. Thomas (3), quod Spes propriè respicit Deum. Nam Spes duo respicit, scilicet bonum, quod obtinere intendit, & auxilium, per quod illud bonum obtinetur. Bonum autem, quod aliquis sperat obtinendum, habet rationem causæ finalis, auxilium autem, per quod aliquis sperat illud bonum obtinere, habet rationem causæ efficientis. Nihilominus potest etiam aliquod bonum de homine aliquo sperari veluti secundariò, tanquam Dei instrumento: atque ita optimè stat hominum spes etiam Sanctos, quos Dei amicos novimus, & non fide tantum, sed & ratione ipsâ naturali deducimus posse nobis opitulari. Idcirco idem Sanctus Doctor subdit ibi. Licet autem sperare de aliquo homine, vel de aliqua Creatura, sicut de agente secundario, & instrumentali, per quod aliquis adjuvatur ad quæcunque bona consequenda in beatitudinem ordinata. Et hoc modo ad Sanctos convertimur; & ab hominibus etiam aliqua petimus: & vituperantur illi, de quibus aliquis confidere non potest ad auxilium ferendum.

Ubi verò aliqua omnino impossibilia repræsentantur, cessat ibi statim quæcunque Spes: & subit in ejus locum Desperatio. Audiatur S. Thomas (4): Objectum spei, quod est bonum arduum, habet quidem rationem attractivi, pro-
 ut

(1) Actor. 17. 28.

(2) Ad Rom. 11. 31.

(3) 2. 2. q. 17. ar. 4.

(4) 1. 2. q. 40. ar. 4.

ut consideratur cum possibilitate adipiscendi ; sed secundum quod consideratur cum impossibilitate obtinendi , habet rationem repulsivi ; quia ut dicitur in 3. Ethic. cum ventum fuerit ad aliquid impossibile , tunc homines discedunt . Et sic respicit hoc objectum Desperatio . Bona autem , quæcunque ad hominum felicitatem consequendam spectant , possibilia , Deo opitulante ; censenda sunt : Etenim constat , Deum Omnipotentem esse , & humani generis providum , amantemque Governatorem : omnia ergo ab eo sperare licet hominibus ; quæ sui status conservationem , felicitatemque obtinendam respiciunt . Quare si quid hujusmodi impossibile quis censeat , quod a Deo obtineat , in gravissimum eo ipso scelus Desperationis prolabitur . Hoc autem est contra Jus ipsum naturale , quod Deus requirit : est enim contra proprietates illas ex lumine ipso rationis cognitæ de Deo , ut exposuimus . Sicut motus spei , qui conformiter se habet ad existimationem veram (nempe Dei) , est laudabilis , & virtuosus : ita oppositus motus desperationis , qui se habet conformiter existimationi falsæ de Deo , est vitiosus , & peccatum ; ait ipse S. Thomas (1) . Quænam autem ea sit existimatio vera de Deo juxta S. Doctorem , supra dixerat : Circa Deum vera existimatio intellectus est , quod ex ipso provenit hominum salus , & venia peccatoribus datur , secundum illud Ezech. 18. Nolo mortem peccatoris , sed ut convertatur , & vivat . Falsa autem opinio est , quod Peccatori penitenti veniam denegat , vel quod Peccatores ad se non convertat .

Quam sit detestabilis adversus Deum impietas Desperatio , ex dictis potest intelligi . Illud expendunt Nonnulli , an majus peccatum sit præ ipsa Infidelitate ? Equidem videri primâ fronte puto , Desperationem esse quamdam Infidelitatis speciem ex eo , quod veras de Deo non habeat , imò & certò falsas cognitiones . Non est autem , quod asseram , re ipsa esse Infidelem , qui in Desperationem miserè deci-

(1) 2. 2. q. 20. ar. 1.

decidat: potest enim objectum illud, ceteroqui possibile, representari homini alicui pro eo statu prorsus impossibile, quin ad ea, quæ de Deo optimè noverat antea, advertat. Exemplo sit vitium aliquod, puta Fornicatio, quo nimirum homo rapiatur pro aliqua circumstantia, tanquam bono eligibili sibi, quin animadvertat, quod utique ex Fide in animo repositum habet, Fornicationem esse malam, adeoque fugiendam. Hoc utique expenderat S. Thomas, cujus lubentissimè vestigia sequor (1): *Aliquis habens veram Fidem in universali deficit in motu appetitivo circa particulare, corruptâ particulari ejus existimatione per habitum, vel per passionem. Sicut ille, qui fornicatur, eligendo fornicationem ut bonum sibi, ut nunc, habet corruptam existimationem in particulari; cum tamen retineat universalem existimationem secundum fidem, scilicet quod fornicatio sit mortale peccatum. Et similiter aliquis retinendo in universali veram existimationem fidei, quod scilicet est remissio peccatorum in Ecclesia, potest tamen pati motum desperationis, quod scilicet sibi in tali statu existenti non sit sperandum de venia, corruptâ existimatione ejus circa particulare.*

Non est autem idcirco, quod, si intimè spectetur, Desperatio non sit gravissimum crimen: & quidem respectu Dei, & per se loquendo, minus ipsâ infidelitate, vel odio ipso Dei; periculosius utroque horum respectu hominis ipsius. Sponsorem habeo propositionis hujus Doctorem a me toties cum honore nominatum S. Thomam, qui (2) sic loquitur: *majus peccatum est, secundum se loquendo, non credere Dei veritatem, vel odisse Deum, quam non sperare consequi gloriam ab ipso. Sed subdit: Si compareretur desperatio ad alia duo peccata (inîdelitatem, & odium Dei) ex parte nostra; desperatio est periculosior: quia per spem revocamur a malis, & inducimur ad bona prosequenda: & ideo, sublatâ spe, irrefrenatè homines labun-*

(1) 2. 2. q. 20. ar. 3.

(2) Loco cit. art. 3.

buntur in vitia ; & a bonis laboribus retrahuntur .

Aliud etiam vitari debet , attento pariter jure naturæ , vitium , quod ab immoderatione , ut ita dicam , Spei oritur , nempe *Præsumptio* . Hæc enim veris Dei perfectionibus opponitur . *Sicut ex desperatione aliquis contemnit divinam Misericordiam , cui spes innititur : ita ex præsumptione contemnit divinam Justitiam , quæ Peccatores punit . Sed sicut Misericordia est in Deo , ita etiam & Justitia est in ipso (1) .* Jamverò , qui ita speraret peccatorum suorum veniam , ut simul nollet ea detestari , nec illorum pœnitere ; vel sine divina ope , sed suis viribus salutem consequuturum se speraret : eo ipso nimium præsumeret , & non rectè de Deo , ejusque legibus judicaret , quod est contra Jus a Deo quæsitum peccare . *Sicut enim , ait idem S. Thomas (2) , falsum est , quodd Deus pœnitentibus non indulgeat , vel quodd peccantes ad pœnitentiam non convertat : ita falsum est , quod in peccato perseverantibus veniam concedat , & a bono cessantibus opere gloriam largiatur : cui existimationi conformiter se habet præsumptionis motus .*

Inter utrumque igitur extremum virtus Spei consistit , quæ in Deum tendit potissimum , eumque respicit velut ultimum finem : in eoque beatitudinem suam ponit , quam per debita media consequi sperat . Hujusmodi autem media sunt pro statu hominis proportionalia , & a Deo humani generis pro quolibet statu provido Governatore sufficientur .

V. Est & tertium Juris naturæ officium erga Deum , scilicet *Caritas* , seu Præceptum diligendi Deum . Perfectò Lex naturæ obligat hominem ad diligendum Deum *super omnia* tanquam Finem naturæ : & ad hunc amorem habet homo naturalem quamdam inclinationem , fundatam nempe in cognitione vera Dei . Tenetur idcirco eadem lege naturali Deum amare , qua eum cognoscere tenetur . Ex qua cognitione amor *ordinatus* procedit : amor enim vel

supra

(1) S. Th. 2. 2. q. 21. ar. 1. (2) Lib. c. ar. 2.

supra se, vel infra se, vel æquè esse potest: non esset autem a lege naturæ benè ordinatus, si vel infra se, vel æquè esset: idcirco amor supra se, & propterea super omnia a naturali lege præcipitur. Expendamus parumper necessarium hoc, atque adeo primum legis naturalis præceptum.

Amare nihil est aliud, nisi Voluntate in aliquod Bonum ferri, vel illud desiderando, vel de illo gaudendo, aut in illo sibi complacendo, prout nimirum vel præsens est objectum, vel absens. Quoniam verò nequit Voluntas in objectum ferri, nisi illud sub ratione Boni priùs cognoscatur: sequitur, inde eò augeri, atque intendi magis actus Voluntatis, quò major in objecto cognoscatur Bonitas, seu Perfectio. Si ergo Anima mentem suam cognoscendis divinis Perfectionibus accommodat: cùm hæ infinitæ sint, & supra omne creatum excellentissimæ: in amorem erga Deum supra omne creatum sentiet se exardescere. Amor autem hic pro diversa ratione cognitionis divinarum perfectionum excitari potest in nobis valde admodum diversus. Si euim in Deo illud considero, quòd mihi bonus est, quòd me ex nihilo creavit, quòd conservat, quòd mei curam gerit, quòd mihi benevolus, quòd mihi beneficus: sunt autem hæ perfectiones divinæ, & lumine ipso naturæ cognitæ: exinde confestim Voluntas ad amandum Deum adeo sibi bonum excitatur, amatque illum, eoque ulterius frui desiderat, atque alios hujusmodi actus elicit. Qui sanè amoris actus a nostris Theologis ad amorem *concupiscentiæ* referuntur. Si verò expendam in Deo infinitas illas perfectiones, quas in se habet, ut puta Sapientiam, Justitiam, Misericordiam, Æternitatem, Immensitatem, Omnipotentiam, Pulchritudinem, Longanimitatem, Bonitatem &c. Et hæc omnia bona gaudeam esse in Deo, quia Deo ipsi bona sunt, cumque idcirco infinitè amabilem reddunt, adeoque gratuler cum ipso de tot suis perfectionibus: erit utique amor

hic perfectus, & amor *amicitiæ*, seu *benevolentia* dicitur. Pari modo amor hic excitari potest, si ad bona Deo extrinseca animum advertam, & de ipsismet bonis Deo extrinsecis etiam gaudeam idcirco, quia Deo ipsi placent: erit utique amor *perfectus amicitiæ*. Bona autem Deo extrinseca essent ea, quæ a Creaturis, earumque laudibus obvenire possent ipsi Deo; si a Creaturis cognoscatur, prout est perfectissimus; si ametur, prout in se optimus est; si colatur, honoretur, laudetur, prout in se præstantissimus est. Actus autem amoris exinde erit, si optem, ut agnoscatur, ametur, colatur ab omnibus, quia hoc Deo placet, & quia in se ipso dignus est; si orem, &, quantum in me est, impediam, ne offendatur, quia ipse propter infinitam suam bonitatem, seu infinitas illas perfectiones, quas habet, dignissimus est, qui non offendatur, sed super omnia ametur, colatur, honoretur.

Sanè lumen ipsum rationis exhibet magnam de Deo existimationem, juxta quam amor erga Deum ex lege naturæ nobis præcipitur. Si Ethnicorum sententiæ expendantur, illud utique manifestum fiet. Plato Deum cognoscebat *Genitorem Universi, Auctorem maximum, supra omnem substantiam, summum Bonum*. Aristoteles *Ens Entium*. Seneca *summam, & pulcherrimam Naturam omnium*. Cicero *præstantissimam Mentem*. Alcinoüs *seipso perfectum, semper perfectum, omni ex parte perfectum*. Trismegistus *esse Circulum, cujus centrum ubique, circumferentia nusquam*. Platonici *Ipsum bonum, Ipsum pulchrum*. Ægyptii *Incognitam caliginem, ter tenebras*. Hæc utique, aliaque præclarissima Dei attributa solo rationis ductu cognoverunt Philosophi sine Fide, ac citra revelationem. Qui ergo ductum ipsum rationis, ac legem naturalem sequi voluerint ex ipsis Philosophis, supremum hoc Bonum Amore prosequi debuerunt. Quare dignoscitur, errasse Bajum in illa sua propositione

34. a Pio V. & a Gregorio XIII. damnata, ubi asseruit: *Distinctio illa duplicis amoris, naturalis videlicet, quo Deus amatur ut auctor naturæ: & gratuiti, quo Deus amatur ut beatificator, vana est, & commentitia, & ad illudendum sacris litteris, & plurimis veterum testimoniis excogitata.* Et in illa pariter prop. 36. *Amor naturalis, qui ex viribus naturæ exoritur, ex sola Philosophia per elationem præsumptionis humanæ, cum injuria Crucis Christi defenditur a nonnullis Doctoribus.* Quarum fallitas satis superque constat ex hæcenus dictis.

Constat pariformiter, peccasse gravi etiam peccato Ethnicos, & contra legem Naturæ, quotquot Deum amore, cognitioni eorum, ac rationi naturali conveniente, non dilexerint. Testimonium habemus ex Apostolo (1) ubi, postquam explicuisset, quomodo Ethnici ad veram Dei cognitionem pervenire potuissent: *Quia quod notum est Dei, manifestum est in illis. Deus enim illis manifestavit. Invisibilia enim ipsius a Creatura Mundi, per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur: sempiterna quoque ejus virtus, & divinitas: ita ut sint inexcusabiles.* Post hæc subdit illico: *Quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt: sed evanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est cor eorum. Dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt.* Quid inde secutum sit contra reliquam legem naturæ, explicat (2): *Propterea tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam: & paulò post: tradidit illos Deus in reprobum sensum, ut faciant ea, quæ non conveniunt, repletos omni iniquitate, malitiâ, fornicatione, avaritiâ, nequitiâ, plenos invidiâ, homicidio, contentione, dolo &c.* Ubi ex neglecto amoris erga Deum officio, quod implere tenebantur, & omnia alia, sive quæ ad seipsum, sive quæ ad Proximum spectabant officia contempta, & proculcata fuisse, demonstrat. Quemadmodum enim amor Dei sine mandatorum observatione; ita & man-

O 2

dato-

(1) Ad Rom. 1. 19.

(2) Ibid. n. 26.

datorum observantia sine amore Dei dari nequit.

VI. Quartum, quod sequitur ex corrupta humani generis constitutione, est *Pœnitentiæ* officium. Profectò nullâ ex lege naturæ opus esset Pœnitentiâ, si homines legi in omnibus audientes essent. Verùm cum Naturæ rationalis Auctor humanarum mentium infirmitatem nôset, modum aliquem hominum statui proportionatum naturæ ipsi indidit, quo malum admissum dilueretur. Hoc utique malum *Culpæ* est, quod respicit Pœnitentiæ virtus; respicit autem eo sine, ut destruat. Sanè virtus hæc in Deum tendere debet: quandoquidem malum illud *Culpæ*, cujus destructioni paratur Pœnitentia, Deum offendit, dum ipsius lex peccando violatur. Idcirco homini in peccatum lapsò ipsamet naturæ Lex præcipit, ut Deo modo aliquo satisfaciat: eo nimirum modo, quo ipsi possibile sit; quod adnotavit S. Thomas (1): *De Jure naturali esse, quòd aliquis pœniteat de malis, quæ fecit.*

Jamverò modus maximè naturalis, & valde proportionatus ad satisfactionem est actus doloris, & detestationis de malo perpetrato cum respectu ad Deum. Etenim ad obtinendam veniam nequit aptior dari ratio, quàm sincerè de actu jam admissò dolere, prout nempe divinæ legis violatio est, & Dei offensa, ut lumine naturali cognosci potest; rursus noxium actum verè, & ex animo detestari; qui sanè actus animi firmum claudit propositum de non patrandò in posterum pravo illo actu, alioque simili, unde Deus naturæ rationalis Auctor, ac Legislator lædi possit.

Scio, hujusmodi satisfactionem non esse ullo pacto condignam, habitâ nimirum ratione vilissimæ Creaturæ offendentis, & Dei offensi; ex qua ratione crescit offensa: & rursus habitâ ratione ejusdem abjectissimæ Creaturæ satisfaciens, & summi Dei, cui exhibetur satisfactio: ex qua ratione decrescit nimirum quantum satisfactio. Unde non
potest

(1) 3. p. q. 84. ad 2.

potest unquam excogitari pro statu naturali Deo condigna satisfactio a Creatura rationali : sunt enim in ordine *incommensurabili*, ut dicitur. Sed etiam pro statu Gratiae, probant Theologi nostri, nec dari posse satisfactionem nisi congruam, seu imperfectam pro offensa divina. Unus, qui condignam praestitit satisfactionem, *Deus-homo* fuit; & idcirco necessariam affirmant nostri Theologi Verbi divini Incarnationem fuisse ad condignam divini Numinis offensi satisfactionem. Pro statu deinde praesenti, ubi *de modo* satisfaciendi Deo nobis constat ex voluntate ipsa Dei: naturalis utique ratio praecipit, illum a nobis exhiberi modum debere. Necessè enim est, satisfieri Deo, prout Deus ipse vult, non prout ipsi judicamus, aut volumus: Dei autem voluntas, loquente Christo, nobis innotuit; & Ecclesia Christi a primis usque temporibus usu, ac non interruptâ consuetudine illam reverita est. Ratio hæc admitti ab ipsis Juris naturalis Protestantibus Scriptoribus debet. Ostendam autem; apud nos Ecclesiae Romanae Catholicæ alumnos esse veram Voluntatis hujus divinae intelligentiam. *Habemus firmiorem sermonem, cui benè facimus attendentes* (1).

Profectò verba illa Christi Domini (2): *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remisistis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt*, innuunt veram potestatem absolvendi, vel retinendi, seu non absolvendi peccata. Quæ sanè potestas eo dumtaxat modo, quo Ecclesia Catholica Romana utitur, potest exerceri. Quod evidentissimè sic evincitur. Potestas hæc remittendi, vel non remittendi peccata, cum sit; & esse debeat rationabilis, non verò arbitraria, requirit necessariò cognitionem causæ: non enim alio humano modo potest quis rationabiliter se determinare ad remittenda, vel secus, peccata, nisi ea prius

(1) 2. Petri 19.

(2) Jo. 20.

prius dignoscat, & simul statum Pœnitentis, ut sit ad satisfaciendum Deo ritè dispositus. Necessarium ergo est I. ut Pœnitens culpas suas enunciet habenti potestatem. II. ut doleat, ac detestetur malum illud a se commissum ratione Dei offensi, cui modis omnibus parere debuerat: ac III. ut Sacerdos quivis habens potestatem illum absolvat a reatu culpæ, additâ aliquâ pœnâ pro satisfactione. Hæc autem omnia, quæ ex verbis supra dictis Christi Domini necessariâ illatione deducuntur, in ritu illo continentur, quem Catholica Romana Ecclesia adhibet ad reconciliandos Deo Pœnitentes, & Sacramentum Pœnitentiæ appellat; & alio nomine sub *Clavium potestate* intelligitur. Usus enim potestatis Clavium situs est præsertim in Sacramentis administrandis *Baptismi*, *Pœnitentiæ*, & *Eucharistiæ*, quorum Jus omne a Christo Apostolis fuit imperitum, ab Apostolis collatum Episcopis, (sub prima siquidem Ecclesiæ initia Presbyteri vel omnes, vel plerique sic ordinabantur, ut Episcopi pariter, ac Presbyteri locum, ac dignitatem obtinerent): per Episcopos deinde cæteris Sacerdotibus communicatum. Confirmamur autem in Fidei veritate ex eo, quòd supradicta Christi Domini verba fuerint semper ita intellecta, & ita explicata semper ab Ecclesia Christi.

Audiat S. Ambrosius (1): *Dominus par Jus & solvendi esse voluit, & ligandi, qui utrumque pari conditione permisit. Ergo qui solvendi jus non habet, nec ligandi habet. Et paullo post: Jus enim hoc solis permittum Sacerdotibus est. Rectè igitur Ecclesia vindicat, quæ veros Sacerdotes habet. Hæresis vindicare non potest, quæ Sacerdotes Dei non habet.* S. Chrysostomus pariter (2) observat insigne discrimen Sacerdotes inter legis mosaicæ, & novæ Christi legis, aitque: *Sacerdotes Judæorum potestatem habent*

(1) Lib. de Pœn. c. 2.

(2) Lib. 3. de Sacerd.

bent expellendæ e corpore Lepre, aut potius minimè expellendæ, sed tantùm examinandi eâ liberatos . . . Hi verò (Sacerdotes nostri) non lepram corporis, sed impuritatem animæ non expulsam examinandi, sed expellendi penitus acceperunt potestatem. S. Augustinus (1) sic expressè habet: Potestatem solvendi concessam Sacerdotibus: dixit enim (Dominus), Quodcunque solveritis super terram, erit solutum & in Cælis . . . Quare, qui confiteri vult peccata, ut inveniat Gratiâ, querat Sacerdotem.

Quibus positis, non nisi contra lumen ipsum rationis agunt Heterodoxi, dum obstinatè contendunt, *alio modo* velle se Deo satisfacere propter sua ipsorum peccata. Et enim si a Christo Domino unicus hic modus exhibetur, quis alium inducere audacissimè præsumat? Quid nobis obtrudunt grave onus Confessionis, tum ratione erubescentiæ in Peccatore, tum ratione metùs, ne a Sacerdote revelentur peccata? Sunt equidem in Ecclesia Catholica imminuta vel maximè hæc onera, ut apud Nostros constat: cæterùm quidquid id sit oneris, Deo sic jubente, cui pro delicto faciendum est fatis, id omne ferendum est. At id negant, Deum nempe hæc jussisse. Scio, vos Protestantes hoc negare: sed detis parumper, id revera jussisse Deum: nonne vos præfractè obsistentes contra Jus sibi quæsitum a Deo agetis? Nonne quæcunque alia satisfactionis ratio a vobis Deo oblata inutilis erit, imò & ingratißima Deo ipsi? Jamverò si, quæ hic a me prolata sunt, ad nostræ doctrinæ veritatem demonstrandam vobis non sufficiunt: Jus ipsum naturale vos coget, ut Polemicos Romanæ Ecclesiæ Scriptores Bellarminum, Becanum, aliosque attentè consulatis. Ignorantia enim vestra perfidiam vestram aggravat, nedum non excusat. *Si jam satis tibi jactatus videris* (sic unum-

(1) Lib. de verâ, & falsa Poen. c. 10.

unumquemque vestrum alloquitur Augustinus (1) *finemque laboribus vis imponere : sequere viam Catholicæ discipline . At cujus ? illius nempe , quæ ab ipso Christo per Apostolos ad Nos usque manavit , & ab hinc ad Posterios manatura est .*

Ex quatuor jam expositis officiis erga Deum internis , alia necessariâ consecutione deducuntur : uti sunt *Oratio , Gratiarum actio , Laus , & cæteri actus , quibus homines , veras de Deo cognitiones habentes , vel bona sibi rogant , vel a se mala deprecantur , vel propter accepta beneficia gratum animum exhibent , vel ex contemplatione perfectionum divinarum in Creaturis ad laudandum supremum Conditorem evehuntur : & alia hujusmodi , quibus Deo quaesitum ex hominibus Jus quoquo modo præstatur .*



(1) Lib. de utilit. cred. c. 8.

DISSERTATIO IV.

*Quid Religionis nomine intelligatur ? Necessitas Religionis in J. N. asseritur . Vera Religionis quænam ? Indifferenti-
stæ qui sint ? Impugnantur . Pari modo Latitudinarii . Re-
velationis utilitas , atque etiam ejus contra Protestantes
necessitas ad veram constituendam Religionem . Heterodo-
xos debere ad Romanam Ecclesiam accedere . De cultu ex-
terno Religionis . Burlamaquii , aliorumque errores circa
Religionem . De vitiis Religioni oppositis , eorumque pœnâ .*

I. **R**eligionem aliquam ex Jure naturæ deduci posse , nemo , quòd sciam , hæcenus negare ausus est . Turretinus (1) ait : *apud omnes Gentes , quæ socialiter vi-
xerunt , extitisse semper aliquam Religionem .* Unde Clericus (2) probat : *Fundamentum solidissimum civilis societa-
tis esse Religionem .* Ipsemet Barbeyracius (3) , *Morum do-
ctrinam esse , ait , Filiam Religionis , & ab hujus perfe-
ctione illam mensurari .* Id ipsum Rachelius , & post ipsum Coccejus , & Lockius , *sine Religione (asserunt) insufficiens
esse motivum honestatis intrinsecæ .* Ratio autem ex dictis manifestissima est : siquidem , existente Deo , & rerum hu-
manarum curam gerente , tum lege naturali ad id , quod honestum est , homines obligante : quid esse potest clariùs , quàm excitari homines ad præstandum Deo externis etiam obsequiis cultum ?

Sed ulterius , quid Religionis nomine intelligatur ; & quanta ejus necessitas , & quinam veræ Religionis sint caractères , investigemus .

Ac de primo quidem capite . Religionis nomine apud aliquos , teste Abadie (4) , intelligitur : *Commercium quod-
dam inter Deum , & homines , ratione cujus Deus homini-
bus*

(1) Tom. 3.

(2) Tom. 5. bibl. univ.

(3) In not. ad Puff.

(4) In tr. ver. rel. Chr.

bus se manifestat, & vicissim homines Deum colunt eo meliori modo, quo possunt. Alii post Sykes (1) Religio consistit in exequendo omni eo, quod justum est ex principio existentiae Dei. Hæc autem acceptio nimis lata est; deque ea supra locuti sumus. Verùm perplacet mihi Religionem juxta Augustini mentem pressius accipere. Is (2) Religionem ponit in colendo, atque intelligendo Deo: ait enim: Cùm de Religione, idest cùm de colendo, atque intelligendo Deo agitur. Idcirco Religionis nomine accipimus, certam quamdam Deum colendi rationem in vera doctrina fundatam. Ac revera ad Religionem spectant non modò actus externi, de quibus nonnulla in præsentì; sed actus etiam interni, de quibus jam ante diximus: Utroque enim actuum genere Deo exhiberi potest cultus, & de utroque constitui potest certa quædam Deum colendi ratio in vera doctrina fundata, ut per se patet. Verùm de internorum actuum Fidei, Spei, Caritatis, ac Pœnitentiæ, aliorumque certa ratione, in vera doctrina fundata, disseruimus: de externo illo cultu, & quidem in vera doctrina fundato, differendum nunc restat.

Jamverò illud est communissimè receptum, quod probat Suarez (3) nempe, ex vi solius legis naturalis non teneri hominem colere, vel adorare Deum speciali alio cultu purè interno, præter illum, qui in actibus Fidei, Spei, Caritatis, & Pœnitentiæ (si mortaliter peccavit) reperitur, non exclusis iis actibus, qui ex prædictis necessariò deducuntur, ut diximus. Quòd autem ad cultum externum spectat, ex vi legis solius naturalis non haberi modum particularem determinatum adorandi Deum cultu externo. Sed nihilominus is sit oportet, qui Deum deceat, eique proportionatus sit, & superstitio quævis vitetur. Propterea illud
expri-

(1) In exam. fundam. & connex. relig. nat. & revel. c. 5. tom. I.

(2) In lib. de utilit. cred. c. 12.

(3) Tom. I. de Relig. tr. 2. l. I. c. 2.

exprimitur in *recta notione Religionis*, ut illa colendi Deum ratio in *vera doctrina* fundetur. Hujus enim ope, & siqui obrepere possunt in Dei cultu errores, vitantur: & certi reddimur, cultum illum nostrum Deo placere, quod intendimus.

Ac revera Religio naturalis in divinis perfectionibus, recto rationis lumine cognitis, fundari debet, ita nimirum ut quicumque a vera Dei cognitione cultus aberret, Religio nullatenus verè dici possit. Quare Ethnici *unitatem Dei* negantes, sed plures Deos cultu divino venerantes, non Religionem, sed superstitionem in Idololatria profitebantur. De Epicureis, *Deum Corporeum, & Improvidum* colentibus, Sapientiores ipsi Ethnici palam agebant: auferri ab iis omnem Religionem. Sic Tullius (1): *Epicurus verò ex arimis hominum extraxit radicitus Religionem, cum Diis immortalibus & opem, & gratiam sustulit*. Illud verò interim non advertabant, non minùs contra Religionem a se peccari, dum veras a Deo detrahebant proprietates, quamvis de Religione maximè solliciti fuerint, ac Epicurus cum suis, qui etiam librum ediderat *de Sanctitate*, teste ipsomet Tullio (2). Verùm etsi complura Dei attributa, ex recto rationis lumine potuissent dignosci, propter ofusas humanis mentibus tenebras, illi quominus noscerent, impediabantur: quæ Religionis *revelatæ* deinde lumen clarissimè patefecit. Idcirco non utilitas modò, sed & necessitas Religionis *revelatæ* comprobatur etiam, ut verus Deo cultus exhibeatur: inde enim *vera doctrina*, in qua vera Religio fundatur, eruitur. Atque hoc profectò, quod heterodoxi Protestantes sapientiores negare non audent, nempe dari necessitatem Revelationis ad Juris naturæ officia erga Deum rectè exhibenda: hoc, inquam, eodem pacto contra eos probat, qui cultum Deo præstant, nullâ habi-

(1) De nat. Deor. l. 1. c. 43.

(2) Lib. cit. c. 44.

tâ ratione ad *veram* Christianæ Religionis normam, & doctrinam. De qua re infra agemus.

II. Explicatâ jam *Religionis veræ* naturâ: ejus *necessitatem* ad Juris naturæ officia rectè exequenda ulterius persequamur. Ea autem tanta est, ut sine ipsa ulla *vera virtus*, aut *morum probitas*, quæ in Juris naturalis officiis præstandis elucet, haberi nequitquam possit. Religio enim vera est solidissimum principium, & universalis norma omnium Juris naturæ officiorum, & in ipsa firmissimè ea omnia fundantur. Benè hoc adnotavit S. Thomas (1), ubi asseruit, ope veræ Religionis fieri, ut in Deo veluti in centro coëant omnia officia, quibus homines inter se sociantur. Quare quicumque ex *Religione* Deo adhærent, necessariò aliis adhærebunt ex *Caritate*, & *Justitia*. Patet hoc ex Apostolo ubi ait (2): *Reddite ergo omnibus debita; cui tributum, tributum, cui vestigal, vestigal: cui timorem, timorem: cui honorem, honorem*. Ratio autem potissima, quam ipse profert, ex *Religione* desumitur; nimirum ex jussu Dei, & ex conscientia: *Non est enim potestas, nisi a Deo: quæ autem sunt, a Deo ordinatæ sunt*. Et rursus: *Ideo necessitate subditi estote, non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam. Ideo enim & tributa præstatis: Ministri enim Dei sunt, in hoc ipsum servientes*. Etenim ad exhibenda aliis officia Justitiæ gravissimum omnium momentum est Religio. Heterodoxus homo Ashley Sykes in *cit. lib. de Religione naturali*, & *revelata* multus est in probanda Religionis utilitate, aitque: *Sive diligatur virtus ex amore virtutis, sive diligatur ex bono, & utilitate virtutis ipsius tum respectu nostri, tum respectu aliorum: Religio hisce rationibus minimè opponitur, quin eas approbat, iisque vim auget. Sit exemplo Prudentia, Justitia, Temperantia, ac Fortitudo: quamvis ex recto rationis dictamine innotescat harum virtutum convenientia, & necessitas, quòd*

(1) 2. 2. q. 81.

(2) Ad Rom. 13. 7.

quodd nimirum honestæ sint , & rationi conformes : possunt adhuc & aliæ probationes adduci ex superna Dei voluntate , unde magis confirmetur usus illarum humanæ utilissimus Societati .

At equidem non tantùm valdè utilem , sed & necessariam reputo Religionem quibuscunque præstandis officiis ex J. N. Profectò undenam erui potest generalis quædam , & firma ratio ad hujusmodi officia exhibenda ? Sunt , qui ajunt , satis esse superque lumen ipsum rationis naturalis , quo sanè certi reddimur , maximam dari Virtutem inter , ac Felicitatem , cui inhiamus , connexionem : vel rursus sufficere innatum illum Justitiæ amorem , quo fit , ut saltem Societati minimè adferemur , & honestatis leges saltem exterius servare gaudeamus . Verùm quòd ad primum attingit : seclusâ Religione , quàm infirma , quàm debilis est ratio nostra naturalis , ut homines valeat in officio continere ? Ubi semel Ratio nullum supra se Judicem agnoscat , & uni sibi esse satisfaciendum putet , vias omnes rimabitur , & argumenta excogitabit omnia , quibus licere sibi judicet , quidquid libuerit , utcunque injustum , & enorme : atque adeo apertis etiam sceleribus virtutis nomen attribuet . At longè aliud continget , si divini Legislatoris tribunal , cui aliquando sistat se , dari cognoscat . Idcirco usu receptum esse apud omnes nationes novimus , ut in publicis negotiis administrandis , (quod advertit S. Chrysostronus) , & in foederibus mutuis constituendis , Jusjurandum ex utraque parte exigatur ; attestatio scilicet religiosa , ex Cicero : quia nimirum hominum rationi minimè fidendum esse ; novimus ; adeoque solenni illâ religionis contestatione tuti reddimur . Quis verò homini res , fortunæque suas committat , quem sciet , nullam habere Religionem ? contrâ verò homini probo , ac verè religioso facillimè adhæremus ; & Atheus ipse , ut ut atheus hominem , cui fidat , eligit citiùs Deum religiosè colentem , quàm impium , & effrænatum .

Alte-

Alterum pariter caput infirmum est, imò & ineptum, ut ad officia ritè exequenda sufficiat. Amorem enim hic, ut cunque innatus Virtutis, & Justitiæ quid quæso efficiat in hominibus, eâ imbutis firmâ opinione, nullum esse Deum, nullam Religionem? *Pietate adversus Deos sublata, Fides etiam, & Societas humani generis, & una excellentissima virtus, Justitia tollatur*: ait Tullius (1). Profectò quis credat, ambitiosum hominem, libidinosum, avarum vitiis suis frænum injicere propter meram imaginem Justitiæ solius sine ulla cognitione Dei? Si nullum est Numen, cui parendum sit, unusquisque sibi erit finis in operando; unicuique suum emolumentum, suamet voluptas, suamet gloria erit sibi Deus: etenim sibi nihil erit extra se, quod sit se melius. Nulla igitur esse posset cura, nullum studium servandi etiam exteriùs officia illa, quæ civilem tantùm, non veram solidamque Religionem requirunt. Hinc apparet, quàm longè a vero aberraverit, qui Religionem moribus cujusque regionis aptandam esse, pronuntiavit; ut videlicet, sibi tantum Religionis quisque comparet, quod satis sit statui suo, suæque dignitati repræsentandæ. Etenim, quemadmodum observat Guillelmus Parisiensis, ficta Religio peior est nullâ religione, seu atheismo claro, & aperto: addit enim illa occultam fraudem, qua cæteri facillè decipiantur: unde & Deo magis impia, & societati nocentior est. Verùm inde argumentum desumi potest evidentissimum ad probandam Religionis necessitatem: siquidem ut in Republica Cives in officio contineantur, vel ad officium revocentur, Athei ipsi, & Religione carentes fictam aliquam, & umbratilem Religionem necessariam reputant. Ergo, ipsis factentibus, ratio sola tanti non est, ut probitatem a Civibus exigit, probitatem, dico, Reipublicæ gubernationi maximè necessariam. Ergo, equidem colligo, necessariam esse veram, solidamque Religionem: cùm probitas Reipubli-

ca

(1) Lib. 1. de nat. Deor. c. 2.

cæ necessaria in fictione, & mendacio nequeat consistere.

Hoc ipsum evidentissimè constat, si mentem advertamus ad id, quod quotidianâ suadetur experienciâ, ubi hominis virtus gravissimo alicui tentamini objicitur: tunc enim nihil omnino præter Religionem poterit hominem in officio continere tanto in periculo constitutum. Rei hujus rationi, maximè conducit, exempla varia subjicere: Ponamus, alicubi communem hominum Opinionem, atque Existimationem Injustitiæ partes sequi, ac Veritatem publico contemptui haberi: ponamus, alibi hominem, si velit officio suo probè satisfacere, auctoritati, & dignitati debere fortiter obsistere, adeoque fortunarum suarum discrimen apertum subire; ponamus, exhiberi cuidam ingens emolumentum, sed injustum, quo frui absque ullo incommodo possit, ubi negotio falsum aliquem appingat colorem, aut media parùm honesta usurpet; ponamus, aliquando in eo rem esse, ut incogniti alicujus, aut ex infima plebe hominis impendio possit Amici, potentisque Viri cupiditatibus indulgeri, aut præclarissimæ Feminae captari gratia, & favor; vel ut ad Inimicum funditus perdendum satis alicui sit, verbum emittere irati animi testem; ne multa: si malum patrari possit citra operantis perniciem, sive quòd supra hominum censuram constitutum se videat, sive quòd generalis sit eo in loco morum corruptio, unde laudetur citius in ipso suo flagitio, quàm reprobetur: In hisce, aliisque hujus generis circumstantiis nonne comperimus, rationem utcunque rectam succumbere, nisi a Religione validissimè sustentetur? Quid ergo? Si Religio merè ficta sit, & nullatenus vera: nonne personam illico abjiciat, & iniquitatis vestigia sectetur? Quotus autem quisque est, qui in vitæ suæ cursu tentamenta hujusmodi non subeat? Veræ igitur Religionis necessitas ad præstanda Juris naturæ officia vel maximè comprobatur.

Atque hinc quivis deducet, hominem quemdam irreligiosum nullis posse legibus, nullis conventionibus coerceri,

ceri, quamvis videatur illis se ultro subjicere. Ubi occasio libertati suæ favens, aut cupiditatibus obsecundans sese obtulerit, legitimam Principibus, ac debitam subordinationem repudiabit; Justitiæ officia contra Innocentem, & Pauperem contemnet; Fidelitatis immemor coram Magistratu, & ad Aras interritus datam fidem mentietur, addito etiam jurejurando. Quid? quòd jura ipsa sanguinis, & naturæ proculcans, amicos, propinquos, fratres, patremque ipsum pecuniâ, si opus erit, commutabit? Idcirco Principibus maximæ debet esse curæ, hujusmodi nefarios homines a se quàm longissimè repellere: cuicumque fideli, & christiano Domino Famulum hujuscemodi apud se morari non sinere: omnibus tandem nobis præcipi, ne turbulentis, temerariis, ac periculosis istorum contra Religionem verbis ullatenus assentemur, quin & generosè resistamus; eosque ubique traducere, Deique partes forti animo tutari non vereamur; illud præ oculis habendo: Fidi Militis esse, Ducem suum contra Obtrectatores defendere; & Subditos, laudi sibi vertere Regis sui insignia non venerari modò, sed ne ab aliis parvifiant, modis omnibus conari; quidni ergo Deo, supremo omnium Duci, ac Regi tantumdem officiorum impendamus?

Pari ratione libros, ab hujusmodi irreligiosis hominibus ad Orbis totius perniciem conscriptos refutare, vel, quod minimum sit, abjicere. Quis enim eorum adversus Dei in homines dominium sententias ferre æquo animo possit? Quis non exhorrescat, ubi apud hosce Auctores leget, *non posse Deum ab hominibus Religionem ullam exigere?* Et rursus (1) *Religionem quamlibet, seu cultum omnem Deo nihil prodesse, ejusque defectum nihil illi ob infinitas suas perfectiones posse officere: hominibus inter se satis esse moralitatis quædam principia. Siquid ultra morum principia hominibus præciperetur, cum hominum vires sint finitæ, ac li-*
mita-

(1) Apud Syches lib. cit. cap. 6.

mitate, non possent simul homines & morum officiis, & Dei pariter satisfacere. Sunt enimverò hæc effata facili negotio ex hæctenus traditis rejicienda: & a quovis mediocriter in sana Juris naturæ doctrina instituto confutanda. Indignum sanè pronunciatum homini rationis lumine prædito: Deum, supremum nempe rerum omnium, atque adeo hominum Conditorum, Dominum, Legislatorem, Conservatorem, infinitè Sanctum, Omnipotentem, Perfectissimum non posse a Creaturis suis cultum, omnibus modis ipsi debitum, exigere? Cùm sit naturâ insitus cuique cultus, & veneratio Numini supremo: cùmque inscriptam habeamus in cordibus nostris legem naturalem, seu lumen intellectus repræsentans voluntatem supremi Domini, ac Legislatoris, jubentem ea, quæ honesta sunt sive respectu Dei ipsius, sive respectu nostri, sive respectu aliorum? Si ergo de facto Jus hoc est ab hominibus Deo quæsitum: quis erit adeò temerarius, audax, impudens, ut asserat, *Deum non posse cultum, sive Religionem ab hominibus exigere?*

Scio, nihil detrahi posse ab infinitis Dei perfectionibus ex non præstito cultu divinæ ipsius Majestati. At quid inde? nonne & ipsum non exequi illius voluntatem erit non sine culpa, & idcirco gravi poena dignum? Cultus verò est Deo exhibendus non propter emolumentum aliquod Dei ipsius, cui nihil esse potest intrinseci augmenti; sed ratione supremi sui in res omnes dominii, ratione infinitæ suæ perfectionis, ratione etiam nostræ felicitatis. *Moralitatis* deinde *principia* sine Religione inefficacia esse, constat, ut officiis etiam mutuis homines satisfaciant. Illud tandem, quod ultimo loco positum est, hominem ineptissimum declarat. Religionis enim obligatio urget maximè aliorum officiorum obligationem; quæ sanè ad morum integram institutionem spectant. Homo ergo ex Religione haurit gravissima omnium motiva ad exequenda officia, quæ ad mores spectare, ratio ipsa naturalis suadet.

III. Tertium hujus Dissertationis caput de *vera Religione*, *ejusque characteribus* agit. Equidem caput hoc maximi esse emolumenti existimo, quidquid in oppositum inclament Heterodoxi, quamvis hic de Religione juxta lumen naturale sit sermo. Suprà enim exposuimus, Religionem esse debere divinis perfectionibus proportionatam; nam secus non Religio esset, sed vana, & impia Superstitio; idcirco constituimus, *Religionem veram in recta, veraque doctrina* esse constitutam. Qui secus ratiocinetur, non juxta lumen rationis ratiocinatur. Etenim & Epicurus Deum corporeum, & improvidum agnoscens, nihilominus Deo hujuscemodi cultum, & venerationem habendam esse judicavit, teste Cicerone (1), ubi post expositam Epicuri de Deo sententiam hæc ex ipso habet: *Si nihil aliud quæreremus, nisi ut Deos piè coleremus, & ut superstitione liberaremur, satis erat dictum. Nam & præstans Deorum natura hominum pietate coleretur, cum & æterna esset, & beatissima: habet enim venerationem justam quidquid excellit.* Atque hæc quidem ad mentem Epicuri. Cæterum post hæc non dubitavit asserere (2): *Epicurus ex animis hominum extraxit radicibus religionem, cum Diis immortalibus & opem, & gratiam sustulit.* Nulla igitur ex Cicerone est Religio, nisi in *recta, veraque doctrina* fundetur. Quæ sanè in Epicuri hortis minimè tradebatur. Quid itaque Heterodoxi parùm solliciti videntur de expendenda vera Religione, scilicet in *vera, rectaque doctrina* fundata? Religio (ait magui inter Protestantes nominis Henricus de Cocceis (3)) *enim nihil aliud est, quàm Deum colere: colimus autem Deum, dum obsequimur præceptis Dei.* Grotius ipse (4) ait: *Religionem veram, quæ omnium ætatum communis est, quatuor præcipuè pronuntiatas niti; quorum primum est, Deum esse, & esse*

(1) Lib. 1. de nat. Deor. c. 17. (2) Lib. c. cap. 43.

(3) In Comm. ad l. 2. c. 20. §. 44. Grot.

(4) Lib. 2. c. 20. §. 45.

& esse unum . Secundum , Deum nihil esse eorum , quæ vi-
 dentur , sed his aliquid sublimius . Tertium , a Deo curari res
 humanas , & æquissimis arbitriis judicari . Quartum , eum-
 dem Deum opificem esse rerum omnium extra se . Ubi Gro-
 novius explicans voces illas omnium ætatum , intelligi de-
 bere , ait , tum ante Moſen , tum Moſaicæ , tum Chriſti .
 Ex quibus notionibus , ſubdit Grotius , ſequuntur activæ
 (notiones) ut , Deum honorandum , amandum , colendum ,
 eique obtemperandum . Oſtendit deinde Grotius : quòd ab
 omni ævo , per omnes terras , pauciſſimis exceptis , in has no-
 tiones conſenſerint . Loquitur autem de omnibus , etiam
 Ethnicis . Videntur ergo , ex dicta Grotii ratiocinatione ,
 & ex illa Cocceii multo magis , omnes Ethnicis hujusmodi
 pro quavis ætate , etiam poſt Chriſti adventum , in vera
 fuiſſe Religione . Sed ſecum ipſe non conſtat Grotius , dum
 paullo poſt (1) aſſerit , prædictas notiones , ſcilicet Deum
 eſſe , (de uno , aut pluribus non ſtatuit) & curari ab eo res
 hominum , neceſſarias eſſe ad conſtituendam Religionem ſive
 veram , ſive falſam . Et Coccejus (2) ait : Omnes enim
 falſæ Religiones & Deum ſupponunt , & ejus Providentiam .
 His notionibus deficientibus , nulla eſt Religio .

In quibus ſanè verbis , quæ repugnantiam videntur
 ſimul habere , ſi benè expendantur : plura eſſent adnotanda ;
 ſed hæc non omittamus . In primis non benè liquet , quòd
 ajunt , Religionem ſive veram , ſive falſam debere notiones
 illas Dei agnoſcere : nam Epicuri , quæcunque ea fuerit ,
 Religio erga Deos , quæ certè falſa erat , Deum tamen
 res hominum curare , negabat . Falſa igitur dari poteſt Re-
 ligio , quin admittatur in Deo Providentia . Deinde , ſi ,
 deficientibus hiſce notionibus , nulla eſt Religio ; non aliunde ,
 niſi quia quælibet hujus generis Religio falſa eſſet .
 Falſa ergo Religio , & nulla Religio Synonima eſſe debent .
 Et revera Tullio ipſi falſa Epicuri Religio nulla fuit Reli-

Q 2

gio .

(1) §. 46.

(2) In Comm. ad hunc locum .

gio. Malè igitur Coccejus definit: *Omnes Religiones falsas Deum supponere, ejusque Providentiam.*

Pari modo Protestantium plerosque comperies *de Religione* loqui, quos non vacat omnes percensere. Unum aliquem e celebrioribus producamus. Ashley Syches anglus, doctor theologus lutheranus (1) ait: *Revera Religio consistit in faciendo eo, quod justum est ex principio illo, quo creditur, Deum existere.* Hoc autem, quod sanè est insufficientis ad constituendam Religionem, ex Auctoris hujus mente explicatur ita, ut non excludatur cognitio *Providentia Dei*, ejusque *supremi Domini*, ratione cujus fieri debeat, quod *justum est*, quia Dei Voluntati conforme sit. Quare eos impugnat, qui asserunt, *Religionum diversitatem sitam esse in diversitate Rituum, & Fidei*; aitque, *non debere appellari diversas Religiones ex eo, quòd in aliquibus capitibus discordes sint, sed potiùs diversas ejusdem Religionis sectas*: posito, quòd *eandem habeant Regulam Fidei*. Ex qua sententia unâ cum præcedenti sequi videtur: *ejusdem esse Religionis, quamvis diversæ sectæ, hominem Ethnicum facientem id, quod justum est ex principio existentia Dei, ejusque Providentiæ, & supremi domini; ac hominem Christianum, puta ipsum Syches Doctorem Theologum.* Atqui ipse negat hoc apertè, dum asserit, *requiri eandem regulam Fidei*. Verùm hæc Regula Fidei, necessaria ad constituendam Religionem, ex ipso est: *ut credatur, Deum existere, esse Providum, esse supremum Dominum.* Hæc autem omnia credit pariter Ethnicus. Eandem ergo profitetur *Fidei regulam.*

Sed paulò post sententias suas recantat, aitque: *Religionem Christianam differre a Mahumedana, & Judaica, & Paganica, sive Ethnicorum.* Accipiamus autem rationem hujus differentia, & inde constabit: malè institutam rationem exitum habere non posse. *Quia*, subdit, *Christiana*

(1) In Exam. supra cit. cap. 5.

stiana habet novum testamentum pro regula Fidei, quod differt a veteri, ab Alcorano, ac Libris Zoroastris, Confusii &c. At quàm malè, & inchoærenter! Possent enim subdere Mahumedanus, vel si quis sit Zoroastris, aut Confusii Alumnus: nos omnes pari jure dici debere esse in eadem, ac sunt Christiani, Religione; quamvis in diversa ejusdem Religionis secta: cùm in aliquibus consentiamus, & regulam illam Fidei generalem habeamus; & quemadmodum, te ipso, *Syçhes*, fatente, ejusdem estis Religionis vos Protestantes cum Romanis Catholicis, quia in aliquibus capitibus benè cohæretis, quamvis in aliis dissentiat, & quamvis diversa sint ea, quæ fide creduntur a Romanis Catholicis, ac a Vobis: ita & nos esse possumus ejusdem vobiscum religionis ex eadem ratione. Sed hæc omittamus, quòd alibi simili de re egimus fusè contra Coccejum, & aptari loco huic possunt omnia pari jure.

IV. Hæc autem istorum Auctorum sententiæ *Indifferentismo* favent, qui in Religionis negotio maximam Protestantium partem trahit. Sustinent enim, in quacunque Religione, (addunt tamen ad vitandam invidiam, *Christiana*) nempe sive in Lutherana, sive in Calviniana &c. posse hominem tutâ conscientiam vivere, quin & salutem æternam consequi. *Indifferentistæ* idcirco nuncupantur, vel *Adiaphoristæ*, *Syncretistæ*, *Libertini*, *Pacifici* &c. Sunt enim verò, qui asserant, hujusmodi opinionis monstrum fuisse olim in Ecclesia Christi. Proferunt *Apellem* apud Eusebium, & *Zenonem* Imperatorem apud Evagrium. Imò & *Pelagius*, & *Cresconius*, & *Donatistarum* plures apud Augustinum, & *Novatiani* non pauci apud Socratem in hunc errorem prolapsi, visi sunt. Apud Recentiores verò primum habere locum putatur *Marcus Antonius de Dominis* Archiepiscopus olim Spalatensis, de quo videri potest *Card. Pallavicinus* (1). Sanè homo iste viam hanc pacificandi omnes

(1) Introduc. ad Historiam Concilii Tridentini.

omnes Ecclesias inire ausus est, non sine plurimarum pernicie Animarum, quæ hoc veluti soporifero veneno infectæ etiamnum erroribus suis altè indormiunt. Ac reipsa adeo hujusmodi Indifferentismus invaluit, ut teste Pichler (1) in pluribus heterodoxorum Principum aulis Liberi educentur juxta Indifferentismi Principia, *ut scilicet prompti, paratique sint ad quamlibet Religionem capeffendam, prout rei domesticæ status, & conditio, conservandæ nimirum, vel augendæ tulerit.* Hujusce perniciosissimi erroris semina habentur apud Joannem Lockium *in quadam epistola*, quæ accensetur in Libro: *Opera varia Jo: Locke*; apud Petrum Bayle *in Comment. Philos.* apud Joannem Clericum *in Dissert. de eligenda inter dissidentes Christianos sententia.* Eminent præ cæteris Anglus Tyndal *in libro: Religio Christiana Mundo cœva.* Thomas Woolston *in lib. Antiqua apologia veritatis Christianæ contra Judæos, & Ethnicos iterum producta.* De hoc autem Auctore narrat *Le Moine*, accusatum Londini an. 1729. fuisse propter hunc, aliosque ejusdem generis libros, tanquam blasphemum, atheum, apostatam. Sed fretus ille amplissimis anglicanæ libertatis legibus causam suam defendit. *In Religionis enim negotio, ajebat, neminem in Anglia esse Judicem præter Deum, non Ecclesiæ Pastores, non Civilem Magistratum.* Cui Woolstoni apologiæ nihil reponere ausi sunt, & sententiis omnibus absolutus discessit.

Hos inter accenseri meretur Mondevillius *in lib. edito an. 1726. Fabula muscarum ad mel.* Auctor pariter libri editi an. 1745. *Vera Religio demonstrata Scripturis Sanctis*; adscribitur D. De Saint Evremondio. Sed gaudet hisce adnumerari Voltairius, qui pluribus in locis *Indifferentismum, & Tolerantismum* extollit. Sic (2) ait expressè: *Atheos, Materialistas, Deistas oportere tolerari.* Profert in hanc rem exempla Græcorum, & Romanorum, *tolerantium* quam-

(1) Theol. Pol. contr. 1. art. 9. n. 2. (2) Zibal. c. 27.

quamcumque sectam. Hoc autem, quod postremo loco apposuit, est apertissimum hominis mendacium, quod clare redarguunt tot Martyres a Romanis crudelissimè habiti, & necati. Vesanus tamen homo iste inter tot insanientia capita palmam modis omnibus conatus est præripere.

Multo autem liberiores in materia Religionis sunt alii, dicti proinde *Latitudinarii*, putantes, *quemlibet in religione qualibet etiam Ethnicorum posse salvari*; qua scilicet ope? *Ductu nimirum solius rationis*. Hinc laudes illæ eximæ, ingentes, amplissimæ *Rationis humanæ*: hinc exclusio cujuscumque *Revelationis*, veluti omnino superflue, & inter commenta superstitionum, ad utilem quæstum Sacerdotum, & Pusillorum timiditatem fovendam, & coërcendos minuti Popelli furores, adnumerandæ. Plurimi sunt hac de re libri, pestem ubique inferentes; hujusmodi est liber, qui modò suppetit menti: *Tractatus de ratione humana*; atque alii hujusmodi. Hic exclamare libet: En quò tandem ducit *immoderatum illud*, quò valdè gloriatur Juris naturæ Scriptores, *evehendæ rationis naturalis cacohetes!*

Sed, ut adversus *Indifferentismum* pugnem. Potissima hujus erroris ratio innititur vel maximè in celebri illa distinctione articulorum *fundamentalium*, & *non fundamentalium*; *necessariorum*, & *non necessariorum*; *essentialium*, & *non essentialium*: quâ nempe distinctione fulti apertè procedunt, agentes, *quamcumque Religionem Deo placere, adeoque admittendam, dummodo ne a Christiana recedatur*. Ad Religionis autem Christianæ constitutionem articulos requirunt merè fundamentales, necessarios, essentielles: quibus immotis perstantibus, rem esse in tuto, asserunt. Quinam autem hi sint? uniuscujusque sectæ liberum est, discernere. De hac vero distinctione inter capita *fundamentalium*, & *non fundamentalium*: jam dictum est supra, & inanem, arbitrariam, nullique fundamento superstructam.

opinionem refellimus, quàmque enormia deducat absurda, exprompsimus.

Verùm ibi ad trutinam vocatum est, quod Lutheranus Coccejus in Grotii Commentariis agebat, quodque est omnino cum cæteris Lutheranis conforme, excogitatum nempe potissimum ad conciliandam cum Calvinistis concordiam, ut videlicet *sine culpa hæresis* negari possint ea, quæ *fundamentalia* non sunt, licet cognoscantur ut revelata in Scripturis Sanctis, puta quòd *Canis Tobie caudam moverit* (1), quòd Apostolus *penulam reliquerit Troade* (2), & alia id genus innumera. Rursus negari etiam possint *sine culpa hæresis* alia, quæ ab Ecclesia Romana *proponuntur ut revelata*, ut *Cultus Sanctorum, Imaginum &c.* Videantur Valembergii (3), Stapletonus in aureo suo libro (4); atque alii.

Sed *Indifferentista* ulterius progrediuntur, agentes, *posse unumquemque*, modò sit salva Fides fundamentalium, *non solum non esse hæreticum, sed etiam salutem adipisci.* Ajunt præterea: *Articulos non fundamentales ignorari, & tutò negari posse, salvâ fide fundamentalium.* Ita expressè Auctor *responsionum ad XXIV. dubia Christiani scrupulis agitati* apud Pichler (5). Leibnitzius in Epistolis ad Pellissonium de Amore Dei *unico* articulo fundamentali, ac necessario ad salutem, de quo suprâ. Quare sentiunt, negationem articulorum non fundamentalium, quicumque ii sint, non solum non inducere hæresim, sed nec grave crimen; aliter enim status salutis non subsisteret. Ergo per hos Indifferentistas non est grave crimen, negare aliqua etiam cognita *ut revelata*, modò fundamentalia non sint: in hoc enim sita est distinctio articulorum fundamentalium, a non fundamentalibus, ut, quamvis utrique sint revelati; nihilo-

(1) Tob. 11.

(2) 2. ad Tim. 4.

(3) Append. 2. de Articulis necessar. c. 8. n. 37.

(4) Demonstrat. princip. Fidei l. 1. controv. l. c. 18.

(5) Controv. gener. 2. art. 9. n. 1. in fin.

nihilominus primi constituent regulam Fidei, & essentiam Religionis, alteri verò non ita.

Sed quisnam sanæ mentis, & recto rationis lumine utens non advertit, esse de Jure naturæ, ut credatur Deo loquenti propter auctoritatem ipsius Dei non potentis falli, aut fallere; unde gravissima inferatur supremo Numini injuria, si negetur ipsi loquenti fides, sive in re magna, sive etiam in re parva? Æqualis enim est in Deo *auctoritas* (quæ supponit infinitam *sapientiam*, ut non possit falli; & infinitam *veracitatem*, ut nequeat fallere) sive rem magnam proferat, sive parvam. Quomodo ergo licitum erit sine reatu gravis culpæ, negare quemcunque articulum a Deo revelatum?

Profectò Ecclesiæ Romanæ Theologi distinguunt inter articulos necessarios *necessitate medi*, & articulos necessarios *necessitate præcepti*, & articulos neutro modo necessarios; prout videre licet apud ipsos (1). At omnes omnino hujusmodi articulos, asserunt, credi debere fide divinâ saltem implicitâ, & in nullo casu cuicumque licere aliquem quemcunque articulum hujusmodi citra grave crimen hæresis negare. Enimverò, si relictum fuisset hominum arbitrio credere, vel repudiare Dei verbum, quod de re parvi momenti sit, (quemadmodum *Indifferentiæ* asserunt): in primis concedendum esset, non esse gravem injuriam dicere Deo: *Falsum est, quod dicis*. Vel hoc: *Ignoras hoc, quod ais*. Vel hoc: *Mentiris in hoc, quod asseris*. Quisnam vero hæc proferre non exhorrescat? Aut quis alium ita blasphemantem non aversetur? Nonne per hæc propositiones divinis perfectionibus obsteret audacissimè?

Deinde, cum in Scripturis per Prophetas Deus enunciaret calamitates, aliaque id genus complura, agentibus Prophetis ad fidem dictis suis conciliandam: *hæc dicit Dominus, hæc dicit Deus?* Responderi poterat a Populo cum

Tom. II.

R

irri-

(1) Tract. de Fide, & de Gratia.

irrifione : *Falsa sunt hæc , quæ dicitis , omnino falsa sunt : quæ enim dicitis , fundamentalia non sunt : hæc autem Deus arbitrio nostro permittit credere ut vera , vel repudiare ut falsa .* Quàm impium hoc sit ex jure ipso naturæ , nemo non videt . Ut autem salutem quis consequatur , non sufficit , in una re , aut altera Dei jus non lædere , sed oportet , Dei majestatem , auctoritatemque in omnibus revereri juxta illud Jacobi Apostoli (1) : *quicumque totam legem servaverit , offendat autem in uno , factus est omnium reus : qui enim dixit , non machaberis , dixit & non occides .* Ergo similiter non sufficit , duos , aut tres articulos revelatos credere , ut quis in statu salutis sit , sed debet omnes credere . Qui enim dixit : *Verbum caro factum est , dixit , & Hoc est corpus meum .* Apertè hoc argumento usus est Augustinus , Cresconio scribens volenti , articulum illum controversum posse relinqui ejus arbitrio . *Cur non in homicidiis , & in stupris , & quibuscumque aliis facinoribus libero te arbitrio dimittendum esse , proclamas ?* Ubi S. Doctor arguit a faciendis , ad credenda , quemadmodum nos egimus .

Contra tandem *Indifferentistas* sic urgeo . *Indifferentismus* ruit suis ipsis principiis : Etenim qui *Indifferentismum* profitetur , asserere debet , prout asserit , hominem in Religione Romana Catholica posse salvari . Atqui Religio Romana obligat ad *Indifferentismum* repudiandum . Ergo ut minimùm , qui velit prudenter operari , amplecti debet Religionem Romanam , & repudiare *Indifferentismum* : quod sanè tutius est . Ruit ergo a seipso *Indifferentismus* , ac seipsum evertit .

Atque hæc sanè quoad partem illam *Religionis* , quæ *Fidem* respicit : qua sublata , impossibile est , posse Deo placere quamcunque Religionem super ipso etiam cultu , ajente Apostolo : *sine fide autem impossibile est , placere Deo* (2) Dicant , quod velint , & exempla , ac similitudines congerant ,

(1) 2. 10.

(2) Ad Hebr. 11. 6.

rant, ut id assequantur: nihil profus evincunt. *Delectat nos florum, ac pomorum varietas: & in Regis Curia multitudo rerum, & diversitas ministeriorum pulchritudinem suam habet, quæ Rex ipse gaudet.* Poterit ne pari ratione Deus variis cultus speciebus, diversisque ritibus, & sacrificiorum cæremoniis delectari? Absit hoc a Deo: cui nequaquam poterunt infidi cordis obsequia placere, & Gentium infidelium cultum omnem detestatur: *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, & munus non suscipiam de manu vestra* (1). Et alibi: *quare jejunavimus, & non aspexisti; humiliavimus animas nostras, & nescisti?* Sic Deum inrerrogabant Judæi post cultum Deo præstitum: quibus respondetur: *Ecce in die jejunii vestri invenitur voluntas vestra*, (2) quod nempe non juxta Dei præceptum cultus ille exhibebatur. Scilicet Deus, qui essentialis veritas est, honorari patietur mendacio? Profectò ut cultus Deo præstitus religiosus sit, ipsique gratus, *in Veritate, seu in Fide* veritati conformi constitui debet. Una autem est Veritas, nec ex oppositis utcunque partibus constare potest. Unam ergo doctrinam, quæ vera sit, necessariò amplectatur, oportet. Cùmque ex contrariis inter se capitibus pugnent tot illæ, quæ proferuntur, Religiones: nonnisi in una verus Dei cultus esse potest. *Vera Religio*, ait Augustinus (3), *nisi credantur ea, quæ quisque postea, si bene se gesserit, dignusque fuerit, assequatur, atque percipiat, & omnino sine quodam gravi auctoritatis imperio, iniri rectè nullo pacto potest.* Grave autem auctoritatis imperium, ut suprâ dixi, & mox dicam, est Romanæ Catholicæ Ecclesiæ uniformis semper, & constans doctrina.

Ex iis, quæ dicta hæcenus sunt, *Latitudinarii* vel maxime oppugnantur. Nulla enim esse potest vera Religio, Deoque grata *sine Fide*. Ratio ergo sola impar omnino est

R 2

tantæ

(1) Malach. i. 11.

(2) Is. 58. 3.

(3) L. de util. Cred. c. 9.

tantæ rei . Desinant itaque ad eam rationem extollere , quæ , quamvis animos nostros alliciat , nequit tamen *veram* iudicare *Religionem* sine *Fidei* subsidio , ac lumine . Sanè ab Augustini ætate novimus , hujusmodi homines extitisse *Rationis humanæ* nimium , & ultra rationem laudatores ; quò *rationis* titulo laudem vulgò aucupabantur . Legantur , quæ fusè scribit Augustinus (1) , ubi hæc habet : *quid , inquis , dici potuit , quod ad eorum (hæreticorum) laudem magis pertineret ? Non ita est . Hoc enim faciunt nullo robore præditi , sed ut aliquam concilient multitudinem nomine Rationis : quâ promissâ , naturaliter anima gaudet humana . Illud quidem certum est , cultum in recta Fidei doctrina fundatum rationem pariter sociam , seu potius ministram habere fidissimam . Fides plura detexit naturalia , & moralia , & apertè docuit Rationalia , scribit Ambrosius (2) .*

Quare , quid sit dicendum , videtis , de pluribus circa *Religionem* sententiis libri illius apud Indoctos , aut Religionem carentes commendati , de *spiritu legum* de Montesquieu ; ubi præsertim Auctor , *non populorum mores Religionem esse conformandos , docet , sed Religionem moribus :* ubi ait , *civilem quemlibet statum , si una qualibet Religione contentus sit , debere aliam religionem absolutè non permittere , & jure quidem optimo .* Quâ statutâ Sententiâ , quidquid Ethnici adversus Christianos decreverunt , rectè factum reputabitur . Atque alia id generis innumera ibi traduntur , quibus Auctor nihilo pluris facere videtur *veram* , atque *unicam Religionem* præ quavis alia superstitione , quæ Religionis nomine appelleretur .

Locus hic postulat , ut de *Revelationis utilitate , ac necessitate* ad constituendam *veram Religionem* aliqua disseramus . Profectò quòd ad *Revelationis utilitatem* spectat , Protestantium plerique nobiscum conveniunt ; iis nimirum exceptis , qui quartam *Deistarum* Classem constituunt ,

• re-

(1) Cit. lib. de util. cred. c. 9.

(2) Præf. in Luc. n. 4.

& revelationem inutilem omnino esse arbitrantur. Ac de utilitate quidem sic ratiocinari fas erit: positâ extra omnem dubitationem *possibilitate* Revelationis, qua nempe Deus immediatè velit hominibus aliqua communicare, quemadmodum homines inter se ideas suas communicant: (cur autem id non poterit Deus generis humani Creator, Conservator, Legislator, & Dominus?) sive de cetero ea spectent ad officia ex I. N. præstanda, sive ad decernendam officiorum rationem, sive ad detegenda nova aliqua præcepta, & mysteria, quibus ad virtutem excitemur magis, & a vitiis avocemur, præter alia, quæ habemus incitamenta, ad id exequendum: quinam inficiari possit, *utilissimum* fore nobis medium, & validissimos ad officia nostra addi stimulos ex hujusmodi divinæ voluntatis firmissima significatione? Hanc autem a Deo nos accepisse, certi sumus. *Habemus*, ait Apostolus Petrus (1), *firmiorem propheticum sermonem, cui benè facitis attendentes, quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco*. Nostri instituti non est, argumenta proferre ad Scripturarum *αυθεντιαν* demonstrandam, quæ apud Dogmaticos, & Polemicos Religionis nostræ Scriptores satis abundè exhibentur. Cùm de hac igitur divina revelatione satis constet, ejus *utilitatem* in confesso esse apud omnes, necesse est.

V. Illud autem ulteriùs pronuntio, de Revelationis nempe *necessitate* (quam ut plurimum negant Protestantes), illudque falsum esse ajo, quod cum Protestantium plerisque affirmat Syches (2) *Revelationem nullo pacto esse necessariam veræ Religioni*. Hæc enim (ait) *in exequendis rationis naturalis officiis ex Dei existentia unice consistit*: tum subdit, Revelationem Religioni *prodesse* quidem, sed minimè necessariam esse: nimirum nova quædam profert hominum mentibus incitamenta, ut ea homines exequantur officia, quæ aliunde ratio naturalis exhibet.

Unde

(1) Ep. 2. 1. 19.

(2) To. 2. c. 11.

Unde infert, humanam societatem ex Revelatione majora haurire *emolumenta*, quandoquidem meliores inde redduntur Cives, & ad officia exhibenda promptiores, atque expeditiores; quamvis ex sola ratione, quantum sit satis, quisque habeat, si velit. Quare asserit sine ulla dubitatione: hominem Christianum (cui collatus sit unice baptismus) cum Fide circa Dei existentiam, ejusque Providentiam, evitantem peccata, vel, si defecerit ab officio, redeuntem ad officium, jus alterius non lædentem, moderatum, castum, alios amantem in Christo; curantem ubique pacem, & concordiam, expectantem futuram vitam, & Christi Judicis adventum: *ajo equidem*, (sunt verba Syches) *hujusmodi hominem, hæc præcisè facientem, esse verè, & propriè Religiosum*. Nihil enim ultra ad *veram Religionem* requiri, asserit; quæ autem exposuit, quæque omnibus ex ratione naturali innotescunt: esse verè necessaria, & ad *veram Religionem unice* sufficere. Si quis verò in prædictis deficiat; is sine *vera Religione* dicendus est. Hætenus heterodoxus Theologus.

Verùm apud Nos Romanæ Ecclesiæ Catholicos ea omnia, quæ Heterodoxus exposuit, utique requiruntur, ac necessaria sunt; minimè tamen sufficiunt *ad veram Religionem*. Vera enim Religio in vera, sanaque doctrina fundetur, oportet: idcirco non sufficit, ea tantùm credere, quæ ibi exposita sunt; sed pari ratione alia etiam objecta, quæ sunt a Deo revelata, oportet non respuere. Neque solùm ea adimplere, quæ ipse statuit; sed alia rursum, quæ ad salutem esse necessaria, ex Christi Domini verbis habemus. Planè juxta lutherani hujus doctrinam, ac suorum, asseritur *ad veram Religionem* necessarius Baptismus; at pari jure accenseri debet *Penitentia* Sacramentum, & *Eucharistia*, (quæ a *Sancta* Lutheranorum *Cæna* valdè differt), atque alia, quæ sanè ex Christi Domini institutione Romana Catholica Ecclesia profitetur, & aperitissimè demonstrat.

VI. At-

VI. Atque, ut uno omnia verbo complectar: *Vera Religio* non nisi in una Romana Ecclesia esse potest: Hæc enim omnia, quæ homini Christiano credenda, faciendaque sint, sanctissimè exponit; extra quam sicut *vera Religio* dari nequit, ita & vera salus nequit haberi. Itaque blandiantur sibi, utcunque volent, Protestantes in sua ipsorum secta, quemadmodum *a vera Religione* aberrant, ita ad salutem minimè perveniunt. Calumniantur, utcunque libuerit, Nostrorum mores, nunquam efficient, ut exinde nostros etiam improbos homines (quos esse in Catholica Ecclesia, ut in Agri tritico Zizania, novimus) extra *veram Religionem* existere ostendant, modò Ecclesiæ Romanæ Catholicæ in unitate Fidei adhæreant.

Equidem nolo hoc in opere falcem, ut dicunt, in alienam messem immittere, & characteres omnes veræ Ecclesiæ (ubi unicè *vera* esse potest *Religio*) uni Romanæ proprios esse ostendere: ut nempe *Una* sit, *Sancta*, *Catholica*, atque *Apostolica*. Actum id est satis superque ab aliis. Illud mihi argumenti potissimi loco sit, nimirum: Ecclesia *vera* Christi, (quæ n̄rma, stabilis, ac perpetua semper fuit, eritque) usque ad Martini Lutheri, & Calvinii tempora, nempe per annos 1500. reputata est semper Ecclesia Romana, atque in eadem extitere ii ipsi Novatores. Ergo, si ea erat vera Christi Ecclesia, quicumque ab ipsa recessit, a Christi Ecclesia necesse fuit, recedere. Si ea tunc temporis non erat Christi Ecclesia (ante scilicet horum Novatorum recessum): ubinam ergo erat, & quanam erat Christi Ecclesia? Rursus a quanam Ecclesia exceperunt Novatores isti veram Sacram Scripturam; nisi ab Ecclesia Romana? Si hæc defecerat a fide: quomodo certum erit, non fuisse ab ipsa S. Scripturam, & ipsos SS. PP. codices corruptos?

Explicemus hoc, quod maximi interest, clariùs: Ajunt Novatores, voluisse se Ecclesiam Romanam, quæ a rectæ religione deflexerat, corrigere, ac reformare.

Sit

Sit ita sanè: at quam regulâ usi ii sunt ad *Fidem* Ecclesiæ reformandam? Uno videlicet *Sacra Scriptura* testimonio (uti semper asserunt) . At hæc Sacra Biblia vel *a vera Christi Ecclesia* exceperere; & hac in hypothesi, Romanam Ecclesiam esse veram Christi Ecclesiam, ideoque in vera Fide perseverantem fateri cogentur; vel *a falsa Ecclesia*: & in hoc rerum statu de Bibliis ipsis est dubitandum; ad Bibliorum autem correctionem, (quam effecisse se, gloriantur) quo lapide lydio usi sunt? quonam autographo, quod non ab Ecclesia Romana exceperint? Si de Ecclesiæ Romanæ Fide ambigitur, de omni, & quocunque apud ipsam existente codice est dubitandum. En quot infelices sententiarum ambages in re maximi momenti! Et quispiam recto rationis lumine utens dubitabit, quin hujusmodi Novatores, nec vitæ integritate, nec eminentiâ doctrinæ, nec sententiarum firmitate præstantes, sint repudiandi? Et vos, *Juris nature Scriptores*, istiusmodi Reformatores egregios sine ullo prudenti, ac rationabili argumento tanquam Dei ministros temerè admittetis, eorumque dicta, actave defendetis, qui humanam rationem maximoperè extollitis?

Si ergo apertè satis constat, Ecclesiam Catholicam Romanam unicè *veram* esse, & a Deo constitutam: constare simul necesse est, omnes, & singulos ejus articulos veros esse. Quare via hæc est ad quosvis errores confutandos brevissima. Reclamet, puta, Calvinista contra realem Christi Domini in Eucharistia præsentiam. En expeditissima ad illum convincendum ratio: quæcumque docet Religio vera, & a Deo revelata, ea vera sunt. Sed Religio in Romana Catholica Ecclesia est vera, imò unicè vera, & a Deo revelata. Ergo quæcumque ipsa docet, vera sunt. Atqui hæc docet realem Christi Domini præsentiam in Eucharistia. Ergo hæc præsentia vera est; credenda firmissimè est, in ejusque Fidei obsequium captivandus est Intellectus noster, quidquid in contrarium oblatret imbecillis ratio nostra.

fra . Idem in aliis contra Protestantes capitibus fieri debet argumentum , quo planè convincuntur , qui velint recto rationis lumine ratiocinari .

VII. Unde quicumque ritus *externus* colendi Deum a Romana Ecclesia est constitutus , utpote in recta doctrina fundatus , religiosus est , Deoque certissimè acceptus . Ratio naturalis in iis decernendis , constituendisque ritibus hæret maximoperè . Dicitur enim tantummodo , fieri debere modo decenti , & proportionato , ut ostendit Suarez (1) : sed valdè est difficile , hunc vel illum admittere , hunc vel illum respuere . Heineccius (2) , ait : *Ad ritus verò , quod attinet , quamvis & ratio intelligat , non posse cultum publicum commodè explicari , nisi certa loca , temporaque illi desinantur , & tanti momenti negotium omnino exigat , ut omnia decorè fiant : ipse tamen caeremonias illa nec præscribit , nec improbat , si ita sint comparata , ut nobis in memoriam revocent ea , de quibus in cultu divino sit cogitandum .* Horum autem rituum externorum tutam , ac certam habemus in Romana Ecclesia constitutionem . Qua cognita , tenemur ex J. N. illam servare ; & peccari contra J. N. si illa negligatur , manifestò liquet .

Scio , complures e Publicistis J. N. Scriptoribus Protestantibus , quos inter Thomasius (3) negare *necessitatem cultus externi* erga Deum : tum quia *hoc cultu non indiget Deus* : tum quia *Societas humana , viteque tranquillitas sine cultu Dei externo non læditur* . Verùm & hic , ut & alibi hallucinantur Protestantes isti . Utriusque enim cultus congruentiam , ac necessitatem suprà ostendimus . Deinde Thomasi prima ratio ab illo veteri Philosopho apud Lucianum (4) relato , Demonacte mutuata est : etenim accusatus hic , quod nullum unquam Minervæ Sacrificium obtulerit ,

Tom. II.

S

lerit ,

(1) T. 1. de Relig. tr. 2. l. 1. c. 2. & in 3. p. disp. 73.

(2) Elem. J. N. & G. l. 2. c. 5. §. ultimò .

(3) In Jurispr. div. l. 2. c. 1. (4) To. 1. pag. 361.

Ierit, respondit: *οὐδὲ γὰρ δέσθαι αὐτὸν τῶν παρ' ἐμῆ θυσίῳ ὑπελάμβανον: neque enim illam oblati a me sacrificiis indigere, putabam.* Verùm quàm absurda sit huiusmodi ratio, juvat Heinnecii ipsius verbis ostendere (1), ubi exprimit primo loco cultus externi necessitatem sic: *Quandoquidem ita naturá comparatum est, ut affectus in actiones externas erumpat: vix sincerus videretur cultus ille interior, nisi inde nasceretur externus, qui in actionibus externis ex amore, timore, ac fiduciá erga Deum profectis, consistit.* Deinde respondet ipsemet objecto Thomasi: *Sed nec cultu interno indiget Deus, quem tamen necessarium esse, nemo negaverit.* Quod ad secundum spectat, inchoerentia Thomasi satis elucet: Etenim negare non audet Thomasius ipse (2) fundamentum omnis obligationis mutue, ac mutue fiducie inter homines situm esse in cultu Dei, utique externo. *Hactenus beatitudinem Rerumpublicarum per cultum externum promoveri, ratio assequi potest: ut ed melius quilibet Civis alteri per signa exteriora reverentiam internam erga Numen divinum, tanquam fundamentum omnis obligationis declaret, ac ita fiducia Sociorum erga se invicem ed magis augeatur.*

Exinde patet clarissimè, *Vita tranquillitatem sine* huiusmodi cultu externo Dei, & solo cultu interno haud posse subsistere. Quod sanè duplici ex capite probat Pufendorfius (3) his verbis: *Tranquillitas consistit in conscientia, quæ semper adest, quoties conscii nobis sumus, quòd officiis nostris satisfecerimus. Non satisfecerimus autem, si cultum Dei externum omittamus: obstrictos enim nos esse ad illum, demonstramus sequentibus rationibus. I. Omnes interni effectus erumpunt in actum externum. Cultus internus est internus affectus. Erumpit ergo cultus in actum. II. Cultus externus consistit in obsequio: obsequium se exerit actio-*

(1) In Elem. I. N. & G. lib. 1. c. 5. §. 135. (2) L. c. n. 122.

(3) L. 1. de Off. hom. & Civ. c. 4. §. 7.

actionibus externis . Ergo cultus Dei se exerit actionibus externis .

Quandoquidem vera Christi Religio non nisi in vera, atque unica Christi Ecclesia Romana, uti demonstratum est, haberi potest: sequitur inde evidentissimè, nihil in iis, quæ ad Religionem pertinent, variari, immutari, aut induci, vel deleri posse, quin consulatur Romanæ Ecclesiæ Caput, Christi ipsius Vicarius, ac S. Petri successor: cui Christus dixit: *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam: & alibi: Pasce oves meas, pasce agnos meos.* Scio, Heterodoxos longè aliter sentire; & Religionem ipsam Laicorum potestati subiicere. Conformia enim loquuntur iis, quæ suprâ tanquam omnino falsa rejecimus circa Ecclesiam, ac veram Religionem. Non vacat, futilia eorum argumenta huc afferre, quæ ex hæcenus dictis facilè resolvuntur. Incommoda deinde, quæ infert Burlamaquius, (1) unicè ex Protestantium principiis descendunt. Positâ enim ex Jure Naturæ distinctione inter ea, quæ *ad veram Dei Religionem* a Christo Domino præceptam, & ea, quæ *ad civilem Reipublicæ administrationem* spectant: (duplicis enim generis Officia respiciunt) nihil incommodi oriri poterit, si unicuique Potestati suæ dentur partes, quas, non est, cur non possit utraque Potestas optimè, ac summâ cum consensione exequi. Profectò supremæ Principis potestati omnia tribuuntur, quæ Civium tranquillitati, emolumento, ac felicitati humanitùs conducere ipsi videntur; Eidemque pariter Ecclesiæ cura, ac tutela commissa est: Ipsi enim incumbit, publicam servare pacem, & Innocentes contra nefarios Aggressores tutari. Sed statuere, quæ ad Sacerdotium spectant, & ad eorum munera; Dei cultum, sive internum, sive externum moderari; Leges ad Religionem unicè, ac directè pertinentes condere: Ecclesiæ Pastorum est, atque Ejus potissimum, qui inter

(1) To. 3 . c. 4.

Pastores supremum obtinet locum. A primis usque Ecclesie temporibus Protestantium doctrina, ut in ceteris, ita & in hoc capite falsa convincitur: & quælibet eorum argumenta expressis Christi Domini verbis, Apostolorum sententiis, & SS. PP. auctoritate prorsus nullius esse roboris, atque adæo paralogismos esse fallaces, & fucosos ostendere licet. Quid? In Religionis negotio licitum ne erit laicæ Potestati *de iis etiam, quæ a Deo constat esse decreta, tanquam sibi subiecta* judicare? *Ea disponere, quæ ad Sacra Ministrorum Ecclesie munia spectant, & ad externum divini Numinis cultum?* Hoc utique cum suis affirmat (1) Burlamaquius, hoc uterque Coccejus. Poterit igitur Princeps Sacerdotibus præcipere de Missæ Sacrificiis alio ritu faciendis, de nova Sacramentorum administratione, de contrahendo Matrimonio a Sacerdotibus ipsis; & similia? Habeant sibi Protestantes eximias hæc leges; de quibus ajo cum Augustino: *Mira sunt, quæ dicitis; nova sunt, quæ dicitis; falsa sunt, quæ dicitis. Mira stupemus: nova cavemus: falsa convincimus.* Sed revera nihil est, quod mirer; plurimum verò, quod averser: etenim a Christi Ecclesia recedentes immania quæcunque dogmata sequi, ac proferre laudî sibi vertunt, nedum non verentur. *Qui enim, ajebat Tullius, verecundiæ fines egreditur, oportet esse impudentem.*

VIII. Quidquid ergo adversus *veram* Christi Religionem fit, opponitur officiis Deo I. N. debitis. Possunt autem i. omitti ea, quæ pro aliqua temporis, loci, ac personarum circumstantia ad cultum suum exigat Deus: & tali pacto injuria Deo irrogatur. Hujusmodi est *perjurium*, vel *temerarium jusjurandum*, *blasphemia*, *sacrilegium*, *simonia*, atque alia hujusmodi, quæ Religionis debitæ defectum claudunt. Aliâ pariter ratione peccari potest contra Dei cultum, si cultus Deo exhibeatur incongruus: puta per caeremonias veteris Legis. Rursus si exhibeatur modo *indebito*,

(1) Loc. cit.

bito, contra Ecclesiæ præscriptum. Tandem si cultus Deo uni debitus *Creaturæ* alicui, aut *Idolo* tribuatur. Quantum autem differat cultus, quem Ecclesia Romana B. Mariæ Virgini, ceterisque Sanctis adscribit, a cultu, quem uni Deo tribuit, jam supra contra Buddeum, aliosque Protestantes exposuimus: quare nihil ultra addendum hic censemus.

Illud superest: Ad quem spectet, delicta contra veram Dei Religionem patrata punire? Ut diximus, crimina hujusmodi Juri Naturæ opponuntur, Societatis tranquillitati opponuntur, & animorum discordias promovent: præterea Religioni se opposcentes Numen gravissimè, ac directè lædunt, aliorum animis sunt offenculo, & Ecclesiæ ipsius statuta contemptui habent. Quare & ad Principem spectat, & ad Ecclesiæ Supremum Pastorem simul in hos Delinquentes animadvertere diversis licèt mediis, prout nimirum diversos habet respectus utraque dicta Potestas.



HOMI-

HOMINIS OFFICIA
 ERGA SEIPSUM THEORETICA
 DISSERTATIO V.

*In quonam fundentur hujusmodi Officia ? quid sibi velint Officia theoretica ? Animam esse a corpore distinctam . Animam hominis esse spiritum . Explicatur mutua dependentia , & commercium animam inter & corpus ex Tourne-
 minio . Hic de Helvetii libro De Spiritu judicium pro-
 fertur . De animarum origine inquiritur , ac plures erro-
 res confutantur . Pari modo refellitur metempsychosis .
 Wolfii , ac Leibnitii sententia involutorum exploditur ; ac
 vera exponitur , quæ luminis naturali æquæ , ac Fidei opti-
 mæ congruit . De Præexistentia animarum opinio & ra-
 tione naturali , & Patrum auctoritate convellitur .*

I. **H**Actenus de Officiis erga Deum , de quibus jejune admodum Protestantes I. N. Scriptores agunt , nec sine erroribus , ut datâ occasione expendimus . Ad officia hominis erga seipsum , quæ illis proxima sunt , gradum faciamus . Profectò officia hæc in amore cuilibet homini insito & ex I. N. præcepto erga seipsum fundamentum habent . Amor autem proprius is esse debet , qui necessarius sit ad *felicitatem* naturæ suæ rationali propriam adipiscendam . Quæ cum de se dicat pacem cum Deo primùm , & deinde cum Proximo ; idcirco *Amor* hic erga seipsum debet Deo subiici , & Proximum non excludere . Quare dignosci potest , de quonam Amoris proprii genere loquutus sit Christus Dominus in sublimi illa , divinaque sententia (1) *qui amat animam suam in hoc mundo , perdet eam : ubi φιλαυτεία* seu amor sui , illum innuit amorem proprium ,
 pra-

(1) Jo: 12. 25.

pravum quidem, quo homo omnia ad se referat, in omnibus se quærat etiam in officiis aliis quibuscumque adimplendis. Sanè hujusmodi amor, etsi non semper imputabilis ad culpam, est tamen semper vitiosus. Etenim *rectus amor sui* Deum pro fine actuum suorum habere debet, quos non nisi ad legum suarum normam oportet dirigere. Certissimum hoc apud omnes est, & fermè apud ipsos sanæ mentis Philosophos lumine naturæ cognitum. Sed Voltairium excipias, qui ab omnibus dissentire gaudet, & exinde *monstrari digito prætereuntium, & dicier, hic est*. Hic in quadam dissertatione *De voluptatis natura* multus est in commendando hunc eundem amorem proprium, quem christiana Religio ex Christi documentis improbat; nec veretur, hisce se audacter opponi, & ore impudentissimo damnatum illum amorem proprium appellare: *donum Dei, datum homini a Cælo*, atque alia hujusmodi, quæ præstat silentio præterire.

Principium fundamentale Officiorum hominis *erga se* reponit Fufendorfius *in Religione, & Socialitate*. Sic enim habet (1): *Officia hominis erga seipsum partim ex religione, partim ex lege socialitatis fluunt: ita ut, ni homo servus Dei, & membrum societatis humanæ esset, ipsius nulla erga semet officia intelligi possent*. Atque eadem asserit alibi (2). Verùm totum hoc videtur rationi non congruere. Ex principio enim *socialitatis* ea tantùm fluere possunt hominis officia, quæ cum aliis communia sunt: ex *Religione* pariter ea deducuntur, quæ hominem cum Deo colligant. Sunt autem & plura alia hominis erga se officia, quæ cum societate nihil habent commune; & adverti possunt in homine solitariè degenti; in Adamo ante formationem Evæ, qui potuisset diutiùs vivere sine socia: & quoad *Religionem*, etsi officia hominis erga Deum priorem obtineant locum,
& alia

(1) Specim. controv. c. 5. §. 25.

(2) Lib. de Off. hom. & Civ. l. 1. c. 3. §. 13.

& alia hominis officia ex fine a Deo directo fieri debeant : tamen & officia ipsa aliqua erga se ex Religione minimè deduci possunt , ut videbimus . Debent ergo aliunde inferri , ut (1) dictum est suprà .

II. Officia hominis erga seipsum aliqua *theoretica* dici possunt , quæ nimirum in cognitione vera proprietatum Animæ potissimùm sita sunt : alia verò *practica* , quæ ad sui ipsius *conservationem* , ac *perfectionem* pertinent . Exponemus hîc , quæ primæ sunt partis , alia in sequentibus dissertationibus discutientur .

III. Prima Animæ humanæ proprietas , & quidem I. N. cognita est , eam esse *rem aliquam a corpore nostro distinctam* . Ut autem ad hanc animæ nostræ intimam naturam deveniamus expendendam , nonnulla , quæ certissimè nobis ex innato lumine , & propriâ conscientiâ innotescunt , proponamus . Illud sit primum : Mentem nostram , seu Animam nostram non modò objecta sensibilia percipere , sed perceptiones ipsas suas simul conferre , & in illas reflectere , quòd unà voce dicimus , *intelligere* . Neque solùm ideas præsentium objectorum habet , sed etiam *præteritorum* pro libito revocat , easque simul confert , earumque ope ratiocinatur . Habet præterea intimam *perceptionis* suæ *conscientiam* , qua certa redditur , se existere . Ex perfecto statu *Intelligentis* oritur illud *velle* , quo Anima se ad aliquid determinat , illudque alteri præfert . Atque hoc ipsum *velle* esse omnino *liberum* animæ , probavimus (2) alibi .

Quare inter Spinozæ deliria illud reponimus , quod scripsit , (3) ad exturbandam hanc libertatis ideam ab anima nostra : *Concipe jam , si placet , lapidem , dum moveri pergit , cogitare , & scire , se quantum potest , conari , ut moveri pergat . Hic sanè lapis , quandoquidem sui tantum cona-*

(1) In 1. p. Princip.

(2) In 1. p. Princip.

(3) In Ep. § 84.

sonatus est conscius, & minimè indifferens, se liberrimum esse, & nulla alia de causa in motu perseverare credat, quàm quia vult. Atque hæc humana illa libertas est, quam omnes se habere jactant; & quæ in hoc solo consistit, quòd homines sui appetitùs sint conscii, & causarum, a quibus determinantur, ignari. Hæc enim sententia, quæ intimo cujusque hominis sensui manifestè contradicit, viam aperit universali Scepticismò, imò ad Idealismum ducit, & deinde ad Atheismum: quæ omnia, ex pari ratiocinationè fluentia, naturæ rationali repugnant.

Sed ad propositam de Animæ nostræ a corpore distinctione controversiam accedamus. Non defuerunt e veteribus aliqui, qui cum Lucretio opinati fuerint, Animas nostras ex atomis quibusdam fieri ab æthere prolapsis, mortuo deinde homine atomos illas ad Cœlum redire. Sic enim habet (1):

*Denique cœlesti sumus omnes semine oriundi.
Omnibus ille idem Pater est, unde alma liquentes
Humorum guttas Mater cùm Terra recepit,
Fœta parit nitidas fruges, arbutaque lata,
Et genus humanum, & parit omnia sæcla ferarum;
Pabula cùm præbet, quibus omnes corpore pascunt;
Et dulcem ducunt vitam, prolemque propugant.
Quapropter meritò maternum nomen adeptæ est.*

Mortuo autem homine, atomi animantes redeunt ad Cœlum.

*Cedit item retro, de terra quod fuit ante;
In terram, sed quod missum est ex ætheris oris
Id rursus Cœli fulgentia templa receptant.*

Tom. II.

T

Idem

(1) L. 2. v. 990.

Idem fermè visus est asserere Diogenes Apolloniates, animam nempe ex aëre formatam, imò & Deos ipsos aëreos esse, autumavit. Sed hi animam aliquo modo distinctam a corpore existimabant: contra quos infrà.

Galenus verò animam a calore naturali, atque ab humorum temperamento non distinxit: contra quem scripsit Nicolaus Nancelius (1).

Clariùs autem errorem hunc docuit Dicæarchus, teste Cicerone (2), exposuitque Bayle (3). His verbis Dicæarchi errorem Tullius narrat: *Dicæarchus in eo sermone, quem Corinthi habitum tribus libris exponit doctorum hominum disputantium: primo libro multos loquentes facit, duobus Pherecratem quemdam phitiobam senem, quem, ait, a Deucalione ortum, differentem inducit, nihil esse omnino animum. & hoc esse nomen totum inane. frustra que & animalia, & animantes appellari, neque in homine inesse animum, vel animam, nec in bestia. Vimque omnem eam, qua vel agamus quid, vel sentiamus, in omnibus corporibus vivis equaliter esse fusam, nec separabilem a corpore esse, quippe quæ nulla sit, nec sit quicquam, nisi corpus unum, & simplex, ita figuratum, ut temperatione naturæ vigeat, & sentiat.*

Hujus Auctoris, a sapientioribus ethnicis Philosophis damnati, errorem nostrorum temporum Materialistæ innovârunt, Thomas Hobbes (4), Benedictus Spinoza, de quo Buddeus videri potest, (5) Tolandus (6) apud Jacobum Fayum (7), Collins (8) alii que hujusmodi monstri homi-

(1) Velitat. contra Galenum an. 1387.

(2) L. 1. Tuscul. c. 10.

(3) In Dist. cit. to. 2. in V. Dicæarque litt. C.

(4) Elem. Phil. c. 25. art. 2. §. 5. & 8. & Leviath. c. 4.

(5) In tract. de Atheismo c. 3. §. 2.

(6) In Ep. 2. ad Reginam Borussicæ.

(7) Defens. Relig. P. 1. c. 24.

(8) In Bibliot. Choisie to. 26. P. 2.

homines. Horum sanè absurdæ opiniones in illa fundantur lockiana propositione, *non repugnare omnino materiæ extense, & organizatæ capacitatem cogitandi.*

Sed contra hos omnes illud admitti debet ex lumine naturæ, nimirum: *Animam nostram esse Principium omnino a corpore distinctum.* In hanc propositionem ipsemet Bayle (1) descendit, suaque proponit argumenta, atque hoc in primis, quod vocat invincibile: *quicumque*, ait, *animam ponit a corpore non distinctam, eamque esse vim in omnibus corporibus vivis æqualiter diffusam, nec esse nisi unum, idemque cum corporibus, quæ viventia dicimus: aut ipse se non intelligit, aut is defendat etiam, oportet, eam virtutem nullo unquam tempore a corpore separari.* Siquidem quod a corpore distinctum non est, est corpus essentialiter ipsum: ac juxta principium contradictionis, idem nequit esse non idem cum sua essentia. Responsum præoccupat, quòd hominis vita sit modus quidam corporis, qui cessare potest, amissis organis machinæ viventis, quin corporis materia cesset; hoc autem inane responsum spectrum appellat, reponitque: *Hæc doctrina absurda est: Nam omnes modi, quorum notitiam habemus aliquam, ejus sunt naturæ, ut non, nisi alio accedente modo ejusdem generis, pereant: Sic nulla figurâ, nullus color &c. perit, nisi aliâ adveniente figurâ, vel colore. . . & quemadmodum in natura repugnat conversio rei alicujus positivæ in nihilum, ita repugnat conversio unius modi, sive unius loci, quin adsit alius. Ergo repugnat conversio a sensu ad privationem omnis sensûs: esset enim conversio a re positiva ad nihilum. . . Jam sicuti fieri nequit, ut corpus existat sine ulla figurâ, aut sine loco: ita impossibile esse debet, ut corpus existat sine ullo sensu, aut vita.*

Verùm contra hoc Baylii argumentum urgeri potest exemplum motûs, & quietis: motus siquidem actio est po-

T 2

sitiva,

(1) Loc. cit.

stiva, quies verò est mera privatio motus: observamus autem, corpora a motu ad quietem transire. Baylius in ea est sententia, ut putet, quietem esse etiam quid positivum, quæ planè sententia licèt a Philosophis plerisque improbetur (1), & proinde ad materialistas convincendos sit insufficiens, immeritò tamen ab Antonio Genuensi (2) appellatur *ineptum prolatum ex Philosophia*.

Ipsemet Lucretius (3) expositam ab ipso Veterum opinionem, de Mente, seu Animo, quem illi corporis harmoniam dicebant, a corpore ipso minimè distincto, sic refutat:

*Magnopere in quo mi diversi errare videntur.
Sapè utique in promptu corpus, quod cernitur, ægret:
Cum tamen ex alia latamur parte latenti.
Et retrò sit, uti contrà sit sapè vicissim,
Cum miser ex animo, latetur corpore toto.
Non alio pacto, quàm si pes cum dolet ægri,
In nullo caput interea sit fortè dolore.
Præterea molli cum somno dedita membra,
Effusumque jacet sine sensu corpus onustum.
Est aliud tamen in nobis, quod tempore in illo
Multimodis agitur, & omnes accipit in se
Licitia motus, & curus cordis inanis.*

Ex eo, quod experienciã constat, animum ægrotare aliquando, etsi corpus mediis sit in deliciis, infert Lucretius, Animi a corpore distinctionem: sicuti pedis a capite distinctio infertur optimè ex eo, quòd pes doleat aliquando, quin doleat caput.

Pari ratione, imò & validiore, distinctio Animæ a corpore deduci potest ex diversis Animæ nostræ actionibus, quæ

(1) Apud Muffch. elem. Phys. §. 107.

(2) In p. 2. Metaph. c. 1. pr. 9.

(3) L. 3. a v. 107.

quæ cum corpore componi haudquaquam possunt. Vis illa activa, & vis electiva Animæ, quæ, manentibus iisdem quandoque externis impressionibus, non semper ad unum est directæ, & determinata, sed indifferenter mutatur, & ad diversa dirigitur: rursus vis illa percipiendî, & quæ simul est conscia se percipere, judicandi, & conferendi simul plures ideas objectorum; ratiocinandi, & simul idearum connexionem inter se advertendi; ac tandem liberè agendi: sunt actus Animæ nostræ, qui externis impressionibus objectorum tribui nequeunt; quæ certè uniformem semper, & simplicem, & necessarium motum debent producere: ut lumine ipso naturæ patet. Cùm ergo omnimodâ certitudine nobis constet, Animam nostram actus illos procreare: sequitur evidenter, eam esse quid omnino a corpore ipso nostro distinctum. Ex diversa enim operandi ratione diversum inferri necesse est omnino principium.

Optimum nobis profert argumentum Augustinus ad verum hoc confirmandum (1), ubi corpus ab Anima distinguit ex eo, quod corporis sensus possunt nos aliquando in errorem inducere: unde necessariò distingui hæc duo debent, nimirum motus in organo corporis referens falsam illam imaginem, & assensus, vel dissensus in Anima, positâ illa representatione. Subdit idcirco: *Confitendum est, non eum falli, qui falsa videt, sed eum, qui assentitur falsis. . . Non autem fallitur, qui falsis non assentitur.* Infert inde statim: *Quare conficitur, ut aliud simus nos, aliud sensus: siquidem cùm ipse fallitur, possumus nos non falli.* Quod sanè fieri minimè posset, si nihil esset aliud hominis mens, nisi cerebri motus, & agitatio: etenim eo durante motu, non posset error adverti; saltem deberet prior motus *deficere*, ut fiat secundus illi oppositus. At in hoc casu quam vi posset alter motus priorem jam transactum percipere? & rursus unum cum altero conferre: si uterque motus

(1) Solil. L. 2. c. 18.

tus est? Egregiè igitur epiphonemate illo rem collegit Augustinus: *Quare conficitur, ut aliud simus nos, aliud sensus: siquidem cum ipse fallitur, possumus nos non falli.*

IV. Nonnulla a Materialistis obiiciuntur: quæ præsius contra Animæ nostræ *spiritualitatem*, seu *omnimodam immaterialitatem* faciunt. Est autem Juris Naturæ etiam officium, Animam nostram *spiritum* reputare. Ubi nomine *Spiritus* rem intelligimus *omnis materiae expertem*. Hoc dixi, ut ab illarum assertionem nos distare profiteamur, qui nomine *Spiritus* donarunt substantias quasdam corporeas, quæ propter nimiam partium tenuitatem sensus nostros efugiunt: ut esset *Ignis quidam elementaris, & aer purissimus*. Profectò veteres ipsi sapientiores Philosophi veram *Spiritus* notionem habuisse, probat satis eruditè Em. Card. Gerdil (1); rei nempe *a materia omnino distinctæ*. Idcirco subdit, duo apud illos valdè differre, *Ideam Animi*, ac *Ideam Animæ*. *Animo* tribuebant *cogitare, reflectere, velle*. *Animam* verò vocabant, quos spiritus animales nostri dicunt. Quare *Animum* existimabant prorsus *immaterialem*: *Animam* verò esse substantiam quamdam ætheream, ajebant. In hac sententia, autumat clarissimus Auctor, fuisse Anaxagoram, Pherecydem Syrum, & plerosque e Jonica Secta Philosophos. Apud Recentiores eodem appellamus vocabulo *Animæ*, atque *Animi*, id, cujus est vis cogitare, reflectere, velle, & corpus animare.

Pro *Animæ nostræ spiritualitate* stant in præsentem communiter Philosophi omnes, ac Juris naturalis Scriptores: & quamvis in Anglia potissimum visa sit *Materialistarum* turba inolescere, *opportuna satis morum licentiæ secta*: ibidem tamen ex adverso alii steterunt, libris editis errorem dictum confutantes. Illum commemoro Auctore Baxter, cui titulus: *Inquisitiones de natura Animæ* (2), ubi ex re-
ctæ

(1) Introd. ad Stud. Relig. l. 2.

(2) Edit. Londini an. 1737.

Etæ rationis principiis , & perpenſis materiæ ipſius proprietatibus , evincitur , *Animam noſtram non eſſe materialem* .

Hic autem non eſt diſſimulandum , quòd ſapientioribus Viris viſum eſt , errorem hunc ab illa Lockii opinione , uti diximus , vires hauſiſſe , *de materia nempe cogitante* ; ut ſcilicet non appareat ex ſolo naturalis rationis lumine repugnantia , cur Deus non poſſit materiam quamdam conſtruere , cogitandi , & percipiendi capacem . Ex qua propoſitione videtur prono velut alveo fluere , non eſſe nos , quantum eſt ex lumine naturali , abſolutè certos de Animæ noſtræ *ſpiritualitate* : unde nec eſſe certos de Animæ noſtræ *immortalitate* , ut dicemus . Hæc Lockius (1) . Respondens deinde Lockius objectis Stillingfleet , Prælati Eccleſiæ Anglicanæ , quòd nimirum tali pacto confunderentur Idæ materiæ , & Idæ ſpiritùs : & ruruſus , quòd nihil concipi poſſet in materia , quod intimo ſenſui , quem habemus de noſtris Animæ operationibus , aliquo modo reſpondeat : ac tandem quòd ex tali opinione argumenta omnia corruerent , ad probandam Animæ immortalitatem ; omnia ſiquidem in Animæ natura , & proprietatibus inniuntur : Respondens , inquam , his objectionibus , tres proferit pro ſua ſententia rationes : i. ducitur ex quadam Religionis ſpecie erga Deum , ejuſque potentiam , cui limites deſiniri , abſurdum eſt . ii. ex tot Artiſtium machinis , & quidem ſub imbecilli mente , ac manu . iii. ex cognitionibus Brutorum , quorum Anima non niſi materia eſt .

Voltaireius deinde , cujuſ ſtudium eſt , exoticas opiniones , ac periculoſas propugnare (2) , affirmat , Newtonum ſolitum aſſerere , non habere nos ſufficientem de materia notionem , neque naturæ vires omnes eſſe nobis omnino perſpectas : quare temerè proferri , Deum non poſſe efficere materiam quamdam extenſam cum vi cogitandi ; unde ſequitur , facultatem cogitandi non eſſe unicè propriam

(1) L. Eſſai l. 4. c. 3. §. 6.

(2) In Metaph. Newt. c. 6.

priam spiritui, eique essentialem. Hæc de Newtono Voltairius, qui hanc opinionem conatur modis omnibus tueri, ut videre licet apud Kahle (1), & Bentely (2). Verùm, quòd ad Newtonum attinet, eruditi Lipsienses nolunt Voltairii testimonio fidere: non enim adeo veritatis studiosus est. Sed ubi judicium ferunt de hujus Auctoris opere inscripto: *Comparatio Leibnitziana, & Newtoniana Metaphysices &c.* (3) ajunt: *Cupiditate flagramus videndi testimonia, ac ipsa verba Newtoni, viri sanè magni, quibus hoc compendium, Metaphysicam, ejusque propositiones reddi possunt Newtono. Ea enim antequam proferantur, Metaphysicam hùc nobis suppeditatam non tam Newtoni, quàm Voltairii ipsius existimabimus constanter.* Pari modo dici posset de asserto circa materiam cogitantem, quod Newtono tribuit Voltairius.

Sed ad declinandam erroris illius invidiam contra Animæ *Spiritualitatem*, ajebat Lockius, habere nos certitudinem ejus rei ex *Fide divina*. Si quis tamen librum totum Lockii evolvat *de Intellectu humano*, & penitus inspiciat, quid ipse *rationi naturali*, quid vero *Fidei* tribuat: is dignoscet, primas, & potiores partes ab ipso tribui *rationi naturali*, posteriores, & debiliores vero *Fidei*. Quin & Revelationem ipsam ad rationis naturalis trutinam revocet, ut inde ejus veritas detegatur. Sic (4) ubi ex professo de *Fide* agit, traditque limites *Fidei*, & *rationis naturalis*; ait expressè: *certitudinem, quam habemus, quòd hæc historia (puta de Diluvio universali) sit revelata, est semper minor certitudine, quæ habetur a sensibus.* Inde ergo deduci potest: negatà Animæ nostræ *Spiritualitate*, quantum est ex capite *rationis naturalis*; omne argumentum, pro ea adstruenda, ex *Fide* depromptum etiam concuti; dum jubet, ad *rationem naturalem* confugiendum esse,

pro

(1) In Exam. c. 6.

(3) Ad an. 1743.

(2) De Stultitia Atheismi.

(4) L. 4. c. 18.

pro afferenda veritate revelationis ipsius . Quare non sine prudenti iudicio factum est , ut Lockius ipse Materialistarum sectæ vel auctor , vel fautor audierit apud plerosque non infimi subsellii Auctores cum recentiores , tum ipsi Lockio æquales .

Facilis autem erit ad rationes Lockii responsio , si ; prout ostendetur , repugnans erit Materiæ ex essentia sua cogitandi facultas : quo posito , constabit ex principio contradictionis , fieri omnino non posse per divinam Omnipotentiam , & quidem citra omne absurdum , Materiam quamdam cogitantem . Exempli Artificum rem omnino possibilem ponunt , quæ in hac hypothese non est Materia cogitans . Tandem quicumque Brutorum animas materiam dicunt , uti Cartesius cum suis , ii veram illis cogitandi vim inesse , negant : Qui verò putant , *Bruta cogitare* , principium aliquod adstruunt , quod nonnihil a Spiritu participet , & nonnihil a Materia ; a Spiritu quidem , quòd vim habeat cognoscendi ; a Materia , quòd omnino a corpore dependeat : uno verbo id rei fit , quod habeat suam particularem essentiam cum suis proprietatibus . Unde nihil exinde Lockius conficiet .

Plura ab Auctoribus proferuntur , imò & coacervantur argumenta ad intrinsecam Animæ *Spiritualitatem* comprobendam , satis verò esset operosum , omnia per censere . Equidem in mea Psychologia complura ex iis protuli , quæ sanè ex Materiæ ipsius proprietatibus eruuntur , & cum cogitationis ipsius essentia omnino repugnant . Antonius Genuens (1) conatur evincere , consideratis proprietatibus corporis , nimirum *soliditate* , *divisibilitate* , & *inertia* , cogitationem , & ratiocinationem pugnare cum prædictis certissimis materiæ attributis . Facile est , ipsum consulere , si lubet . Gravesande (2) ex mera *extensione* , quæ essentialis materiæ est , infert , non posse aliquid extensum

Tom. II.

V

tensum

(1) In sua *Metaphysica*

(2) In *Introduct.* ad *Phil.*

tensum cogitare . Tourneminius (1) ex eo , quod materia *divisibilis* sit , & quidem ex suamet essentia , deducit , non posse cogitare , nec judicare de objecto . Objectum enim , (ut de eo possit judicari) debet concipi *integrum indivisibiliter* , ut est evidens . Jam a subjecto divisibili , & partibus composito nequit hoc fieri : siquidem una pars recipit , & una hæc pariter pars concipit : una pars unam partem ferit , & in una parte imprimitur : pars A in parte A ; pars B in parte B : nulla pars subjecti totum objectum recipit . Ergo nulla pars potest totum objectum concipere . At id , quod *judicat* de objecto , debet totum objectum *percipere* . Ergo illud recipit *indivisibiliter integrum* . Ergo id , quod cogitat , esse debet indivisibile , ac perfectè unum . Si autem esset materia , esset simul *una* , & *multiplex* ; *divisibilis* , atque *indivisibilis* : cùmque hoc repugnet ex principio contradictionis , quemadmodum repugnat *habere partes* , & *non habere* , & *judicare de eo* , quod *non percipit* , seu *judicare de eo* , de quo nequit *judicare* : idcirco sequitur , *impossibile esse* , Deum efficere simul *veram materiam verè cogitantem* .

Equidem Animam nostram esse omnino Spiritum , & materiæ expertem , ex ejusdem Animæ *libertate* in actibus suis demonstro . Etenim , si Anima esset materia , utcumque organizata , deberet ab objectis externis ad agendum determinari . Atqui experimur , non easdem semper fieri a nobis , & in nobis actiones , quamvis eadem redeant multoties objecta : Nam quæ pro uno tempore in nobis , ex libertate operantibus , ideam gaudii excitabant , deinde ideam tristitiæ , ac doloris excitant : licet nec objecta fuerint diversa , & eorum vis eadem perseveret , & æqualis sit a nostris organis distantia ; & organa eandem ferè vim obtineant : sed tantùm ex diverso *judicio* , quod Anima post plurium idearum combinationem ex voluntatis imperio

(1) In Dissert. contra materiam cogitantem apud Trevolt. ad An. 1735.

rio efformat ; relatè nimirum ad diversas alias cognitiones , quibus *liberè* se accommodat . Etenim iudicium hoc diversum in Anima non ab objecto oriri potest : quinimò supponit multiplicem idearum combinationem , & diversarum inter se , quam Anima volens , ac lubens unico momento efficit , & ad diversas modificationes disponitur . Quod certè in mero machinæ materialis motu impossibile est . Tunc enim in hisce actibus ab objectorum impressionibus , quemadmodum materia , determinaretur : & eo ipso ab iisdem objectis sequi semper deberent eadem impressiones , ab iisdem impressionibus idem motus : ergo eadem Animæ operatio : quod esse falsum , Anima ipsa nostra experitur .

Atque hic loquimur de ea *libertate* agendi , quam in rebus etiam indifferentibus experimur omnes : quamque putatam solummodo in nobis esse , opinatus est Spinoza . Hæc autem nec dari posset , si ab externis objectis , quemadmodum lapis , determinaretur eodem semper modo Anima . Egregiè rem hanc versibus complexus est in suo Antilucratio doctissimus Polignac (1) .

. *Ast homini nota est sua cuique potestas ,
Aut nihil , aut aliquid , sive hoc , sive illud agendi .
Ecquis enim quoties secum deliberat anceps ,
Quid faciat ; vel consilium solertis Amici
Flagitat , ac tandem quid sit factururus , apud se
Decernit ; quis dum rogat , aut hortatur , & urget ,
Dum laudat benè gesta Virum , malè gesta severus
Arguit , ac meliora jubet , dum præmia ponit ,
Et pœnas meritis ; si quid peccaverit ipse ,
Excusare palam , ne qua sons audiat , & clam
Emendare parat , quia facti cura remordet .
Neglective pudor ; dum cuncta negotia curat ,*

V 2

Fun-

(1) L. 5. a v. 1168.

*Fungitur officiis, morum sibi iusta, suisque
Dogmata constituit: quis demum talia præstans
Non libertatem sæ præsentire, fruique
Jure sui arbitrii, non externâ domitum vi
Testatur, verèque probat? Nec publicus error
In genere hoc hominum esse potest consensus, & una
Cunctorum vitæ ratio: sed conscia veri
Lux, & naturæ radius. Quippe omnia frustra
Hæc, atque insulsè fierent, si compede durâ
Vinctus homo, ac præceps ageretur: ut acta moveri
Materies, quâ parte impulsa est, cogitur omnis.*

Quare nonnisi ineptissimè contra nos regeretur, ignorare nos proprietates omnes materiæ, quemadmodum verisipellis Voltairius Newtoni nomine obiiciebat; ac propterea non posse affirmare, cogitationem essentialiter illi repugnare: nam ad demonstrandum, puta, triangulum non esse circulum, aut quadratum; non est necesse, utriusque figuræ proprietates omnes nôsse: satis erit scire, dari in triangulo essentialem unam proprietatem, puta: *tres angulos æquales esse duobus rectis*; quæ cum circulo, aut quadrato, minimè potest coherere; & rursus dari in hac figura aliam, quæ triangulo essentialiter repugnat.

Quid autem dici potest Epicuro asserenti, *Animam* simul, & *Animum* esse Corpus ex eo, quòd secus nec agere quidquam posset, nec pati quidquam? Constat autem, non Animam tantum, sed & Mentem quoque perfici sensim, atque debilitari; cum & aliunde non solum compatiatur morbis, doloribusque corporis; verum laboret etiam propriis, & medicinam quoque iis curandis admittat: quod fieri profectò non potest, quin accedat, abscedat, transponatur quidpiam in ejus textura: nam & admonere, quid illi per ebrietatem, epilepsiam, delirium contingat

tingat , nihil necesse est . Hactenus Epicurus apud Stan-
lejum (1) .

V. Hæc verò difficultas , quam plurimi facit Epi-
curus , ut idcirco quid corporeum velit esse Animam ,
& Animum hominis ; ad illam , quam nostri Philosophi
rationales agunt , controversiam reducit , *De commercio
Animæ, & Corporis mutuo* . Atque hi quidem Philosophi ,
quamvis in modo explicandi dissentiant , cohærent tamen
in eo , quod Anima sit spiritus , licet ex corpore , quicum
unitur , aliquid patiatur . Juvat aliquid hac super re ex Phi-
losophia rationali depromere .

Profecò *Malebranchius* ex Cartesio putavit , a Deo
produci quoscumque Corporis motus , Creaturas verò esse
tantummodo causas occasionales respectu motuum in cor-
pore : & vice versa Corpus esse causam occasionalem mo-
tuum , seu perceptionum , quæ sint necessariæ in Anima .
Deum verò & has in Anima , & motus illos in Corpore
revera producere . *Leibnitzius* , harmoniam quamdam esse ,
dixit , inter Corpus , & Animam , ita nimirum , ut utrum-
que hoc sit principium activum suorum actuum ; sed fuisse
a Deo tanta cum perfectione , & exactitudine utrumque
formatum , ut alterum altero conspiret , suas interea leges
tantum observando ; perinde ac duo horologia accuratissi-
ma perpetuò conveniunt sine ulteriori interventu Artificis .
Alii opinantur , dari revera physicum quemdam influxum
Animæ in Corpus , & Corporis in Animam : de modo ta-
men explicandi non valdè laborant . Ratio in eo fundatur
potissimum , quod ubi de Animæ ipsius operationibus agi-
tur , ab ipsius intimo sensu , & bonâ conscientia non est
sine manifesto absurdo recedendum . Intimus autem Animæ
sensus dicat , motus Corporis a se produci , & vicissim
a Corpore , impressionibus objectorum immutato , ad actus
quosdam suos Animam determinari . Neque illud obstat ,
quòd

(1) Tom. 3. c. 22.

quod Anima , si spiritus est , nequeat Corpus movere ; quemadmodum Corpus nequeat in Animam , utpote spiritum agere . Etenim licet natura inferior Corporis , (quæ uno tantum modo agit nempe per impulsum) nequeat agere in spiritum superioris naturæ : non sequitur , Animam spiritum , quæ agere potest *cogitando* , *volendo* , nec posse agere in Corpus . Patet in Deo agente in corpora , licet sit spiritus . Non ergo aut *Malebranchianum* , aut *Leibnitzianum* systema erit audiendum .

Sed est præterea utrique huic systemati opponendum , non explicari *Unionem veram* Animæ , & Corporis , quam præsupponit commercium illud : & parte ex alia ab *Influxionistis* modus aliquis desideraretur explicandi hanc etiam *Unionem* , ex qua influxus ille mutuus pendet . Jam eruditissimus *Tourneminius* egregie rem præstat tali pacto . Ponit i. Corpora omnia differre inter se ex diversa organizatione , capaci diversarum immutationum ex objectis circumstantibus . ii. dari in quolibet corpore certam quamdam partium dispositionem , quæ ad Animæ operationes sit aptior præ alia . iii. Animam creatam a Deo cum tali vi , qua possit continere partes corporis illius , cui a Deo destinatur : hanc idcirco vim esse corpori suo proportionatam ; & inesse Animæ naturaliter : quare ratione hujus vis una Anima differt ab alia , sicuti ratione organorum Corpus unum ab alio differt . iv. Ex hac vi naturali Animam agere in corpus suum , ejus partes continendo in statu magis favorabili humanis functionibus ; atque ad hanc actionem in Corpus esse Animam naturam suam determinatam , independentem omnino a suamet cognitione , ac libertate , agendo nimirum immediate in spiritus animales , & horum ope in reliquis corporis partes . v. Animam habere aliam vim agendi scilicet in corpus dependentem a suamet libertate , & voluntate : quæ vis respicit motus liberos , & a voluntate imperatos . Idcirco in his actionibus

bus potest liberè Anima diversos fines habere , imò & contrarios conservationi corporis , quem finem respicit actio prima naturalis , & non libera Animæ . vi. tandem in *illa determinata , necessaria , apta ad continendos spiritus animales in debito statu , Unionem* consistere : ita nimirum ut *aptitudo , & proportio* hujus vis ad hoc corpus dici debeat *Unio possibilis* Animæ hujus cum hoc corpore : *Applicatio* hujus vis ad hoc corpus agendo in illud , sit *unio actualis* Animæ ad corpus .

Sanè intimus cujusque hominis sensus , cui refragari minimè licet , dari suadet utramque prædictam in Anima vim . Ad explicandum deinde sensationes sic ratiocinatur . Anima ex dicta Unione agit in corpus , ut illud contineat in statu aptiore : actio hujusmodi est tum Animæ , tum corpori necessaria ; *Corpori* quidem , ut sit corpus humanum ; *Animæ* verò , quæ naturà suà ad illam determinatur , Est rursus *universalis* pro qualibet corporis parte , ubi spiritus animales fluunt , Est denique *continuu* , dum homo vivit : Mors enim est finis hujus actionis . Cessat siquidem Anima ab hac actione , quando vel destructis , vel corruptis aliunde organis , producentibus spiritus animales , vel meatibus , per quos dicti spiritus excurrunt ; cursus impeditur , vel interrumpitur hujusmodi spirituum . Ad rem explicandam utitur exemplo *Elaterii* , quod Machinæ alicui rotis affabrè elaboratæ aptetur . Applicatio elaterii determinati , necessarii ad motum determinatæ machinæ representat unionem physicam , essentialem , intimam hujus Animæ cum hoc corpore : tria idcirco requiruntur necessariò , nempe *presentiam , intimam aptitudinem , & actionem* in machinam : quibus habitis , habetur unio Elaterii ad machinam . Pari modo dicas de unione Animæ ad corpus . Ex casu aliquo fieri potest , ut integro manente elaterio , rota aliqua horologii abrumpatur ; cui elaterion immediatè aptatur : cessat illico actio ejus in horologio .
Idem de Anima . Non-

Nonnullæ sensationes *dolorificæ* sunt, nonnullæ *voluptuosæ*: Illæ quidem ex impressionibus externis objectorum oriuntur, quoties Animæ actionem impediunt, vel turbant; qua retinetur corpus in perfectiore statu partium suarum. Anima proinde actionem suam prædictam vel impeditam, vel turbatam exercitè sentiens, molestam sensationem experitur: quæ crescit, vel minuitur in ratione difficultatis, vel impedimenti. Aliæ contrà concurrunt ad retinendum corpus in statu perfectiore partium ejus, & Animæ actionem vel maximè adjuvant. Atque hæc experimentalis notitia de facilitate suæ actionis est sensatio voluptatis, quæ eadē ratione augetur, vel minuitur. Posset hic *Tourneminius* Augustini auctoritatem proferre (1): *Cùm afflictiones corporis molestè sentit (Anima); actionem suam, qua illi regendo adest, turbato ejus temperamento, impediri offenditur; & hæc offensio dolor vocatur.*

Nec tantum diversæ corporis dispositiones diversam reddunt actionem Animæ in corpus: verum etiam diversæ dispositiones Animæ diversam reddunt actionem Animæ ipsius in corpus. Quare affectus naturales, & prævenientes Animæ cognitionem, oriuntur aliquando ex prava corporis dispositione, puta ex defectu, vel excessu spirituum animalium, ut in languore, aut in ebrietate: unde affectus ille fit in Anima, qui dicitur *πάθος*: & vicissim Anima ex aliqua cognitione, vel libera volitione puta ex ira, desiderio, & similibus non agit eadem tranquillitate in corpus: unde actio ipsa participat de ejus alteratione, & cum deberet corpus in perfecto statu continere, ipsamet ad ejus alterationem concurrat; ac tanto plus alterat, quanto corpus est magis capax motus illius orti ex alteratione Animæ. Hinc benè intelligitur commune illud effatum: *Sedem affectuum esse Cor*. Siquidem ex affectu perturba-

to,

(1) Ex l. 7. super Gen. ad litt. c. 13.

to corpus etiam perturbatur ; & quoniam in cor fit ap-
 pulsus major sanguinis, motus idcirco inibi fit major.

Quidquid ergo Anima cognoscit, in seipsa cognoscit :
 Objecta cognoscit non per species corporeas, quæ e cor-
 poribus transeant in Animam ; & ejusdem naturæ fiant,
 ac Anima : cum sine ulla ratione hujusmodi naturarum
 immutatio concipiatur ; neque cognoscit in ipsis objectis :
 nihil enim Anima agit in aliena objecta ; nisi per suum
 corpus ; neque corpus cognoscit in ipso, sed in seipsa .
 Ergo tantum seipsam cognoscit, & quodcunque aliud extra
 se cognoscit, per impressionem in corpus suum, seu in
 spiritus animales sui corporis factam cognoscit ; quatenus
 experitur, actionem suam in corpus suum vel adjuvari,
 vel impediri ex dispositione corporis, & ex diversis im-
 pressionibus, quæ fiunt in corpore ex objectis circumstanti-
 bus. Cognoscit autem facilitatem, vel difficultatem actio-
 nis suæ ex vi, quam in agendo impendit, vel majore,
 vel minore. Hæc *Tourneminius* (1).

At quorsum hæc tam fusè disputantur? Non quidem
 ut alicui ex traditis opinionibus hoc in loco obfirmatè
 adhæream : sed ut epicuræ difficultatis inanitas ex bonæ
 Philosophiæ principiis dignoscatur. In epilepsia, in deli-
 rio, in æstu febris, & similibus experitur Anima difficil-
 limè procedere actionem suam, nec respondere motus vi
 suæ consuetæ. Exemplo esse potest musicum instrumen-
 tum: quod quidem si chordis harmonicè dispositis probè in-
 structum sit ; ipsique perita Organici alicujus manus accedat,
 gratissimum edet sonum. Si verò prædictum instrumentum
 vel aliqua ex parte abruptum sit, vel chordas habeat *ã'rovax*,
 vel nimium tensas : utcunque peritissima Cytharèdi pulsantis
 sit manus, nonnisi ingratum, & insuavem sonum reddet.
 Utrumque ad musicam harmoniam requiritur, & instru-
 mentum benè compactum, & manus benè perita ; quin-

Tom. II.

X

inde

(1) In Mem. Trevolt. Mensè Majo ad an. 1702. art. 107. seq.

inde ullo modo inferri possit, vel artem musicam in instrumento musico consistere, vel unum, idemque esse Instrumentum, & Cytharedum.

In senectute sentimus difficultatem agendi, quam in viridi juventute non experiebamur; & Voltairius in quodam suo carmine multus est in describendo imbecillitatem suam cogitandi propter senium videlicet: nihil autem hac in re nisi organorum infirmitas dignoscitur; quæ tamen non semper observatur, ajente Seneca (1): *Senectus, lassæ ætatis, non fractæ nomen est. Inter decrepitos me numera, & extrema tangentes. Gratias tamen mihi apud te ago: non sentio in animo ætatis injuriam, cum sentiam in corpore. Viget animus.* Anima ex infirmitate organorum difficultatem actionis suæ experitur; non quod ipsa senio conficiatur, cum vivida semper sit. Voltairius verò ex proposito senectutis, & magis affectatâ ægritudine majores in carmine illo pereleganti, & vivo laudes aucupari cupit.

Est autem & hic alius commemorandus, qui christiano gaudens nomine epicureismum modis omnibus promovit. *Helvetius* is, est in damnato illo opusculo *De Spiritu*: ubi quatuor dissertationibus Materialismi patrocinium audacissimè suscipit. Exactissimam operis totius analysim hic exhibere non gravabor, ubi sapientis Lectoris judicio definendum relinquo, an Christiani nominis titulo cohonestari mereatur impurissimi hujus libelli Auctor, qui sanè vel ab ipsis ethnicis, morum philosophis, sapientioribus cum dedecore reiiceretur.

In prima autem dissertatione, ubi de *Causa productrice* idearum ratiocinatur, viam sibi ad impudentissimum materialismum sternit, quem sine ambagibus (2) profitetur, ubi statuit: *facultatem judicandi non esse in nobis a facultate sentiendi distinctam.* Deinde in ipsomet capite excludit a Voluntate omnem omnino libertatem, aitque: *nul-*
lam

(1) Epist. 26.

(2) Cap. 4.

*tam haberi posse libertatis ideam voluntati humanae aptandam . Ex quibus concludit: judicare non esse aliud proprie quam sentire . Hoc utique strato pefficiōssimo fundamento, facile est dignoscere, quot inibi superstruat enormissima dogmata . Illud statim sese exhibet in secunda dissertatione, ubi de Virtutibus, ac de Vitiis agit, nempe: Virtutem solā utilitate esse metiendam . Reiiicit virtutem, quæ sit alicui particulari societati utilis, asserit enim, nec hujusmodi actus nomen virtutis mereri, illam verò esse, ac dici virtutem veram, quæ in actibus publico conducentibus constituta sit . Hanc esse virtutem veram, illam verò, quæ bono publico non sit utilis, utcumque rectis innitatur principiis, & ad particulare hominis ipsius operantis bonum conducat, virtutis nomen habere ex præjudiciis . Loqui autem de qualibet virtutum specie Helvetium, patet ex eo, quòd contra Moralistas vehementer invehitur, utpotè qui de virtutibus agentes, eas prout oporteret, ad bonum publicum non referant; eosque tanquam hypocritas traducit . Reiiicit idcirco quòdcunque *intrinsicam honestatis principium* . Concludit propterea generali quodam corollario: *Utilitatem esse unicam virtutis, ac probitatis mensuram, & consequenter dispensatricem existimationis, aut contemptus respectu actuum humanorum* . In tertia dissertatione gradum facit ad explicandos humanos affectus, quorum studiosam exhibet analysim . Quoniam verò supra statuerat, omnia ex physica sensibilitate originem trahere (quod materialismi caput est) : idcirco apertè asserit, *affectus omnes vel ex voluptatis desiderio, vel ex doloris metu oriri* . Ad hoc duplex principium conatur omnes omnino reducere humani cordis affectus . Deducit inde duo consectaria : alterum, *ex vehementioribus affectibus oriri præclara quæque facinora, & virtutes etiam illustriores*; alterum, *posse a Sapientibus Legislatores excitari in hominibus vehementiores illos affectus* : proponendo videlicet *Voluptatum motiva* .*

Pudet hic referre, quæ homo nimium effrois inve-
recundè satis profert hanc in rem ex cerebro sua conficta
exempla ad excitandos hominum affectus, unde ad egre-
gia, utilissimaque facinora perpetranda progrediantur.
Vitio vertit idcirco Legistorum, & vitio educationis, si
homines affectuum omnium ceteroqui capaces, & ad egre-
gios actus quoscunque etiam apti, videantur nihilominus
ad virtutes hujusmodi omnino indifferenter se habere: ex-
penditque legislationum vitia in diversis regiminum specie-
bus. Concludit generale corollarium: *Omnes homines com-
muniter bene organizatos habere in semetipsis physicam po-
tentiam erigendi se ad sublimiora consilia: diversitatem id-
circo spirituum, quem in hominibus advertimus, ex varie-
tate circumstantiarum, & educationis repeti debere.* Præ-
clare quidem helvetianis consiliis instrueretur Juventus ad
epicureorum gregem sordidissimum efformandum; eo vel
maximè, quod cum ipse judicet esse hominem virtute præ-
ditum, *non qui propter bonum publicum spernat volupta-
tes: quoniam homo hic omnino repugnat; sed illum, cujus
vehementior omnis affectus (quicumque is sit) ita bono pu-
blico cohereat, ut quodammodo ad virtutem necessitetur.*
Præclaram Helvetii mentem! Prioris generis homo, qui
communi Sapientum judicio dari utique potest, Helvetio
repugnat. Posterioris autem generis hominem admittit,
qui proculdubio commentitius est. Hoc autem positio cri-
terio, quàm præposterè de hominum actibus ratiocinari
oportet!

Expendamus tandem quartæ dissertationis nonnulla,
nec minus absõna. Apertè rejicit, quod hæctenus Sapien-
tis oraculo divino traditum novimus *de excipiendis in re-
dubia consiliis*; Sic enim legimus (1): *Fili, sine consilio
nihil facias, & post factum non penitebis.* Helvetius contrà
putat, perniciofa esse, atque inutilia consilia tum respectu
dan-

(1) Eccl. 32. 24.

dantis, tum etiam accipientis : Conatur idcirco suis quibusdam paralogismis ostendere, in exhibente consilium *vanitatem* esse, ac *superbiam*, in excipiente *omnimodam inutilitatem*. Subdit, unumquemque, prout ipsius est affectus, ita alteri consilium dare: unde origo infelicitatis in excipiente consilium. At verò ipse, qui aliena spernere jubet consilia, consilium hac in re ultrò exhibet, nempe: *Agat quisque juxta suorum affectuum impetum: sic agendo, parcat inutilibus viribus, quibus conetur sibi resistere: Utcunque enim vehemens est tempestas, si puppim vento obvertimus, facile undarum tumentium furius perrumpimus: haud ita, si undis, ac tempestati vim facere tentamus. Ita sanè Helvetius, nequicquam jubente Domino: Pro justitia agonizare pro Anima tua (1). Unum probat consilium, nempe ejusmodi, ut inde homines ita comparentur, ut a seipsis queant consilium petere. Hoc autem in homine affectibus præoccupato quò fieri possit, nemo certè, nec ipse Helvetius concipiet. Tandem, ut operi suo undequaque malè compacto dignam imponat coronidem, educationis præcepta exhibiturum se promittit. Ait nihilominus: *educationis normam, & methodum facilem esse dicto, sed opere & facto ipso difficilem satis: difficultatem repeti ex moribus actu vigentibus, & potissimum ex regiminis forma. Audiamus autem Præceptorem Helvetium, Juventutis erudiendæ novas tradentem tabulas: egregium sanè Custodem Ovium, ut ajunt, Lupum! En singulare, quod proponit optimæ institutionis problema, quo opus suum claudit; verbis ipsius Auctoris referam: Totum problema excellentis educationis hac reduci: i. ut determinentur pro quolibet statu, aut gradu illas objectorum, & consiliorum species, quibus Juvenum memoria ornari debeat. ii. ut determinentur media certiora ad excitandos in ipsis gloriæ, & bonæ estimationis affectus. Quo duplici problemate resoluta,**

plannum

(1) Eccl. 4. 33.

num fiet , egregios Viros , quos nunc cæca circumstantiarum combinatio producit , fieri ex prudenti Legislatorum factò ; & ubi minùs casui permitteretur , ibi Juventutis optima institutio posset in magnis imperiis in infinitum augere & ingenia , & virtutes .

Hic autem hujusmodi Orbis totius , nedum Juventutis Moderatorem occupare liceat pro solutione problematis : Habenda ne sit ratio iis , quæ toto in suo ipsius libro præmisit , documentis , an secus ? Si hoc postremum : En problematis resolutio : Juvenum memoriã a primãva ætate ornari oportet iis objectorum , & consiliorum speciebus , quæ officia respiciant erga Deum , erga seipsos , erga alios : quæ utique ad cujusque captum , statum , & conditionem aptari facili negotio possunt . Media autem ea certissimè sunt , quæ ad Legem naturalem etiam servandam quisque habet : Deum nôsse actuum omnium etiam interiorum inspectorem , & vindicem ; officiorum omnium exactorem , & justissimum præmiorum pro rectè factis , & poenarum pro iniquè gestis retributorem . Qui hæc a teneris didicit unguiculis , ubicunque se offerat occasio , sive domi , sive foris , muneri suo satisfacere studebit .

At si helvetiana spectemus præcepta , en problematis resolutio facillima . Agat quisque , prout ab externis objectis sentiat se commoveri : (siquidem *judicare* idem est ac *sentire* : & *nulla* est in voluntate *libertas*) : Nullis omnino pareat aliorum consiliis (inutilia enim sunt aliorum consilia , imò & noxia) . Hæc erit insinuanda a primis annis in hominum mentibus institutio . Media autem ea utique erunt , quæ hominum cupiditates excitant : neque enim arduum erit , ea excogitare , quæ naturam ad vitia quælibet proclivem urgeant . Homo autem hic helvetianis excultus principiis externam haberet hominis imaginem , sed brutorum more viveret , *querensque libidinibus suis patrocinium aliquod , ac velamentum , quod unum habere possit*

fit in malis bonum, perdet, peccandi verecundiam. Laudabit enim ea, quibus erubescere deberet, & vitio gloriabitur: ideoque ne resurgere quidem adolescentiæ liceret, cum honestus turpi desidiæ titulus accesserit. Sic Senecæ verbis juvat effrontem Helvetium confundere (1) . .

VI. Aliud etiam de Anima nostra non est prætereundum, quod nempe ad *ejus originem* spectat, & quidem quantum ex lumine ipso rationis colligi potest. Profectò & inter veteres Philosophos gravissima, & inter Recentiores nonnulla extitit controversia de *Animarum origine*. Apud S. Hieronymum habemus diversas hac super re Auditorum sententias (2): *Super Animæ statu meministi vestræ quæstiunculæ, imò maximæ ecclesiasticæ quæstionis, utrum lapsa de Cælo sit, ut Pythagoras Philosophus, omnes Platonici, & Origenes putant? An ex propria Dei substantia, ut Stoici, Manichæus, & hispana Priscilliani hæresis suspicatur? An in thesauro habeantur Dei olim conditæ, ut quidam Ecclesiastici stultâ persuasionem confidunt? An quotidie a Deo fiant, & immittantur in corpora? An certè ex traduce, ut Tertullianus, Apollinaris, & maxima pars Occidentalium censent? Hæ sunt quinque sententiarum classes de Animarum origine ex Hieronymo.*

Quòd Animæ ante Corporum formationem præextiterint, Plato primus asseruit (3) ubi post multa sic concludit: *Affectus ergo . . . Voluntates, cogitationes . . . longitudine temporum . . . prius fuerunt: sicut Anima corpore.* Eratque opinio hæc communis in Socratis schola, cujus hoc erat argumentum (4): *Cùm tam celeriter arripiant Animi ea, quæ ipsis explicantur, & memoriâ teneant, necesse est, insitas illis esse, & innatas rerum notiones. Ergo his notionibus in alia quadam vita fuerunt imbuti, antequam in hæc corpora descenderent: fuerunt ergo Animæ, antequam*

(1) De vit. beat. c. 12.

3) L. 10. de Leg.

(2) Tom. 4. Oper. pag. 642. edit.

(4) Ex Platone in Phædr.

quam unirentur corporibus (1). Vide Stanlejum (2). Idem opinatus est Cebetes. Sturmius (3) refert, Henricum Morum idem putasse, atque insuper Animas ante unionem cum nostris corporibus conjunctas fuisse cuidam materie etheræ, cui etiam unirentur a corporibus separatæ. Hujusmodi opinio teste Sandio (4) fuit apud Veteres universalis.

VII. Hic autem error alium trahebat errorem, nempe humanas mentes *de corpore in corpus* transire: quem transitum græco vocabulo *Metempsychosin* appellabant. Hanc non Græci tantum, sed & Ægyptii, & Caldæi, & Persæ, & Indi magnâ consensione tradiderunt; quin & teste Calmet (5), etiamnum omnes fermè Orientales populi pro vera habent. Legatur Deslandus (6), Spanhemius (7), Appianus, Bannier (8), Spizellus (9), Burnet (10). Subdunt nonnulli, Hebræos non dissimilia credere. Sic enim habetur (11) apud ipsos: *Res ipsa autem se habet, quod nempe omnes Mentis, & Spiritus, & Psychæ, nullâ exceptâ, comprehensæ fuerint in Adamo protoplasto, cum conderetur. In quam sententiam advertit Auctor Kabbalæ denudatæ (12). Sciendum, antiquo dogmate Habreorum, per Adamum protoplasten non intelligi Personam unam individuum, sed totum Animarum genus suis ordinibus, atque gradibus variè distinctum, & sub forma exercitus cujusdam ab Adamo seu*

Duce

- (1) Ex Bruchero to. 1. P. 2. l. 2. c. 2. §. 26.
- (2) P. 3. c. 5. Sect. 1.
- (3) In Enchyr. Met.
- (4) L. de Orig. Animæ.
- (5) Dict. bibl. art. Anima, Metempsychosin.
- (6) Hist. Crit. phil. to. 2. l. 3.
- (7) In Opere suo Cæsarum.
- (8) To. 2. l. 6. c. 13.
- (9) De re litter. Sinens. Sect. 13.
- (10) in Archæol. l. 1. c. 14.
- (11) In tr. de revolut. Anim. p. 1. c. 1. §. 11.
- (12) Ad §. 5.

*Duce sub Imperatore Messia , per signa membris humanis
assimulata gubernatum ; quod Corpus intelligitur , Apo-
stolo (1) , & alibi , ubicumque Christus ab ipso Caput no-
minatur .*

Sed Hebrei a pythagorico circulo Animarum ex me-
tempsychofi non abhorrebant . Pythagoræ doctrinam sic
exponit Ovidius , (2) ubi Pythagoram loquentem inducit ,

*Morte carent Animæ , semperque priore relicta
Sede , novis domibus vivunt , habitantque receptæ .
Ipse ego (nam nemini) trojani tempore belli
Pantboides Euphorbas eram , cui pectore quondam
Hæsit in adverso gravis hasta minoris Atridæ .
Cognovi clypeum lævæ gestamina nostræ
Nuper abanteis Templo Junonis in Argis .
Omnia mutantur , nihil interit . Errat , & illinc
Huc venit ; hinc illuc ; & quoslibet occupat artus .
Spiritus , eque feris humana in corpora transit ,
Inque feras noster , nec tempore deperit ullo .
Utque novis facilis signatur cera figuris ,
Nec manet , ut fuerat , nec formam servat eandem .
Sed tamen ipsa eadem est : Animam sic semper eandem
Esse ; sed in varias doceo migrare figuras .
Ergo , ne pietas sit victa cupidine ventris ,
Percite , (vaticinor) cognatas cæde nefanda
Exturbare animas , nec sanguine sanguis alatur .*

Hujusmodi verò pythagoricum circulum perficiebant
Animæ , ut putat Herodotus post 3000. annorum ; ut lo-
quitur Virgilius (3) post 1000. annos .

*Donec longa dies perfecto temporis orbe :
Concretam exemit labem , parumque reliquit .*

Tom. II.

Y

Æthe-

(1) Eph. 4. 13.

(2) In Metam. l. 15.

Lib. 6. Æn.

*Æthereum sensum , atque aurai simplicis ignem .
Has omnes , ubi mille rotam volvere per annos ,
Letæum ad fluvium Deus evocat agmine magno .*

Hebræi verò hoc ipsum aliquo modo expressum putant in verbis illis (1): *Hæc omnia operatur Deus tribus vicibus per singulos*: quæ verba ita explicant, Animam Adæ migrasse in corpus David, & tertio migraturam in corpus expectati Messiae, & sic perfecturam triplicem veluti circulum, *tribus vicibus per singulos*. Sanè ætate Christi Domini vigeat apud Hebræos hæc opinio, qui putârunt (2), Christum Dominum fuisse Joannem Baptistam, aut Hieremiam, aut Eliam, aut aliquem ex Prophetis: & Herodes (3) putavit, animam Joannis Baptistæ transiisse in Corpus Christi.

Hæ verò non opiniones, sed meræ fabulæ, si recto rationis lumine considerentur, appellari debent. Ecquis enim Animas hominum animadvertens principium verè spirituale, unumque exhibens cum humano Corpore compositum ad operationes intellectuales a Deo opifice institutum, debere naturâ ipsâ suâ corpus Equi subire, & sic naturale etiam compositum humano-equinum efficere? Nonne rerum naturæ perverterentur; & ideis, quas homines habent de rerum essentiis, contradictoriè opponeretur hoc Systema? Profectò si nulla est ad tam enormem opinionem inducendam ratio; si nihil nos ad hoc asserendum urget; si planè arbitrarium est figmentum, & poëticum veluti commentum dici potest; optimo jure illud obtinet: rationis lumini non satisfacere, atque adeo obversari; & idcirco ab animo nostro prorsus esse eliminandum. Egregiè deinde Pythagoram Lactantius irridebat (4): *O miram, & singularem Pythagoræ memoriam! O miseram oblivionem nostrum*

(1) Jobi 33. 29.

(3) Matth. 14. 2.

(2) Matth. 16. 11.

(4) Lib. 3. c. 18. div. Inst.

strum omnium , qui nesciamus , qui ante fuerimus ; sed fortasse vel errore aliquo , vel gratiâ sit effectum , ut ille solus letæum gurgitem non attigerit , & oblivionis aquam non gustaverit . Videlicet senex vanus (sicut otiosæ aniculæ solent) fabulas tanquam infantibus credulis finxit . Quod si benè sensisset de iis , quibus hæc loquutus est , si homines eos existimasset , nunquam sibi tam petulanter mentiendi licentiam vindicasset . Sed deridenda hominis levissimi vanitas .

Nec dispari modo Pythagoras a Tullio traducitur , (1) quòd putaverit , animas hominum propter crimina a Deo separatas , absoluto per varia Corporum ergastula circuitu , & sic purgatas in Deum , seu Animam mundi reversuros ; aitque : *Pythagoras , qui censuit (Deum) animum esse per naturam rerum omnem intentum , & commeantem , ex quo nostri animi caperentur : non vidit , distractione humanorum animorum discerni , & dilacerari Deum ; & cum miseri animi essent , quod plerisque contingeret , tum Dei partem esse miseram : quod fieri non potest . Cur autem quicquam ignoraret animus hominis , si esset Deus ? quomodo porro Deus iste , si nihil esset nisi animus , aut infixus , aut infusus esset in Mundo ?*

VIII. Sed de Veterum infania fatiis . Ad Recentiorum Philosophorum , & (quod magis dolendum est) Christianorum non deridendas minùs sub novitatum specie stultitias progrediamur . Bini sunt in scenam vocandi *Leibnitzius* , & *Wolfius* : uterque de Animarum præexistentia differit . Ille in sua Theodicea (2) post explicatam , & a se admittam sententiam *Involutorum* , quæ spectat ad Corpora humana , conclusa videlicet omnia in corpore , & ovario Evæ : gradum facit ad asserendum , idem dici posse de animabus ipsis : nimirum creâsse Deum sub initium una cum corporibus animas , & in illis corporum involutorum angustiis eas inclusisse ; quæ sanè cum ipsa Corporum explicatione expli-

Y 2

cen-

(1) Lib. 1. de Nat. Deor. c. xi.

(2) P. 1. n. 86. & p. 4. n. 397.

centur sensim , ac paulatim : nullo tamen pacto de novo creentur . Hæc Leibnitzius , cujus opinionem de involutorum corporum Systemate amplexus est *Vallisnerius* , non ita tamen de simultanea inclusione animarum spiritualium . Non est autem prætereundum , quòd revera Leibnitzius animæ præexistentiam respectu sui Corporis non admiserit , sed novam Animæ organico , perfectoque corpori infusionem negaverit .

Christianus *Wolffius* , (cui Leibnitziana omnia optimè olent , quamvis Eruditorum lipsiensium judicio *non habeat sententiarum Leibnitzii notitiam ab ipso sibi communicatam*) (1) ; fusiùs expolivit , & clarioribus absurdis exposuit Leibnitzianum Systema . Sic enim habet : *Animæ præexistunt in Corpusculis organicis præexistentibus , ex quibus fœtus in utero formatur* . Utque asserto huic dogmaticorum more pondus augeat , subdit , hanc esse *Theologorum communem , & sacræ Scripturæ conformem sententiam* . In quibus sanè Lutherani hujus Theologi verbis confidentiam nec , an audacem temeritatem demirer , nescio . Pergit deinde : *animus cum Corpusculis organicis , quæ fœtus rudimenta continent , in uterum Matris deferri , patet* . Egregiè dictum illud *patet* : quali videlicet ex involuta illa theorematum , propositionum , & corollariorum suorum serie in lucem edatur . Certus proinde sui Systematis plura ratiocinatur de hoc statu animæ (quem statum *præexistentiæ* nominat) : dari nimirum in anima perceptiones *confusas , & obscuras* ; & idcirco animam nec *rerum perceptarum , nec sui conscientiam* habere posse ; adeoque carere *apperceptionibus* ; nec habere *memoriam* ; carere insuper *quocunque Intellectus , & Rationis usu* ; donec sensim explicato fœtu progrediatur ordine successivo , ac naturali a statu perceptionum *confusarum* in statum perceptionum *distinctarum* .

Verùm , omissio Leibnitzio , cui locus erit in sequenti
differ-

(1) In Psychol. rat. sect. 4. c. 2. §. 704.

differtatione; Wolfio certè illud posset in primis reponi: *quantum est in rebus inane!* Auètor hic in sua Philofophia rationali totus est in jaètanda ubique *ratione sufficienti*, quam ex Leibnitzio suo mutuatus est. Quænam autem dari ratio sufficiens potest ad suadendum nobis Systema hoc, quod poëticum, & phantasticum dici optimè debet? Neque enim Wolfius ipse inficias ibit, opponi illud communi hominum sensui, a quo recedendum non est, nisi ex gravi aliqua ratione. Quod autem dicat audacissimè *communem esse sententiam Theologorum, & Scripturis conformem*, evidenter falsum esse, convincitur.

Audiat Augustinus (3) *de natura, & origine animarum*. Hic S. Doctor exponit primo loco Hieronymi sententiam: *Proinde ne longum faciamus, hoc certè sentis, quòd singulas animas singulis nascentibus etiam modò Deus faciat. Cui sententiæ ne objiciatur, quòd omnes Creaturas sexto die consummaverit Deus, & septimo die requieverit, adhibes testimonium ex Evangelio, Pater meus usque nunc operatur, & ego operor. Sic enim ad Marcellinum scripsisti: in qua epistola etiam mei commemorationem benevolentissimè facere dignatus es.* Deinde, quid ipse opinetur, exponit, & utrumque locum Scripturæ optimè conciliat: *Bene intelligitur ab iis creatis requievisse, quæ non erant, & creata sunt: idest cefsàsse, ne ultra, quæ non erant, crearentur. Sed nunc quod dicitur, animas non in nescio quo fonte jam existentes mittere, nec de seipso tanquam suas particulas irrorare, nec de illa una originaliter trahere, nec pro delictis ante carnem commissis carnis vinculis compedere, sed novus, singulas singulis, suam cuique nascenti, non aliquid facere dicitur; quod ante non fecerat. Jam enim sexto die fecerat hominem ad imaginem suam, quod utique secundum animam rationalem fecisse intelligitur. Hoc & nunc facit, non instituendo, quod non erat; sed multiplicando,*
quod

(3) Epist. 28. edit. Lovan. ad S. Hieronymum.

quod erat. Unde & illud verum est, quod a rebus, que non erant, instituendis requievit: & hoc verum est, quod non solum gubernando quæ fecit, verum etiam aliquid, non quod nondum, sed quod jam creaverat, numerosius creando usque nunc operetur.

Hæc utique dici debet sententia Theologorum communis, & sacræ Scripturæ conformis; ni velimus dicere, Wolfium intellexisse melius Scripturarum sententias præ Hieronymo, & Augustino.

IX. Pari rationum pondere illa excluditur inutilis opinio de *animarum præexistentia ante Corporis formationem*. Etenim si rationem naturalem consulamus; cum nullum habeamus argumentum, unde præexistentia hæc Animæ ante, & extra Corpus eruatur: dicendum est, *Animam extra Corpus non existisse unquam*. Accedit, unionem Animæ cum Corpore non esse omnino violentam, imò & oppositum nempe separationem Animæ a Corpore esse contra naturam ipsam, quod patet ex difficultate, quam experitur Anima pro statu separationis; & aliunde compositum hoc humanum esse deberet contra naturam, non secundum naturam: quod sanè dici nequit ex recto rationis lumine.

Neque hic sunt prætereundæ Patrum sententiæ, ut veritas magis confirmetur.

S. Hieronymus (1) hæc habet: *Si animæ est naturale, esse sine corpore: ergo contra naturam est, esse in corpore. Si contra naturam est, esse in corpore: Ergo resurrectio Corporis contra naturam erit. Sed non fiet resurrectio contra naturam. Ergo juxta sententiam vestram Corpus, quod contra naturam est, resurgens animam non habebit*. En quo argumento probat Hieronymus, resurrectionem mortuorum, & unionem Animarum cum corporibus non modò non esse contrariam naturæ humanæ, sed ad felicissimum hominis statum pertinere.

S. Au-

(1) Epist. 84.

S. Augustinus pluribus in locis hac de re agit. In libro de Genesi ad litteram (1) plures rationes profert ad excludendam hujusmodi præexistentiam animarum: illam potissimum, nempe, tali pacto dici debere, Animam transire a statu meliore Innocentiæ ad statum pejorem peccati, & miseriæ: quo quid irrationabilius? *Si enim, ait, jam facta erat Anima, & latebat: ubi ei posset esse melius, quàm ibi? Quid ergo fuit causæ, ut Anima innocenter vivens infereretur vitæ hujus carni, in qua peccando, ipsum, qui eam creavit, offenderet, unde eam meritò sequerentur laboris ærumna, damnationisque cruciatus?*

Et (2) alibi loquens de creatione Animæ Adami, quam creatam eodem modo, ac nostræ creantur Animæ, asserit (3) sic expressè: *Cùm virum, ait, formasset ex pulvere, eique Animam, qualem dixi, sive quam jam fecerat, sufflando indidisset: sive potius sufflando fecisset; eumque flatum, quem sufflando fecit.... Animam hominis esse, voluisset.*

S. Athanasius (4) de utroque hominis principio, Anima, & Corpore sic scribit: *Quoniam illic neutra pars antecedit alteram, nec ea priùs subsistit... cùm ambo simul initium existendi ab utero sumpserint, ac sic in vitam introducta, unum Animal constituerint.*

In eadem sententia sunt S. Gregorius Nyssenus (5) S. Joannes Damascenus (6) S. Leo (7) Et Gelasius Papa (8) sic definit: *Nec initialiter Anima ulibi possit existere, quàm in corpore, nec Corpus valet constare sine Anima.*

Quare dicendum esse, patet, Corpus eodem momen-

to

(1) Cap. 25.

(2) Lib. 12. de Civ. c. 23.

(3) In Epist. 28. edit. Lovan.

(4) Ap. Euthym. part. 2. tit. 15.

(5) De hom. opit. c. 28.

(6) De Fide l. 2. c. 12.

(7) Ep. 7. ad Turibium.

(8) L. adversus Eutychem, & Nestorium de duab. naturis.

to creatam, & infusam Animam excipere, quo ab artifice Natura idoneè perpolitum est, & elaboratum; Amba igitur partes extant simul, quin una alteri præcedat.


Ille etiam error excludendus est de Anima *per traducem* propagata; quem Antiquiores nonnulli tradiderunt, & ab Aliquo pariter recentiore est in Scenam productus. Primus erroris hujus auctor Tertullianus fertur, (1) qui viam sectæ Materialistarum aperuit, & ipse materialista, ut advertit S. Augustinus (2): *Nam & illi, qui animas ex una propagari asserunt, quam Deus primo homini dedit, atque ita eas ex Parentibus trahi dicunt, si Tertulliani opinionem sequuntur, profectò eas non Spiritus, sed Corpora esse contendunt, & corpulentis feminibus exoriri: quo perversius quid dici potest? Neque hoc Tertullianus somniâsse mirandum est, qui etiam ipsum Creatorem Deum, non esse nisi Corpus opinatur.* Sed de Tertulliani mente quod ad Deum spectat, diximus in *Dissert. I.*

Alii etiam traducuntur hujus erroris Patroni, atque ita, ut Libertus Fromondus (3) asseruerit: *Usque ad tempus S. Anselmi, hoc est, annum Christi MC. in Occidente durâsse videtur hæc de animarum traductione dubitatio.* Sed Sæc. XVII. Daniel Sennertus medicus Uratislaviensis, qui obiit Vittembergæ an. 1637. errorem hunc innovavit. Plura hic Auctor de Animarum origine scripsit, easque per traducem sic propagari affirmavit (4): *Et si verò Galenus causam, unde illa omnia fiant, se invenire posse desperavit, nihilque hac in re vel probabile reperire se potuisse, atque ideo magnâ tristitiâ affectum esse testatur* (5): tamen *si considerâset, istas operationes animæ cujuscunque speciei pro-*

- (1) Lib. de Anima c. 36.
- (2) Ep. 190. ed. Maur.
- (3) Phil. Christianæ l. 4. c. 3.
- (4) De Gener. Vivent. c. 1.
- (5) Lib. de fœt. form. c. 6.

proprias esse, non ita difficulter cognoscere potuisset, ab anima in semine latentes istas operationes provenire: Aliis etiam in locis id ipsum clariùs docet, referente Vallisnerio (1).

Verùm de his omnibus sic paucis definiri potest. Vel isti omnes Animam hominis *Materiam* esse putaverunt, vel esse *Spiritum*? Si primum: & ex supra traditis claram habent confutationem. Si secundum: & ex Wolfio ipso (2) pugnancia loquuntur. Sic enim habet: *Quod verò non defuerint, qui, cum essent hostes Materialistarum, & spiritualitatem Animæ defenderent, Traducianorum tamen castra secuti sunt; non alia de causa factum, quàm quoddam veritatum inter se nexum insuper habentes, sententias contradictorias elegerint: id quod in aliis celeberrimè accidit*



Z

DIS

(1) P. 2. c. 14.

(2) Lib. c. 9. 703.

DISSERTATIO VI.

De Anima humane immortalitate disputatur . Explicatur Vox hæc Immortalis ; & in quo sensu Deus solus sit immortalis . Animam nostram esse immortalem naturâ suâ , quid sit ? Pomponatii error exponitur . Argumenta ex lumine naturæ ad animæ immortalitatem probandam . De Animarum differentia inter se . De Leibnitzii monadibus . Ac tandem de Spinozæ unica substantia nonnulla differuntur .

I. **P**Ulcherrimam præ ceteris hanc esse Animæ nostræ proprietatem, tum veteres Philosophi ethnici, tum Christiani omnes fatentur ; nempe *Immortalem* esse Animam hominis . Atque illud in primis animadvertere oportet , Animam dici *immortalem* non in eo sensu, ut sit *incorruptibilis tantummodo* : hæc enim proprietas ex ipsa naturâ spiritus legitimè descendit , cum ex defectu partium corrumpi non possit , quemadmodum in Corpore Animâ destituito fieri conspiciamus . Possent itaque Anima a Deo ipso in nihilum redigi : cum ejus existentia non sit necessaria , & Deo detur non magis potestas creandi res e nihilo , quam illas denuo in nihilum reducendi ; quod quidem *naturali Animæ immortalitati* non officit ; ut infra dicemus .

Animam ergo esse *immortalem* duo dicit , nempe i. post separationem a Corpore *superstitem esse* . ii. in *statu operandi esse* . Quod probè notandum est ad perfectam hujus Animæ proprietatis intelligentiam ; atque hoc etiam expressit Augustinus (1) : *Ideo , ait , dicitur immortalis (Anima) , quia modo quodam quantulocunque non desinit vivere , atque sentire : Corpus autem idèd mortale , quoniam deserit*
omni

(1) L. 13. c. 2. de Civ.

omni vitâ potest, nec per seipsum aliquatenus vivit. Ratio ipsa id ipsum suadet.

Verum quidem est, Animam nostram non posse dici immortalem, quemadmodum immortalis dicitur Deus; non modo propter dependentiam Animæ a Deo; unde in VI. Syn. Constant. dicitur: *Animam habere gratiâ Dei immortalitatem: nimirum gratiâ creationis. Ideo putatur gratis*, ait Augustinus (1) *quia & ipsa gratis concessa est. Non enim homo, qui non erat, promeruit, ut esset. Sed etiam, quia vox hæc Immortalis accipitur pro eo, quod nullam subeat mutationem. Audiatur Bernardus (2): Vera namque, & integra immortalitas tam non recipit mutationem, quam nec finem: quod omnis mutatio quædam mortis imitatio sit. Omne etenim, quod mutatur, dum de uno ad aliud transit esse, quodammodo necesse est, moriatur quod est, ubi esse incipiat quod non est. Quod si tot mortes, quot mutationes, ubi immortalitas? In eadem est sententia Gregorius Magnus (3): Quid enim mutabilitas, nisi mors quædam est? Quæ dum rem quamlibet in aliud immutat, quasi occidit quod fuerat, ut incipiat esse, quod non erat.*

Idcirco agebat Augustinus (4): *Immortalitatem autem Deus habere dicitur solus, quia est immutabilis solus. In omni enim mutabili Creatura nonnulla mors est ipsa mutatio: quia facit, aliquid in ea non esse, quod erat. Proinde & ipsa Anima humana, quæ propterea dicitur immortalis, quoniam qualitercunque secundum modum suum nunquam desinit vivere: habet tamen pro ipso suo modo quædam mortem suam: quia si justè vivebat, & peccat, moritur Justitiæ. Si peccatrix erat, & justificatur, moritur peccato; ut alias ejus mutationes taceam, de quibus longum est*

Z 2

dispu-

(1) Serm. 11. de Verbis Ap. c. 4.

(2) Serm. 81. in Cant.

(3) L. 12. Moral. c. 17.

(4) L. 3. contra Maxim. c. 12.

disputare. Et alibi (1), non invenis in Deo, ait, aliquid mutabilitatis; non aliquid, quod aliter nunc est, aliter paulò ante fuerit. Nam ubi invenitur aliter, & aliter, facta est ibi quædam mors. Mors enim est, non esse quod fuit. Immortalis dicitur Anima. Est quidem, quia vivit semper Anima, & est in illa quædam vita permanens, sed mutabilis vita. Secundum mutabilitatem vitæ hujus & mortalis dici potest. Et paucis interjectis, subdit: quid est ergo: quod ait Apostolus de Deo: qui solus habet immortalitatem: nisi quia hoc aperte dixit, solus habet immutabilitatem: quia solus habet veram æternitatem.

II. His igitur explicatis, illud est inquirendum: An Anima humana ita fuerit a Deo creata, ut separata a Corpore naturâ suâ superstes sit, & in statu quodam operandi permaneat? An verò naturâ suâ tendat ad interitum, quamvis ex speciali Dei beneficio pergat vivere? Exempla alterius hujus immortalitatis dant Petavius (2), & Canus (3): Corpus post resurrectionem, Fides adstruit, perpetuam vitam habiturum: non tamen id in *natura Corporis*, sed in *divina potentia* erit: & rursus Scriptura docet, *inexterminabilem* factum esse hominem, quod gratiâ esse factum constat, cum naturâ *mortalis* esset. Si hoc posteriore sensu dicatur Anima immortalis, revera mortalis naturâ suâ dici debet: *Etenim id naturâ mortale, & corruptibile dicitur, quod, etsi reipsa non corrumpitur, quia vis illud quædam major conservat, & continet: habet tamen in se corruptionis principium.* Ita Petavius (4). Quare res confici optimè potest, si nimirum expendatur, utrum Immortalitas Animæ, modo explicato, ratione naturali possit innotescere? quo præstito dicendum erit, Animam esse naturâ

(1) In tract. 23. in Jo:

(2) Dd Theol. dogm. to. 3. l. 1. c. 6. n. 6.

(3) De loc. l. 12. c. 14.

(4) Loc. cit.

turâ suâ, non verò ex gratia, immortalem: Quòd si eò non pertingat ratio naturalis, sed ex Fide divina, & ex revelatione id dignoscatur: tunc erit asserendum, non ex natura, sed ex gratia collatam Animæ immortalitatem.

Videtur prima facie non plurimum conferre, Anima ne sit immortalis *naturâ ipsâ*, an verò *gratiâ supernâ Dei*; seu, (quod in idem recidit): num, *Animam esse immortalem* probari ratione naturali possit, an verò probari tantum ex Fide divina? At si rem intimè perscrutemur, permagni interest, ostendere naturali ratione Animæ nostræ immortalitatem. Profectò Deistæ, qui Animæ immortalitatem pro viribus impugnant: in eo toti sunt, ut ostendant: ratione naturali minimè innotescere Animæ immortalitatem. Quòd autem rem hanc Fides divina revelaverit, parvi pendunt. Siquidem in iis, quæ Juris naturalis sunt, non esse advertendum ad ea, docent, quæ revelatio dicat. Lumen enim rationis de se sufficiens est, ad omnia detegenda officia Juris naturæ, sive theoretica ea sint, sive practica. Si qua ergo ex iis sunt, quæ solo rationis lumine non manifestantur: ea ad naturalem statum non pertinere, dici debent. Quid? quòd nonnulli ex dicto Deistatum numero affirmant, revelationem intelligi debere juxta lumen ipsum rationis; ubi nimirum de re naturali agitur; adeoque explicationem pati, quam proprio naturali lumine quisque tradere putet?

Hinc facili negotio deducitur, quare adversus Puffendorfium, negantem, posse ratione naturali demonstrari, Animam esse immortalem, tot insurrexerint e suis etiàm Protestantibus, ut alibi protulimus (1). Et quare inter Deistas meritò accenseatur Voltairius, teste Nonnot (2); ubi ostendit, quâ viâ dictus Auctor ad infirmanda argumenta naturalia pro Animæ immortalitate utatur. Neque solum

(1) In 1. Dissert. præm. tom. 1.

(2) Tom. 2. contra Volt. c. 9.

lùm nostris hisce temporibus pro Anima naturaliter immortali pugnatum est contra Deistas; sed etiam ab An. 1513., referente Spoudano, contra Petrum Pomponatium Mantuanum ingens excitatum est dissidium, quod occasionem dedit decreto Concilii Oecumenici Lateranensis V. pro natura Animæ rationalis immortalis: quemadmodum etiam tradit Hieronymus Amidei, qui eodem tempore librum edidit Apologeticum pro *Animæ immortalitate in Petrum Pomponatium*. Præfatus enim Pomponatius, ut scribit Spoudanus (1), *enarrans Aristotelem, & Averroëem Bononiæ, Animas post Corporis mortem interituras ex sententia Aristotelis probare conatus, Juventutem valdè corruperat: se eo tuens, quòd philosophicè loqueretur; sed aliter, cùm Christianus esset, sentiret*. Ubi illud est adnotandum, ex ea doctrina *Juventutis corruptionem* fluxisse: quod pariter confirmat Paulus Jovius Pomponatii discipulus, (2) *edito scilicet volumine, quo Animas post Corporis mortem interituras ex sententia Aristotelis probare nitentur: secutus Aphrodixei placita, cujus dogmate ad corrumpendam Juventutem, dissolvendamque Christianæ Vitæ disciplinam nihil pestilentius induci potuit*.

Non est autem, quòd Pomponatius apertè non asseruerit, constare ex *Fide* Animam esse immortalem. Siquidem (3) sic statuit: *Animam esse immortalem, est articulus Fidei*. Et (4) alibi asserens, *quæstionem de Animæ immortalitate ex vi rationis naturalis esse neutrum problema*, subdit: *Cùm itaque tam illustres Viri inter se ambigant; nisi per Deum hoc certificari posse, non existimo*. Et (5) deinde concludit, loquens de argumento ducto a *Fide* ad probandam Animam immortalem: *Hæc sola via in-*

con-

- (1) Tom. 2. Contin. Ann. Baronii ad An. prædictum num. 20.
- (2) In elog. c. 71.
- (3) L. de immortal. Animæ c. 15; & ultimo p. m. 126.
- (4) Pag. 124.
- (5) Pag. 125.

concussa, & stabilis est: ceteræ verò sunt fluctuantes. Verùm decursu temporis errorem suum ejuravisse Pomponatium, Auctor est Savellus (1).

III. Animam ergo humanam esse *naturâ suâ* immortalem, & proinde lumine ipso ratiouis innotescere, constat ex iis pluribus argumentis, quæ congeri possent ab Auctoribus ethnicis. Non vacat, omnia per censere; Unum, alterumve proponam. Ex Tullio (2) juxta Platonis Philosophiam a vi activa Animæ habemus argumentum, *quod semper movetur æternum est, quod autem motum affert alicui, quodque ipsum agitur aliunde; quando finem habeat motus, vivendi finem habeat, necesse est...* Inanime est omne, quod pulsus agitur externa: quod autem animal est, id motu cietur interiore, & sua: Nam hæc est natura Animæ, atque vis. Quæ si est una ex omnibus, quæ sese moveat... æterna est. Hujusmodi argumento utebatur etiam Socrates ad probandam Animam esse immortalem (3).

Tullius ipse (4) ex mente Catonis hæc habet: *Sic mihi persuasi, sic sentio: cùm tanta celeritas Animorum sit, tanta memoria præteritarum, futurorum prædientia; tot artes, tantæ scientiæ, tot inventa; non posse eam naturam, quæ res eas continet, mortalem esse: cùmque Animus semper agitur, nec principium motus habeat: quia ipse semoveat, nec finem quidem habiturum esse motus, qui nunquam se ipse sit relicturus: & cùm simplex Animi natura esset, nec haberet in se quibquam admixtum dispar sui, atque dissimile, non posse eum dividi: quod si non possit, non posse interire.*

Ex eodem habemus (5) optimum argumentum: *Omni in re, ait, consensus omnium Gentium Lex nature putanda*

(1) In tr. de Anima to. 2. Eth. & Polit. Arist. & Plat.

(2) In Somn. Scip.

(3) Stanl. p. 3. c. 5. Sect. 7.

(4) Academ. quest. l. 4. c. 39.

(5) In 2. Teupl. quest.

da est . . . maximum verò argumentum est , naturam ipsam de Immortalitate Animarum tacitum judicare : quòd omnibus curæ sit , & maximè quidem , quæ post mortem futura sint . Nemo unquam sine magna spe immortalitatis se pro Patria offerret ad mortem . Nescio , quomodo inhaeret mentibus quasi sæculorum augurium futurorum , idque in maximis ingeniis , altisque animis & existit maximè , & apparet facillimè .

Seneca pluribus in locis immortalem Animam prædicat : unum , alterumve producam (1) . Corpusculum hoc , ait , custodia , & vinculum Animi , hac atque illuc jactatur : in hoc supplicium , in hoc latrocinia , in hoc morbi exercentur . Animus quidem ipse sacer , & æternus est , & cui non possunt iniici manus . Et alibi (2) sic de immortalitate animi sui securus loquitur : Cùm venerit dies ille , qui mixtum hoc divini , humanique secernat , Corpus hoc , ubi inveni , relinquam : ipse me Quis reddam Alia origo nos expectat : alius rerum status , nondum Cælum , nisi ex intervallo pati possumus ; proinde intrepidus horam illam decretoriam prospice : non est Animo suprema , sed Corpori Dies iste , quem tanquam extremum reformidas ; æternitatis est .

Illud pariter argumentum Platoni maximè arrisit circa bonum Reipublicæ regimen , quod ex Dei Justitia in administrando Mundo deducitur , quodque Canus (3) ex Chrysostomo desumit : Nam si ii , qui Deum ritè colunt , injuriis affecti migrant , impii contra injustâ felicitate potiti : non ergo Justitia in Deo est , si suos non potest honoribus , præmiisque donare . Quod sanè argumentum evincit , aliam dari post hanc vitam necessariò , quiddid ineptissimè effutiat Puffendorfius .

Necessitatem vitæ futuræ deducit Augustinus (4) pro obtinendo sine Virtuti debito : Porro ipsa Virtus , cùm sibi bono-

(1) Lib. de Consol. ad Helviam c. 11.

(2) Epist. 102.

(3) De Locis l. 12.

(4) L. 19. c. 4. de Civ.

bonorum culmen vindicet humanorum, quid hęc agit, nisi perpetua bella cum vitiis? nec exterioribus, sed interioribus; nec alienis, sed planè nostris, & propriis? ... Absit ergo, ut, quamdiu in hoc bello intestino sumus, jam nos beatitudinem, ad quam vincendo volumus pervenire, adeptos esse credamus.

Vitam pariter futuram demonstrat Lactantius (1) ex infinita Dei Sipientia, & Providentia, qua homines creavit, & mundum gubernat: *Si sine Causa gignimur, si in hominibus procreandis Providentia nulla versatur: Si casu nobismetipsis, ac voluptatis nostrę gratiã nascimur, si nihil post mortem sumus: Quid potest esse tam supervacuum, tam inane, tam vanum, quàm humana res est, quàm Mundus ipse?*

Plura congerit S. Thomas (2), & Lessius (3) etiam duo supra viginti argumenta, & pleraque ex lumine ipso naturę, profert ad rem ipsam demonstrandam. Quibus sanè evidentissimè ostenditur, Juris esse naturę, Animę nostrę immortalitatem cognoscere.

Illud autem non postremo loco accensendum est, quod ex intima Animę ipsius natura desumptum profero: Anima est substantia simplex, & spiritualis, & a corpore distincta. Ergo de se separata a corpore existet, si nihil sit in natura, quod ejus destructionem exigat. Nihil autem corporeum potest enti spirituali, & simplici opponi; ut patet. Existet ergo naturã suã sejuncta a corpore. Atqui existet etiam in statu eliciendi perceptiones suas, & operationes. Ergo est immortalis. Ultimam hanc partem, quę ad statum eliciendi perceptiones, & operationes Animę separatę a corpore spectat; sic apodicticè ostendo: Animam suam percipiendi, & operandi non habet a corpore, sed habet a seipsa: est enim principium omnino diversum

Tom. II.

A a

a cor-

(1) L. 7.

(2) L. 2. contra Gent. c. 55.

(3) L. de immortalit. Anim. pag. m. 275.

a corpore . Quamvis ergo unita corpori exerceat aliquas operationes ex impressionibus corporis : adhuc alias exercet aliquando non conformes illis impressionibus : ad istas ergo operationes non indiget corporeis impressionibus . Poterit ergo vim suam operandi optimè exercere in statu separationis a corpore ; quod ad ejus perennem vitam constituendam sufficit .

Quæ autem dici contrâ possunt , vel ad id reducuntur , quòd Anima sit Corpus : vel ad difficultatem concipiendi modum operandi in Anima exuta corpore . Quæ omnia vel ex dictis resolvi possunt , vel levissimi sunt momenti , ut nihil officiant , quominus immortalitas Animæ dici debeat rationi ipsi naturali evidens , ac demonstrata .

IV. Alia rursus essent de Animarum nostrarum natura investiganda , sed quæ minoris sunt negotii . Huc accenseri potest illud : *de differentia inter unam , alteramve Animam* . Quæ quidem differentia admitti utique potest , si sermo sit de *accidentali quadam diversitate* , & quæ ad gradus non valde diversos perfectionis spectat . Non ita verò de *intrinseca* , & *substantiali* perfectione : cujus rei nulla est ratio ; unde pro uniformitate substantiæ rei standum est . Illud pariter : ubinam resideat in Corpore ? An *in solo cerebro* ; an in Corpore toto , ubi scilicet *Organa sunt sensoria* ? Pro utraque sententia suæ sunt rationes , & minimè contemnendæ : neque aliquid animæ natura capit detrimenti , utram partem elegeris .

V. De *Monadum* Leibnitziano systemate aliquid dicamus , quod quidem Bourguetus (1) adoptavit , ut nempe ostenderet , Animam nostram esse Corpus simul , & spiritum : quod sanè mysterium est jure optimo *Monadum* mysterio implicandum . Profectò in Leibnitzii *principiis* *Monades* sunt species quædam substantiarum intelligentium , immaterialium , spiritualium , ex quibus nihilominus Corpora

com-

(1) In epistolis An. 1739.

componuntur . Nec dubitat Leibnitzius appellare *Animas omnes omnino Monadas creatas* ; & paulo post : *Animam nostram in deliquio , vel in profundo somno non differre a simplici Monade* : & rursus infra ; quodlibet Corpus vivens habere entelechiam unam dominantem , quæ est *Anima* in animali : sed membra hujus corporis viventis plena esse aliis viventibus , plantis , animalibus , quorum unumquodque habet iterum suam entelechiam , seu Animam dominantem . Et paulò post asserit , dari metamorphoses in animalibus , non verò metempsychoses : *quia non dantur Animæ prorsus separata* . Unde nec datur mors perfecta , rigorosè loquendo ; & sicut evolutione , & accretione verè fiunt generationes : ita involutione , ac diminutione verè fit mors ; & sicut animal nunquam naturaliter incipit ; ita nec unquam naturaliter finire debet : unde nulla rigorosa datur generatio , nulla rigorosa datur mors . Hæc utique ex *principiis* Leibnitzii .

V erùm de hoc non systemate , sed commento illud statim suppetit : mirum esse hujusmodi Virum temerè hæc omnia proferre , quibus ratio naturalis acquiescere nullo pacto potest : cùm aliunde in ea sit sententia , nihil esse omnino asserendum sine ratione , & quidem sufficiente ; nisi velimus dicere , quod supra diximus : Leibnitzium voluisse ingenium suum fictionibus hisce exercere , & Orbi erudito , seu citiùs improvidis , & credulis quibusque illudere . Profectò Cl. V. Eller (1) ait : *esse prorsus imperceptibile totum illud systema , neque adhuc de recta Auctoris mente constare inter Philosophos : esse rursus naturæ Animæ nostræ omnino repugnans , rei nempe spirituali ex lumine ipso rationis , nedum ex Fide , & revelatione* . Plenissima videri potest systematis Monadum impugnatio apud Auctorem *novi tractatus systematum* (2) , a Cl. Maupertuisio (3) ,

A a 2

& in

(1) In Mem. Acad. Berol. An. 1750.

(2) Hagæ An. 1749.

(3) In ep. 7. & 8.

& in *Mem. Acad. Berol.* (1) ubi plures exhibentur contra Monadas Leibnizianas collectæ dissertationes ; ex quibus illa Justii præmio donata fuit.

VI. Sed ad se nos vocat Atheus homo, & Materialista Spinoza, qui non, ut ille *gemmas de stercore*, sed fastidius quodvis de Veterum Ethnicorum stercore collegit. In ethica (2) ait: *Mentem humanam partem esse infiniti Intellectus Dei: ac proinde cum dicimus, mentem humanam hoc, vel illud percipere, nihil aliud dicimus, quàm quodd Deus, non quatenus infinitus est, sed quatenus per naturam humanæ mentis explicatur, sive quatenus humanæ mentis essentiam constituit, hanc, vel illam habet ideam.* Et (3) subdit: *Essentia non mentis tantum, verum totius hominis constituitur a certis Dei attributorum modificationibus.* Hisce propositionibus Tolandus subscripsit, ejusque discipulus Collinsus, ut apud Jenkinum (4). Sanè Auctores isti in eo sunt, ut putent, *Animas nostras esse revera portionem Dei quamdam, modo quodam dispositam; quin & omnia esse Deum, diversimodè modificatum.* Dixerat enim Spinoza (5): *Præter Deum nulla dari, neque concipi potest substantia.* Inter Ethnicos Seneca de Stoicorum secta (6) videtur hoc asseruisse de Anima. *Quid est autem, cur non existimas, in eo (nempe in Animo) divini aliquid existere, qui Dei pars est? Totum hoc, quo continemur, & unum est, & Deus; & socii ejus sumus, & membra.* Et antea (7) dixerat: *Ratio nihil aliud est, quàm in Corpus humanum pars divini Spiritus mersa.* De unica autem substantia, scilicet Deo loquitur Cato Stoicus apud Lucanum (8).

Est

- (1) Ad an. 1747.
 (2) In prop. xx1.
 (3) Prop. 14. I (2)
 (7) Ep. 92.

- (3) Prop. xi.
 (4) In hist. Atheismi.
 (6) Ep. 66.
 (8) De bello Pharsal. l. 9. v. 575.

*Est ne Dei sedes, nisi Terra, & Pontus, & Aer,
Et Cælum, & Virtus? Superos quid quærimus ultra?
Jupiter est, quodcunque vides, quocunque moveris.*

Longè autem ante hos ferunt, Pythagoram, admittentem *Animam Mundi*, nihil intellexisse aliud nisi *Deum*, teste Bruchero (1). Unde Minutius Felix agebat: *Pythagoræ Deus est Animus per universam rerum naturam commens, & intentus: ex quo etiam Animalium omnium vita capiatur*. Idem habet Lactantius (2). In eandem sententiam descendisse Platonem, volunt nonnulli; & recentiores quidam Angli, quos *Fortes Spiritus* vulgus appellat, Cudworthus, Henricus Morus, aliique *Archeam universalem* nominant.

Verùm enimverò quis non advertit, quantum rationi repugnet Systema hoc de unica nempe substantia variè modificata? Ut nimirum & Corpora sint modificationes hujus substantiæ, *ut extensæ*; & Animæ sint modificationes hujus substantiæ, *ut cogitantis*? Ita ut Deus, Ens necessarium, & infinitè perfectum sit non modò Causa rerum omnium, quæ existunt, sed ab illis non differat? Ipse sit pariter agens, & patiens, causa efficiens & subjectum, & nihil producat nisi suam modificationem? Adeo absurdum, & horrendum est, ut Bayle, licèt non modicis adfuetus absurdissimis erroribus, minimè se continere potuerit, quin (3) post relatum Spinozæ Systema, exclamaverit: *En hypothesis, quæ superat cumulum absurditatum, quæ dici unquam possunt, Id, quod Poëtæ ethnici ausi sunt canere contra Jovem, & Venerem, longè minus est respectu ideæ execrandæ, quam de Deo fingit Spinoza. Siquidem Poëtæ saltem non omnia, quæ patrantur crimina, nec morbos omnes uni*
Deo-


(1) Tom. 1. P. 2. l. 2.

(2) L. 1. c. 5.

(3) In suo Dict. Crit. V. Spinoza

Deorum tribuebant: at Spinozæ judicio Deus unus, & idem agens est, & patiens omne malum culpæ, & malum omne pœnæ, sive physicum, sive morale, nihilque præter ipsum. Hactenus Bayle.

Quibus illud subiici posset, quod supra retulimus ex Tullio (1) contra Pythagoræ sententiam, nimirum: *Non vidit, distractione humanorum Animorum discerpi, & dilacerari Deum: & cùm miseri Animi essent, quod plerisque contingeret; tum Dei partem esse miseram; quod fieri non potest. Cur autem quidquam ignoraret Animus hominis, si esset Deus? Quod quidem triplex ethnici hominis argumentum insaniam Spinozæ apertè condemnat.*



H O M I-

(1) De Nat. Deor. l. 1. c. xl.

ERGA SEIPSUM PRACTICA

DISSERTATIO VII.

Quenam sint hujusmodi Officiorum objecta ? In quo sita sit Intellectus, & Voluntatis perfectio? Hic Wolfii errores deteguntur ; ejusque errores notantur etiam circa Corporis curam ex I. N. Quid de aliis externis bonis dici debeat ? De bona sui existimatione, & fama .

I. **E**X eodem fonte, unde officia eruuntur *theoretica* hominis erga seipsum; fluunt pariformiter *practica*, nempe ex recto, & benè ordinato Amore sui, ad felicitatem assequendam necessario. Tria objecta respiciunt officia hujusmodi, quæ sive ad sui ipsius *conservationem*, sive ad *perfectiorem* spectant. Primo loco sunt *Bona Animi*. Secundo loco *Bona Corporis*. Postremo *Bona externa*, quæ dici possunt *Bona hominis totius*. In i. objecto considerari potest instructio potissimum *Intellectus, & Voluntatis*. ii. complectitur *corporis*, ejusque partium *curam*. Ad iii. reducitur *conservatio Famæ, & Fortunarum* contra vim externam.

Quandoquidem omnia ad veram, solidamque felicitatem officia ex I. N. sunt dirigenda: idcirco ordo quidam rationalis in concursu prædictorum officiorum est maximè servandus. Neque enim pax haberi ullatenus potest sine tranquillitate ordinis juxta Augustinum: neque sine pace felicitas, ut diximus. Rectus autem ordo prædictorum officiorum ille est, ut *Animi instructio*; utpote quæ nobiliorem hominis partem respicit, præferri omnino debeat *Corporis curæ*. In ipsa rursus Animi instructione, ea, quæ ad

ad *Voluntatem* spectant, pluris sunt facienda præ iis, quæ ad *Intellectum* pertinent. Bonum enim morale bono physico præstantius est. Quare illud adprobamus, quod apud Heinneccium legimus (1): *Itaque contra officium faciunt, qui ita curant Corpus, ut mentem obrutescere patiantur. Sed ii non magis satisfaciunt officio, qui doctrinæ, atque intellectus perficiendi studio, ita immorantur libris, ut iis immorianlur. Neutrum ergo officium negligendum est...* Is omnino rectè, & ordine facere videatur, si id, quod præstantius est, minus præstanti, necessarium, minus necessario præferendum existimant. Benè etiam ratiocinatur Puffendorfius de hominis debito erga sui ipsius instructionem (2) multiplici ex capite. I. ex *instinctu naturali*, quo ad felicitatem tendimus. II. ex *facultatum nostrarum natura*, quæ sine instructione obrutescunt, eà adhibitâ perfici optimè possunt. III. ex *vitæ brevitate*, unde necesse est, in id incumbere, ut perfectio acquiri saltem aliqua possit. Hic habet analysin, veram ceteroqui, temporis totius vitæ nostræ. Detrahendum pueritiæ decennium, & ubi dentur octoginta vitæ anni, detrahendum pariter decennium decrepitæ senectutis: in utroque enim decennio communiter usu rationis penè destituimur: deinde in 60. reliquis solet tribui dimidium somno, & vigiliæ dimidium: erunt ergo 30. Jam si ab hisce annis tempus deducatur, quo nihil agimus, quo edimus, bibimus, nugas agimus, quo amicorum congressibus præpedimur, & salutationibus, vix 10. anni propriæ instructioni supersunt. Properandum idcirco, ut nos perficiamus. Multo autem melius Senecæ verbis præceptum est (3), ubi ait: *Vivere. totâ vitâ discendum est.* Et alibi (4) *doce, non esse positum bonum vitæ in*

(1) In Elem. J. N. & G. l. 2. c. 6. §. 142. in not.

(2) In L. de Off. hom. & Civ. l. 1. c. v.

(3) In l. de brev. vitæ c. 7.

(4) In Ep. 49.

spatio ejus, sed in usu: posse fieri, imò sæpè fieri, ut, qui diu vixit, parùm vixerit . . . dociles natura nos edidit, & rationem dedit imperfectam, sed quæ perfici posset. Et (1) infra: Non, ut diu vivamus, curandum est: sed ut satîs. Nam, ut diu vivamus, fato opus est: ut satîs, animo. Longa est vita, si plena est. Impletur autem, cum Animus sibi bonum suum reddidit, & ad se potestatem sui transulit. Quid illum octoginta anni juvant, per inertiam exacti? Non vixit iste, sed in vita moratus est; nec verò mortuus est, sed diu. Lectu dignissima est epistola hæc Senecæ, ubi plurima in hanc rem congeruntur. Et (1) antea communem sui temporis hominum consuetudinem deflet, quæ nostri esse temporis pariter existimatur. Magna pars vitæ elabitur malè agentibus, maxima nihil agentibus, tota aliud agentibus.

II. Sed jam particularia officia inspiciamus. *Intellectus humani perfectio in cognitione veri, & boni sita est. Hoc sanè dici potest in universum loquendo; ut vimirum rectè sentiamus de Deo, de nobis ipsis, de aliis hominibus, deque horum societate. Purgandam proinde mentem ab erroribus, quos vel vulgus, vel indocti, vel improbi homines nobis obtrudere unquam potuerint: atque eorum loco veras, sanasque sententias addiscendas, quas e doctis Philosophorum libris, e sacris divinorum Oraculorum paginis, e sanctorum Ecclesiæ Magistrorum documentis haurire possumus. Hæc autem dici potest Intellectus instructio generalis simul, & specialis, quæ studiorum culturam, & facultatum bonam supellectilem claudat. Hanc verò sibi comparare debet quisque pro suo captu, & pro iis animi, & fortunæ dotibus, quibus a natura donatus est, quemadmodum advertit Persius (3).*

. *Quem te Deus ipse*

Jussit, & humanà qua parte locatus es in re,

Disce . . .

Tom. II.

B b

Huc

(1) Ep. 93.

(2) In Ep. 1.

(3) Sat. 3. v. 71.

Huc spectant, quæcunque tradidimus in *Dissert. vii.* primi tomi, ubi de *Felicitate* sermo fuit. Pari modo huc accenferi possunt, quæ ibidem de *Voluntatis* perfectione dicta sunt. Hæc enimverò in appetitione, & fruitione boni, & in fuga mali consistit. At quoniam, ut *Voluntas* eligat bonum, & vitet malum; cognitio prærequiritur objecti sive boni, sive mali; atque hac in cognitione falli humana mens potest: plura enim mala sub idea boni re præsentantur, & vice versa; idcirco maxima est adhibenda cura, ut ex rectis *Juris naturæ* principiis probè discernatur objecti ipsius natura, & vera ejusdem imago *Voluntati* ad actus suos eliciendos proponatur. Inde enim oritur sæpissimè non *Voluntatis* perfectio, sed corruptio. Ceterum *Voluntas* semper libera est, ut vidimus (1), quodcunque sibi proponatur objectum creatum. Cavendum verò, ne ipsa *pravo aliquo affectu* præveniatur: unde a recta suæ perfectionis semita deflectat. Hujusmodi affectu illaqueata *Voluntas* sine suo, quæ vera felicitas est, omnino carebit, & *Juris naturæ* officia minimè, prout debet, exequetur. Quin & *judicium ipsum rationis* pervertet, secumque abreptum aget in transversum. Optimè id advertit Seneca (2): *Ratio ipsa, cui fræna traduntur, tamdiu potens est, quamdiu diducta est ab affectibus. Si miscuit se illis, & inquinavit, non potest continere, quos submovere potuisset. Commota enim semel, & concussa mens ei servit, a quo impellitur.* Et Statius (3).

. . . *Ne frenos animo permitte calenti.
Da spatium, tenuemque moram: malè cuncta ministrat
Impetus.*

III. Qua-

(1) Tom. i. dissert. i.

(2) L. i. de Ira.

(3) Thebaid. l. x,

III. Quare dignosci potest, quantum a vero aberraverit Wolfius, ut diximus (1), ubi de Animæ perfectione loquens, constituit ejus perfectionem *in habitu utendi facultatibus suis*; & quod plures actus alicujus facultatis, sive Intellectus sive Voluntatis elici possunt, & quo promptius, eo major est Anima perfectio. Unde colligit: Obligari hominem ex J. N. ad acquirendam distinctam rerum sibi possibilium cognitionem, & idcirco omnem facere debemus facultatum nostrarum usum, quem habere possunt. Enormem sanè propositionem! Quam esse ab omni honestatis regula dissentientem, ibi ostendimus. Profectò vox ipsa *Perficere* de se Wolfianæ huic explicationi opponitur vel maximè. Siquidem Legis naturæ præcepta ad hominis felicitatem diriguntur omnia. Quis autem non aperte dignoscit, plures facultatum Animæ usus contra Animæ ipsius felicitatem pugnare? Quî ergo fieri potest, ut quam perfectionem naturæ Lex nobis præcipiat, in usu felicitatis ipsius naturalis constitutam noluerit? Deinde quemadmodum, ut Corpus suam adipiscatur perfectionem, non omni debet uti cibo, sive utili, sive noxio; sed illum adhibere, qui sibi proût, illumque respuere, qui sibi noceat: pari modo Anima, ut suam acquirat perfectionem, Juri naturæ congruentem, non omnes indiscriminatim facultatum suarum usus debet exercere, sed illos, qui Juris ipsius naturalis fini conducentes sint.

Corporis etiam cura habenda est ex Jure naturæ. Seneca (2) scribebat: *Fateor, insitam esse nobis Corporis nostri caritatem: fateor, nos hujus gerere tutelam: nec nego, indulgendum illi; serviendum nego... Agatur ejus diligentissimè cura.* Quare extra rationem sunt, quæ ex Socrate præcepta feruntur: *Corpus nempe partem hominis non esse, sed merum ipsius instrumentum: Quemadmodum & bona alia externa nihil omnino ad hominem pertinere.* Etenim

B b 2

natu-

(1) Tom. I. dissert. IV.

(2) Ep. 14.

naturâ ipsâ ducimur ad *Corporis* conservationem , sine quo vita hominis haberi nequit ; & ex eadem ratione ad conservanda ea bona , quæ conservationi vitæ vel naturalis , vel civilis necessaria habentur .

Duo itaque ad *Corporis* curam ex J. N. facere maximè videntur : I. ut in eo statu conservetur , qui expediat ad finem J. N. consequendum . II. ut etiam in dicto statu perficiatur . Quod ad primum attinet : duobus tantùm indigere nos , constat , victu scilicet , & vestitu ; juxta illud Pauli (1) : *Habentes alimenta , & quibus tegamur , his contenti simus* . Verùm ex jure naturali non sunt indumenta necessaria : in statu enim Innocentiæ sufficienter tegebantur homines Justitiâ originali . Haud ita tamen dicendum est de alimentis , quorum necessitas ex corporis conditione nutritionem expetentis , & augmentum , patet . Horum verò materiam non esse necessariò Carnes ex J. N. perspicuum est , docente S. Thomâ (2) . Non sunt tamen hujusmodi , ut omnes omnino fuerint unquam ex Dei prohibitione vetitæ , ne in statu quidem integritatis , sed non fuerunt adhibitæ pro aliquo tempore ratione optimorum alimentorum , quæ Terra producebat . Quare illud dici absolutè potest : ex J. N. non definiri ciborum materiam , nec modum ullum , illos præparandi .

Ad secundum , quod spectat , illud est summo opere advertendum , ut sanitati , ac viribus identidem reparandis , atque augendis pro datâ occasione consulatur . Si omnia membra in unum conspirent , erit sanitas , & corporis perfectio : si verò discordent , non erit perfectio .

Contra hæc officia agunt , quicumque voluptatibus , ebrietate , commestationibus , aliisque luxuriæ illecebris Corpus debilitant . Pulcherrimè contra hos invehitur Seneca (3) , ubi comparat priorum temporum medicinam , quæ ,
ait ,

(1) 1. Tim. 6.

(3) Epist. 95.

(2) 1. p. q. 96. ar. 1. ad 3.

ait, *paucarum fuit scientia barbararum*; subdit: *in hanc deinde pervenit (quam nunc habemus) multiplicem varietatem*. Enumerat plures morbos, qui ex ciborum condimentis, & ex vino oriuntur: *Inde pallor, & nervorum vino madentium tremor, & mirabilior ex cruditatibus, quam ex fame macies: inde incerti labantium pedes, & semper qualis in ipsa ebrietate titubatio: inde in totam cutem humor admixtus, distensusque venter, dum malè assuescit plus capere, quam poterat: inde suffusio lurida bilis, & decolor vultus, tabesque in se putrescentium, & retorti digiti articulis obrigescentibus, nervorum sine sensu jacentium torpor, aut palpitatio sine intermissione vibrantium: Quid capitis vertigines dicam? Quid oculorum, auriumque tormenta, & cerebri afluantis verminationes, & omnia, per quæ exoneramur, internis ulceribus affecta? Innumerabilia præterea febrium genera... Quid alios referam innumeraabiles morbos, supplicia luxuriæ? Pergit deinde cetera mala percurrere, quas *usuras voluptatum ultra modum, fasque concupitarum* vocat. Et addit: *Innumerabiles esse morbos miraris? Coquos numera.**

Inde patet, quàm absona principia Wolfius proposuerit circa Legem naturæ ad corporis curam spectantem, sive quâ ejus *conservatio* respiciatur, sive quâ ejus etiam *perfectio*: nempe obligari hominem ad vitam *commode* transigendam, imò ad vitam *jucunde* transigendam, ad pulchritudinem *naturalem* conservandam, & *artificialem* non negligendam. De quibus egimus (1). Profectò quicumque damnatis omnibus voluptatum, luxuriæque speciebus indulgent, non alia de causa id facere profitentur, nisi ut vitam *commode*, & *jucunde* transigant. Ex Wolfii igitur doctrina Juri naturæ, ejusque sanctis legibus homines hujusmodi luxuriosi, ac voluptuosi obtemperant. Non eadem docebat ethnicus Seneca solo naturali lumine ductus, ac

Chri-

(1) Tom. I. Dissert. 4.

Christianus Wolfius . Ille (1) ait : *Honestum ei vile est , cui corpus nimis curum est . Agatur ejus diligentissime cura : ita tamen , ut , cum exiger ratio , cum dignitas , cum fides , mittendum in ignem sit .* Quanto rursus cum apparatu verborum , ac sententiarum in eos invehitur *inter speculum , pestinemque occupatas (2) ; ut pulchritudini studeant ?* Tum subdit , illos valde increpans : *quibus apud tonsorem multa hora transmittuntur , dum decerpitur , & quid proxima nocte succrevit : dum de singulis capillis in consilium itur , dum aut disjecta coma restituitur , aut deficiens hinc , atque illinc in frontem compellitur . Quomodo irascuntur , si tonsor paulo negligentior fuerit ? tamquam virum tonderet . Quomodo excolescunt , si quid ex juba sua desissum est , si quid extra ordinem jacuit , nisi omnia in anulos suos reciderunt ? Quis est istorum , qui non malis rempublicam turbari , quam somnam suam ? qui non fallitior sit de capitis sui decore , quam de salute ? qui non comptior esse malis , quam honestior ?* Hæc tamen omnia , quæ Seneca philosophus ethnicus homini ratione utenti inhonesta merito reprehendebat : *Wolfianus Philosophus Christianus ad perfectionem corporis ex Jure naturæ pertinere arbitrabitur ?* Ast quàm pessimè ! Etenim eodem modo *Corpus perfici* intelligendum est , ac *perficiuntur Animæ facultates* : si nimirum usus sensuum corporis , & cetera ad corpus spectantia ad finem *veræ , solidæque felicitatis humanæ* dirigantur . *Major sum , & ad majora generis ,* ajebat Seneca (3) , *quàm ut mancipium sim mei corporis , quod equidem non adspicio , quàm vinculum atiquod libertati meæ circumdatum .* Illud ergo dicendum omnino est : Omnia , quæ ex J. N. pro conservando , perficiendoque corpore sunt , ad Finem ordinatum , sive honestatem , dirigenda esse . Quare ipsum naturæ levamen , sive quodlibet commodum corporis , si assumatur præcise

(1) Ep. 14.

(2) Lib. de brev. vitæ c. 12.

(3) Ep. 64.

cisè ad *meram naturam* spectando, dici nequit honestum; debet enim, ut honestum sit, ab humana natura *ut rationali* assumi. Hoc autem fiet, si in iis actibus, qui naturæ commoda spectant, adhibeat homo rationis regulam; judicetque, commodum illud sibi ex ratione directo convenire. Tenetur enim homo ex J. N. operari semper, *ut homo*, & consequenter regulam rationis adhibere, quæ sanè advertentia necessaria est, & sufficiens ad honestatem merè moralem actûs, ut diximus.

Unde & ab opposito vigetis, & nimis laboribus, & assiduis jejuniis, quin & immodicis asperitatibus corpus atterere, ita nimirum, ut viribus deficiat, neque muneri suo satisfaciendo sit aptum: est pariformiter contra J. N. officia, quibus ad corporis statum in sua perfectione conservandum pro obtinendo fine J. N. obligamur. Habenda igitur in hujusmodi rebus est ratio conditioni, & statui uniuscujusque, moderate omnia Prudentiâ, virtutum reliquarum reginâ.

De conservando corpore contra externam vim, & an liceat aliquando in seipsum sævire, dicam inferius.

IV. Aliorum Bonorum, quæ homini sive ad vitam conservandam, sive ad boni nominis existimationem, quæ civilis vita dici communiter solet, necessaria sunt, curam habere debet homo sub ratione boni minoris respectu Animæ, & Corporis ipsius. Idcirco in iis *comparandis*, in iis *conservandis*, in iis *dispensandis* Juris naturæ officia sunt adimplenda. In primis circa bona Fortunæ, quæ dicuntur, illud animo altè hæreat, quod Seneca præscribit (1): *Mihi crede: is beator est, cui fortuna supervacua est, quàm is, cui parata est. Omnia ista bona, quæ nos speciosa, sed fallaci voluptate delectant, pecunia, dignitas, potentia, aliaque complura, ad quæ generis humani cæca cupiditas obstupescit, cum labore possidentur, cum invidia*

CON-

(1) L. de Consol. ad Polyb. c. 28.

conspiciuntur; eosque ipsos, quos exornant, & premunt; plus minantur, quàm profunt. Lubrica, & incerta sunt: nunquam bonè tenentur; nam, ut nihil de tempore futuro timeatur, ipsa tamen magna felicitatis tutela sollicita est. Hæc itaque circa bona Fortuna optima sunt ex J. N. principia, quæ cum illis Sacra Scripturæ verbis cohærent vel maximè: *Divitiæ si affluant, nolite cor adiacere* (1).

In iis autem comparandis habenda est ratio potiorum officiorum erga Deum, erga seipsum, erga Proximum. Sunt enim officia ritè expendenda, ne posthabeatur id, quod pluris habendum est. Memorandum est exemplum illud, quod de Euripide fertur. Cùm enim in sua tragædia de Avaro quodam *Bellerophonte* hos recitasset versus, quibus lucro innocentiam, salutem, opinionem bonam posthaberet:

Sine me vocari pessimum, ut dives vocer.

An dives, omnes quærimus: Nemo, an bonus.

Non quare, & unde: quid habeas, tantùm rogant.

Ubique tanti quisque, quantum habuit, fuit.

Quid habere nobis turpe sit, quæris? Nihil.

Aut dives opto vivere, aut pauper mori.

Bonè moritur, qui dum moritur, lucrum facit.

Pecunia, ingens generis humani bonum.

Cui non voluptas Matris, aut blanda potest

Par esse prolis, non sacer meritis parens.

Tum dulce si quid Veneris in vultu micat,

Meritò illa Amores Cœlitum, atque Hominum movet.

Cùm, inquam, hos pronuntiasset versus, totus Populus, ad abigendum Actorem, & carmen consurrexit uno impetu: donec Euripides ipse in medium profiluit, petens, ut expectarent, viderentque, quem admirator Auri exitum faceret. Dabat in illa fabula poenas *Bellerophontes*, quas in
sua

(1) Psalm. 61. 11.

sua quisque dat. *Nulla enim avaritia sine pœna est, quamvis satis sit ipsa pœnarum.* Hoc veluti Epiphonemate rem totam, quam fusè narrat, claudit Seneca (1). Ac revera sapientiores Ethnici Virtutis veræ æstimatores vulgare illud effatum improbabant, quod utinam a Christianis pari modo reprobaretur; nimirum:

*O cives, cives, querenda pecunia primum:
Virtus post nummos.*

Non est autem vertenda vitio industria moderata, & labor proportionatus sive pro comparandis, sive pro conservandis facultatibus ad vitam necessariis: dicente Domino post peccatum Adamo (2): *In sudore vultus tui vesceris pane.* Duo enim valdè diversa sunt hæc, nempè laborare, ut necessarias sibi quis comparet facultates: & laborare, ut dives fiat. Primum illud ad Jus naturæ spectat; non ita verò secundum. Juris enim Naturæ est, modum aliquem curare in divitiis possidendis. Hunc autem modum docet Seneca (3): *Quis sit divitiarum modus, quæris? Primum, habere, quod necesse est; proximus, quod sat est.* Videatur idem Seneca (4), ubi mala exponit quærentium immoderatè divitias, & subdit: *Hæc accidunt, divitias non ad rationem revocantibus, cujus certi sunt fines: sed ad vitiosam consuetudinem, cujus immensum & incomprehensibile arbitrium est. Cupiditati nihil satis est: naturæ satis est parum.* Spectat etiam ad Jus naturæ, *Paupertatem æquo animo ferre.* Plura nobis ad hanc rem suppeditantur præcepta ex ethnicis Philosophis, & multò plura ex divinis Oraculis. Multus est Seneca in commendanda paupertate. Egregia sunt ethnici Philosophi effata, & Christiano digna. *Magnæ divitiæ sunt, lege naturæ composita paupertas. Lex*

Tom. II.

C c

autem

(1) Ep. 115.
(2) Ep. 2.

(1) Gen. 3. 19.
(3) Lib. de Consol. ad Helv. cap. 10. & 11.

autem naturæ, scis quos terminos nobis statuit? Non esurire, non sitire, non algere. Et intra: Is maximè divitiis fruitur, qui minimè indiget. Si ad naturam vives, nunquam eris pauper: si ad opinionem, nunquam dives. Exiguam natura desiderat, immensum opinio. Desideria naturalia finita sunt: ex falsa opinione nascentia, ubi desinant, non habent: nullus enim terminus falso est. Veritati aliquid extremum est: error immensus est. Si vis vacare animo, aut pauper sis, oportet, aut pauperi similis. Multis divitias parasse, non finis miseriarum fuit, sed mutatio. Ne imparatos nos fortuna deprehendat, fiat nobis paupertas familiaris. Securius divites erimus, si sciemus, quàm non sit grave, pauperes esse. Si vis scire, quàm nihil mali sit in paupertate, compara inter se vultum pauperis, & divitis. Sapiens pauper, & fidelius ridet, nulla sollicitudine concutitur, in alto est. Cura, velut nubes levis, transit. Horum, qui felices vocantur, hilaritas ficta est: huic gravis, & suprema superbia, licet non palam, tristitia est: eo quidem gravior, quòd interdum non licet palam esse miserum, sed inter ærumnas cor ipsum exedentes, necesse est agere felicem. Abstrahunt a recto divitiæ, honores, potentia, & cætera, quæ opinione hominum cara sunt, pretio suo vilia. Non enim, quia concupiscenda sunt, laudantur: sed quia concupiscuntur. Hæc, atque alia hujusmodi habemus ex ethnico Philosopho (1) Seneca.

Modus etiam est habendus in iis conservandis, & expendendis. Sanè ajebat Satyricus ille: *Quid prodest aurum, modico nisi fulgeat usu?* Quare non minùs contra Jus naturæ agit, qui Avaritiæ studet, ut inordinato affectu divitiis inhiat; quàm qui iis non utitur, quando expedit in bonum sive proprium, sive alienum. Qui enim, ut opes conservet, se, suosque negligit; opes amat plus quàm seipsum, vel alios, quod est contra rectum naturæ ordi-

(1) In excerptis.

ordinem. Pari modo contra *Jus naturæ* peccat, qui deficit in modo *conservandi*, & excedit in *erogando*: hinc enim oritur impotentia satisfaciendi debitis officiis erga suos sive Necessarios, sive Propinquos. Optimè hic Seneca (1): *Sunt enim, ut scis, virtutibus vitia confinia, & perditis quoque, ac turpibus recti similitudo est. Sic mentitur Prodigus Liberalem: cum plurimum interfuit, utrum quis dare sciat, an servare nesciat. Multi sunt, qui non donant, sed projiciunt: non voco ego liberalem, pecuniæ suæ iratum.* Atque hinc dignoscitur, quantum a vero legis naturalis tramite aberret, qui luxui obtemperat immoderato. Plura enim, opus est, fiant contra J. N. officia, si pro servando luxûs more nimios sumptus homo agat. Prudenter facultates dispensat accommodatè ad statum suum, qui cavet, ne cogatur *alienâ vivere quadrâ*, neve alios pecuniâ turpiter emungat, ne Artifices & Creditores, vel etiam improbi Fœneratores ejus limina dies, noctesque obsideant; ne desit ipsi, unde Amicos, & Egentes sublevet: ne denique in extremam redacti miseriam ejus Liberi jure post ejus mortem illum iaculentur.

V. Inter hæc bona & acquirenda, & conservanda accenseri debet *bona existimatio*, quæ in bono aliorum de nobis judicio consistit. Hujus profectò sive acquirendi, sive conservandi modis habilibus ratio est etiam habenda. Qui itaque *turpiter vivendo* vitam suam, & convenientes statui sup mores commaculant, contra *Jus naturæ* agunt. Qui rursus, *de aliis malè loquendo*, aliorum bonam existimationem, & famam imminuunt, contra *Jus naturæ* pariter peccant. Ac primi quidem ad rectam vivendi normam redeant opus est, & virtute, clarisque actionibus labem illam eluant, ut bonæ famæ restituantur. Exemplo sit Themistocles (2): *Contumelia non fregit eum, sed erexit. Nam cum judicasset, sine summa industriâ non pos-*

C C 2

se

(1) Epist. 120.

(2) Ex Corn. Nep. cap. 1.

se eam extinguere: totum se dedit Reipublicæ, diligentius amicis, famaque serviens. Quo factum est, ut brevi tempore illustraretur. Idcirco Ethnici ad virtutem suos hortabantur, propositâ illis bonâ aliorum erga ipsos existimatione, quam non minui, sed augeri oporteret. Magnum habes adversarium, expectationem tuam. Ita Tullius.

Qui verò *Calumniis* aliorum famam læserit, debet ex J. N. illum bonæ famæ restituere: ut dicemus, ubi *de Officiis erga Alios*. Sed qui calumniam passus est, eam refellere debet, nisi fortè *tam putidæ* sint, ut advertit Heinnecius (1), vel *auctor tam levis*, ut eas generoso contemptu vindicare præstet. Quod confirmari potest ethnici viri præceptis: *Malè de te loquuntur homines. Sed mali. Moverer, si de me Marcus Cato, si Lælius sapiens, si alter Cato, si duo Scipiones ista loquerentur. Nunc malis displicere, laudari est. Non potest ullam auctoritatem habere sententia, ubi qui damnandus est, damnat. Malè de te loquuntur: Moverer, si iudicio hoc facerent: nunc morbo faciunt. Non de me loquuntur, sed de se. Malè de te loquuntur. Benè nesciunt loqui: faciunt, non quod mereor, sed quod solent. Quibusdam enim canibus sic innatum est, ut non pro feritate, sed pro consuetudine latent.* Ita in Senecæ excerptis. Illud mihi, sæpenumero hac super re cogitanti, solamen affert, quod & Amicis repetere soleo: unicuique nempè hominum suam veluti dari spheram sive majorem, sive minorem, intra quam sua ipsius apud alios notitia omnis concludatur: neque enim ullus est, qui ab omnibus omnino, neque qui a nemine prorsus cognoscatur. Jamverò spheræ illa triplici constat hominum classe, & quidem necessariò: quorum una est *benè* homini, (de quo sit sermo) affecta; altera *malè*; tertia prorsus *indifferens* in neutram deflectit partem. His pro certo habitis: nihil utique movere debet hominem sapien-


(1) De J. N. & G. l. i. c. 6.

pientem; ubi audiet, aliquos de se, vel de alio malè loquentes; esse, dicat, de secunda classè; quibus planè satisfaciet ipse nunquam, etsi egregia patruerit facinora. Nec quidquam gloriari de se fas erit, ubi accipiet, summis laudibus ab aliis se efferri: erunt utique de prima classè, quibus vel minimæ actiones magni fiant; &, si quid etiam pravum agatur, modis omnibus defendetur. His aliisque hujusmodi animadversionibus munitum animum viri boni nihil terrebut alienæ calumniæ, quæ in Detractoris caput tandem aliquando recidant, necesse est.

Pessimus autem, ac maximè improbandus est ex J. N. modus reparandæ contra Calumniatorem famæ, ut nempe Calumniator *occidatur*: vel ut Calumniatori *falsum crimen* appingatur. Quas propositiones Innoc. XI. damnavit. *Fas est viro honorato occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter hæc ignominia vitari nequit.* Et rursus: *Quidni non nisi veriale sit, detrahentis auctoritatem magnam sibi noxiam falso crimine elidere.* Ac tandem: *Probabile est, non peccare mortaliter, qui imponit falsum crimen alicui, ut suam Justitiam, & honorem defendat: & si hoc non est probabile, vix erit opinio probabilis in Theologia.* Siquidem in primis occisio Calumniatoris non est certum medium conservandi famam, imò sæpius eam inficit: deinde uterque modus illicitus est ex J. N. quia in certam, & maximam Reip. perniciem vergit: cum præsertim quisque posset ex aliquo pravo affectu præoccupatus falso judicare, ab uno, vel alio sibi imminere infamiæ periculum: mendacium rursus semper est contra Jus naturæ: unde nullo pacto contra Calumniatorem potest licitè adhiberi, cumque versetur in re gravi, gravis quoque culpa erit. De occisione Calumniatoris redibit infra sermo.

Modus autem famæ, & honoris recuperandi esse potest, si cætera desint, Judicis auctoritas; quæ, si sufficeret ad recuperanda bona corporis, & fortunarum amissa,

sa, adhiberi deberet: nec licita esset ullo modo Raptoris occisio. Hic autem facere non possum, quin Christianis illud Senecæ effatum objiciam, quod viro naturaliter sapienti ipse objiciebat: *Si injuria Sapienti nihil lædere potest ex his, quæ propria Sapientis sunt, quia virtute suâ salva sunt; injuria Sapienti non potest fieri* (1). Et (2) dixerat antea: *ut Cœlestia humanas manus effugiant, & ab his, qui templa diruunt, aut simulacra conflant, nihil divinitati nocetur: ita quidquid fit in Sapientem protervè, petulanter, superbè, frustra tentatur. Optimam menti inferendam sententiam!*

(1) *Liv. de Const. Sap. c. 5.*(2) *Cap. 4.*

DISSERTATIO VIII.

Autochiriam , sive Suicidium esse contra Jus naturæ : verum nempe homicidium sine debita auctoritate : Quod probatur multiplici ratione . Quid ex Grotio contra Suicidia ? Resolvuntur nonnulla , quæ adduci possent pro Autochiria . Error Donatistarum , seu Circumcellionum : similis error Stoicorum . Vera circa Suicidium Doctrina . Nonnulla de indirecta sui occisione , ac de mutilatione . Et potissimum de Eunuchis .

I. **N**ON adeò frequentia apud Veteres legimus exempla hominum in se sævientium , quemadmodum nostris hiæce temporibus fieri novimus . Suicidium apud Anglos ab Auctore *de spiritu legum* asseritur tamquam effectus morbi originem habentis in statu physico machinæ , nec ab alia causa oriri potest . Factâ deinde analysi rei hujus , subdit : *In Anglia non adnumerari inter crimina , quemadmodum non accensentur insanæ mentis effectus* . Equidem non inficior , quædam suicidia tribui posse phrenesi , atque ita ut inter crimina nequeant referri , utpote ab animo citra rationis usum patrata ; ac revera apud Anglos non admodum rarus est hujusmodi morbus . At omnia Anglorum suicidia , atque aliorum etiam tribuere vel defectui , vel vitio succi nervæi , (quemadmodum Auctor ille obtrudere nititur) ita ut oriri ab alia causa non possit , est plane totum velle machinæ tribuere , nihil autem spiritui . An pari modo ratiocinando , dicere alius possit de alio quodam affectu , nempe tribuendum esse humorum combinationi , & vi elasticæ machinæ materialis , (quod in horrendum materialistarum Systema recidit) , vel juvenili insanie ? Quo sanè medio omnia omnino flagitia patrociniū nascercerentur . Sed age , inspiciamus , de hac re ex Jure naturæ quid sit dicendum ?

Equi-

Equidem illud ajo, quod plerique omnes J. N. Scriptores, nempè: *Autochiriam* esse verum homicidium, quod illicitum omnino est ex J. N., sine debita auctoritate. Neque enim refert, an quis alium, an seipsum interficiat: quia jus in se non magis habet, ac in alium. Plura congeruntur ex lumine ipso rationis desumpta argumenta ab auctoribus contra *Autochiriam*. Sic 1. Homo in corpus suum nullam habet potestatem, nisi ad illud tuendum; nec ullum Jus nisi ad illud conservandum. 2. Ex omnium sententia homo non sui tantum causâ creatus est, sed & aliorum, & præcipuè Dei. Unde 3. hoc jus aliis, & Deo quæsitum auferre nemo sine injuria potest. 4. Deo parere debet homo, adeoque stationem, quam ei commisit, non deserere. 5. Conjunctio Animæ, & Corporis est ex Deo: non licet ergo homini illam dissolvere. 6. tandem exemplo nationum moratorum, ex lumine rationis eam improbantium. Videatur Henricus de Cocceii (1). Malè autem Samuel de Coeicii ibidem subdit: *pro autochiriæ licentiâ, totidem esse auctoritates affirmantium, quot negantium*. Si quidem verum est, apud Judæos, & Americanos, ubi error *Metempsychosis* vigeat, pro virtute habitam esse: & apud Christianos citari a Coccejo auctoritatem Donnij (2), qui errorem hauserat *metempsychosis*; quo pariter errore laborant mea sententiâ plerique Anglorum, qui *autochiriam* amplectuntur. Cæterum communis fuit Sapientum sententia, Stoicis exceptis: lumine ipso naturali repugnare *autochiriam*; & quamvis primâ fronte videatur species esse quædam fortitudinis, ac virtutis: revera infirmitatis indicium est, stultitiæ, & insanix: quod apprimè notavit Martialis, ubi dixit:

*Hoslem dum fugeret, se Fannius ipse peremit.
Nonne hæc stultitia est, ne moriari, mori?*

Et

(1) Comm. ad lib. 2. c. 1. §. 18. Grotii. (2) A. D. Lips. ad an. 1707.

Et alibi argutè simul, & sapienter ajebat :

Rebus in adversis facilè est contemnere vitam :
Fortiter ille facit , qui miser esse potest (1) .

Virgilius pariter eodem rationis lumine ductus pœnas apud inferos suicidis posuit :

Proxima deinde tenent mœsti loca , qui sibi lethum
Infontes peperere manu , lucemque perosi
Projecere Animas . Quàm vellent æthere in alto
Nunc & pauperiem , & duros proferre labores (2) .

Pari modo loquitur Tullius in somnio Scipionis , licèt alibi videatur oppositum approbare . Et longè autè Pythagoras dicere consueverat : *Injussu Imperatoris , idèst Dei , de præsidio , & statione vitæ non esse discedendum .* Apud Stanlejum (3) .

II. Grotius (4) advertit , in more positum apud Hebræos , non sepelire eos , qui sibi mortem consciverant ; citatque Josephum , qui revera , ait , eorum cadavera usque ad Solis occasum manere insepulta . Grotius deinde , ut sententiam illam confirmet , non esse scilicet sepelienda cadavera eorum , qui seipsos occiderunt , non incongruam profert rationem , quæ utique præ oculis haberi posset a Principibus , ut Autochiriæ insania ab hominibus caveretur . Ait enim : *Cùm in hos aliud supplicium constitui non possit , qui mortem pro supplicio non habent . Sic Milesiæ Virgines a voluntaria morte absterritæ , & plebs olim romana , quamquam improbante Plinio . . . & passim receptum , ait Aristotiles , at ignominia aliqua afficiantur , qui sibi mortem consciverunt : ubi Andronichus Rhodius id ex-*

Tom. II.

D d

ponens ,

(1) Lib. II. Epig. 57.

(3) In ejus vita P. 3. Sect. 1. c. 2.

(2) Æncid. vi.

(4) L. 1. c. 19. §. 5.

ponens, ait, *Sepulturá eorum Corpora prohiberi . . . Neque huic mori obstat, quód Homerus, Æschylus, Sophocles, Moschio, & alii monent, nil sentire Mortuos, quare nec damno, nec pudore affici. Satís enim est id, quod Mortuis accidit, a Vivis metui, ut hoc pacto a peccato retrahantur. Hæc autem ratio videtur potior esse, & Coccejo ipsi valde probatur.*

III. Sunt verò ex adverso nonnulla, quæ ad autochirizæ licitam permissionem aliquando saltem facere videntur. Sed hæc satis claram habent responsionem. Grotius (1) proponit aliquot exempla e sacris Libris deprompta; unde *autochiria* quodammodo approbari videatur. 1. exemplum Sampsonis (2): 2. Saulis (3): 3. Raziæ (4): 4. aliquorum, qui in Martyrum numero accensentur ab Ecclesia. Putat autem Grotius, sic prædictos omnes posse excusari; *quód videant, se viéturos in opprobrium Dei.* Sed ratio hæc non probatur Coccejo ibidem adnotanti: *nunquam in opprobrium Dei vivit, qui innocens infamiam patitur: adeoque hæc ratio non sufficit, neque eò referri exempla allegata possunt.* Verùm & aliam subdit Coccejus ipse rationem, ut eos a tanto scelere eximat; nimirum de Sampsonem; *quód obeundo mortem, & Patriæ prodesset, & ulcisceretur Inimicos.* De Saule: *quia majore dolore, & infamiâ periturus erat.* De Raziâ: *ex eo, quód periturus erat, adeoque licitè prævenit;* & subdit, librum secundum Machabeorum esse *apochryphum.* Tandem de iis, quos inter Martyres adscripsit Ecclesia, Augustini verba producit (5): *De his nihil temere audeo judicare: veram enim Ecclesiâ aliquibus fide dignis testimoniis, ut eorum memoriam sic honoret, divina*

(1) L. 2. c. 19. §. 5.

(2) Jud. 16.

(3) 1. Reg. 31.

(4) 2. Mach. 14.

(5) L. 1. c. 26. de Civ. & Ep. 61. ad Dulc. & l. 11. c. 13. contra Gaud. ep.

vina persuaserit auctoritas, nescio, & fieri potest, ut ita sit. Hæc Henricus Cocceii ad locum prædictum Grotii.

At neque mihi probanda est Cocceii explicatio multiplici ex capite. Profectò nec *Patriæ sulus*, nec *ultio Inimicorum* Autochiriæ scelus permittunt; neque ad evitandum *majorem dolorem*, & *infamiam* potest licitè quis in seipsum sævire: quæ sunt Cocceii rationes; unde ex dictis rationibus malè infert Coccejus posse homines, adhibitâ in consilium ratione, in autochiriam devenire. Aliâ tamen viâ exemplis illis est satisfaciendum, nempe, ut ait Augustinus (1) per *divinam specialem inspirationem*: sunt idcirco exempla admiranda quidem, sed non imitanda. Tali modo Sampson excusatur ab Augustino (2) ubi post relata aliqua hujusmodi exempla ait: *Si enim hoc fecerunt, non humanitus deceptæ, sed divinitus jussæ, nec errantes, sed obedientes. Sicut de Sampson aliud nobis fas non est credere.* Et apud S. Thomam (3) ubi dicitur: *Nec Sampson aliter excusatur, quod seipsum cum hostibus ruinâ domûs oppressit, nisi quod latenter Spiritus Sanctus hoc jusserat, qui per illum miracula faciebat.* De Razia notat Lessius (4), potuisse excusari per *ignorantiam invincibilem*; quod confirmare videtur S. Thomas (5), ubi ostendit, non esse adeo *evidens malum*, ut inculpatè non possit ignorari, Autochiriam nempe repræsentatam sub aliqua specie fortitudinis, quamvis revera nec licita sit de se, nec veram fortitudinem contineat: *quod aliquis sibi ipsi inferat mortem, ut vitet mala pœnalia, habet quidem quamdam speciem fortitudinis; propter quod quidam seipfos interfecerunt, æstimantes se fortiter agere: de quorum numero Razias fuit. Non tamen est vera fortitudo, sed magis quædam mollities animi non valentis mala pœnalia sustinere, ut patet per*

D d 2

Phi-

(1) L. 1. c. 21. de Civ.

(2) De Civ. l. 1. c. 26.

(3) 2. 2. q. 64.

(4) L. 2. c. 9.

(5) Loc. cit. ad 5.

Philosophum (1), & per *Augustinum* (2). Hoc ipsum visus est exprimere Scriptor libri II. Machabæorum (quem librum Catholica Ecclesia post Tridentinum inter Canonicos recepit juxta SS. PP. traditionem) ubi de Razix ipsius, seipsum occidentis, mente sic loquitur: *eligens nobiliter mori potius, quam subditus fieri Peccatoribus, & contra natales suos indignis injuriis agi*. Sic namque in eo patrandi facinore secum ipse reputabat. De Saule incerta manet Patrum sententia, multis de ejus salute benè opinantibus, aliis contra sentientibus; nec idcirco in exemplum potest ipsius mors adduci.

De iis verò, quos ut Martyres coluit Ecclesia, plura habemus exempla apud Ecclesiasticos Scriptores. Refert Eusebius (3): Mulieres quasdam, cum ad Tyrannum ducerentur, de suamet honestate sollicitas in flumen se præcipites dedisse. Ambrosius idem narrat (4). De S. Pelagia duas habuit orationes S. Joannes Chrysostomus (5), eamque laudat, quòd, ne jacturam Virginitatis pateretur, e sublimi tecto se præcipitaverit. S. Augustinus (6) refert, ejusdem Pelagiæ, ac Sociarum Martyria in Ecclesia Catholica veneratione celeberrimà frequentari. Pari modo scribit Athanasius (7), nonnullas Virgines Alexandrinas, dum grassarentur in eas Ariani, sese in puteos præcipites egisse. De S. Apollonia narrat Eusebius (8), & Dionysius Alexandrinus (9), seipsam in rogum conjecisse; & ab Ecclesia ejus memoriam in antiquis Martyrologiis celebratam

his

- (1) In 3. Ethic.
- (2) In 1. de Civ. Dei.
- (3) Lib. 8. c. 12. & 17.
- (4) Lib. 3. de Virginibus ante medium.
- (5) Apud Lipom. to. 7. & Sur. to. 3.
- (6) L. 1. c. 26. de Civit.
- (7) In Apol.
- (8) L. 6. c. 33.
- (9) In Epist. ad Fabium Episcopum Antiochenum.

his verbis habemus : *Constructo , ac succenso rogo , cum comminarentur , vivam se eam incensuros , nisi cum eis impia verba proferret : illa paululum intra semetipsam deliberans , repente se de manibus impiorum proripuit , & in ignem , quem paraverant , majori Sancti Spiritus flammâ intus accensa sponte profiluit , ita ut perterrentur etiam ipsi crudelitatis Auctores , quod promptior inventa esset ad mortem Femina , quam Persecutor ad pœnam .* Alia hujusmodi exempla referuntur ab aliis Auctoribus , & a Palladio (1) .

Hæc autem exempla a SS. PP. proferuntur non veluti ad imitationem proposita , sed citius ad admirationem ex illo speciali Sancti Spiritus lumine , atque ardore , quo præventæ , & præoccupatæ Virgines illæ ratiocinationi locum non dederint , putantes eo in instanti licitam , honestamque rem se agere . Quinimmo & Dei jussibus visæ sunt obtemperare , ut adnotavit Augustinus : *non humanitus deceptæ , sed divinitus jussæ , nec errantes , sed obedientes* Cum autem Deus jubet , seque jubere sine ullis ambagibus intimat , quis obedientiam in crimèn vocet ? Quis obsequium pietatis accuset (2) ? Atque hic non opus est , constat , revelatione quadam expressâ , sed solam illam mentis firmam de Dei voluntate persuasionem satis fuisse . Quid ? quod in aliquo gravissimo periculo ; ne scilicet castitas lædatur , non est ita evidens malum sui ipsius occisio , ut ignorari citra culpam non possit ? Pro qua re citat Lessius (3) S. Hieronymi effatum , (4) ubi sic ait : *In persecutionibus non licet propriâ perire manu , absque eo , ubi castitas periclitatur .* Ceterum dicendum est revera , nullo in casu de se licitam esse autochiriam , quod ex lumine ipso naturali , nedum ex doctrina Patrum constat . Etenim sui ipsius occisio non est unquam , nec esse potest

me-

(1) C. 150. historię Lausiacz
(2) Loco cit.

(3) L. 2. c. 9. n. 23.
(4) In c. 1. Jonæ propè finem .

medium de se necessarium ad vitandum peccatum ; vel ad vitandum aliquod malum , quod ipsa morte sit majus .

IV. Sanè error fuit Donatistarum *Circumcellionum* tempore Constantini Imperatoris asserentium , hominem seipsum interimentem esse Martyrem ; quos damnavit Concilium Bracharense (1) ; contra quos scribunt SS. PP. & præ cæteris Augustinus (2) : *Hinc enim quidam maligni, atque perversi homines, & in seipsis crudeliores, & sceleratiores homicidæ, flammis se donant, aquis se præfocant, præcipitio se collidunt, & pereunt. Hoc Christus non dicit, imò etiam diabolo præcipitium suggerenti, respondit, Redi retrò Satanas... Petro autem dixit, significans, quæ morte clarificaturus erat Deum: Cùm esses junior, cingebas te, & ambulabas quò volebas: cùm autem senueris, alius præcinget te, & ducet, quò tu non vis: ubi satis expressit, non a seipso, sed ab alio debere occidi, qui vestigia sequitur Christi. Videatur idem Augustinus pluribus in locis, præsertim ubi ait (3) : Hoc dicimus, hoc asserimus, hoc modis omnibus approbamus: Neminem spontaneam mortem sibi inferre debere: velut fugiendo molestias temporales, ne incidat in perpetuas; neminem propter aliena peccata, ne hoc ipso incipiat habere gravissimum peccatum, quem non pollebat alienum; neminem propter sua peccata præterita, propter quæ magis hac vitæ opus est, ut possint pœnitendo sanari; neminem velut desiderio melioris vitæ, quæ post mortem speratur: quia reos suæ mortis melior post mortem vita non suscipit.*

In eandem propè sententiam loquitur S. Chryso-
stomus (4) explicans verba illa Pauli: *Ut eriperet nos ex præsentis sæculo malo*; ait: *Hoc dictum alii arripiunt hæretici*

(1) Apud Lugo de Just. d. 10. n. 1. & Mendo in stat. d. 4. n. 43.

(2) Tract. 51. In Jo:

(3) Toto scere lib. 2. contra Epist. Gaud. & l. 1. de Civ. a c. 17. ad 28. clarissimè autem loquitur c. 26.

(4) In Epist. ad Gal. 1.

retici damnantes hanc præsentem vitam, & in hoc Pauli testimonium allegantes: Ecce, inquit, præsens sæculum appellat malum. Deinde subdit: Proindè cum audis malum sæculum, intellige prævas actiones, propositum animi corruptum. Tum concludit: Quid si non pateris hanc interpretationem, sed adhuc prædicas, hanc vitam esse malam: ne crimineris eos, qui sibi ipsis consciscunt necem. Ut enim qui se subducit malis, non criminationem meretur, sed coronam promeretur: ita qui violentâ morte, seu laqueo, seu aliis modis vitam abrumpit; hunc haudquaquam æquum fuerit in crimen vocari juxta vestram sententiam: nunc verò Deus illos acriter punit, quàm homicidas, & nos omnes eos detestamur. Atque id jure, meritoque. Nam si alios occidere fas non est, multò magis nefus est, seipsum occidere.

Quare Stoicorum more loquebatur Seneca (1), ubi Deum inducit adhortantem, & ad robur excitantem, atque hæc inter alia præferentem: *Ante omnia cavi, ne quis vos teneret invitos. Patet exitus. Si pugnare non vultis, licet fugere. Ideoque ex omnibus rebus, quas esse vobis necessarias volui, nihil feci facilius, quàm mori. Prono Animam loco posui: trahitur. Et post plura hujusmodi dicta, concludit: Ecquid erubescitis? Quod tam citò fit, timetis diu?* In his verò stoicum ethnicum se prodidit Seneca, & lumen rationis rectum illi defuit. Idcirco hanc fortitudinis larvam irridebant meritò alii Philosophi, quos inter Plato, & Socrates, qui exemplo utuntur Militis stationem servantis, & quidvis ferentis citius, quàm desertionem: quod sanè est veræ fortitudinis argumentum. Cicero pariter in somnio Scipionis expressè ait: *homini nullum esse Jus eijciendi Animam e Corpore, cum ea sit Auræ particula divina.*

V. Nulla ergo dari potest homini ad se occidendum honesta ratio. Optari quidem potest mors aliquibus ex causis

juxta

(1) Extremo libro de Providentia.

juxta illud (1): *Melior est mors, quàm vita amara*. Et illud Populi Betulienſis: *Sit finis noſter brevis in ore gladii, qui longior efficitur in ariditate fitis* (2). Non poteſt tamen a ſe ſibi ipſi dari pro nullo caſu. Non quidem ad vitandas vitæ hujus ærumnas, ut vidimus: neque propter enorme aliquod ſcelus patratum, ut benè advertit S. Auguſtinus (3), & S. Thomas (4) optimam profert rationem: *Tum quia in hoc ſibi maximè nocet, quòd ſibi adimit neceſſarium pœnitentiæ tempus: tum etiam quia malefactorem non licet occidere, niſi per judicium publicæ poteſtatis*. Neque rurfus ut vitet aliquod peccatum. Sic non licet Mulieri ſe interficere, ne ab alio corrumpatur, ajente S. Thoma (5): *Quia non debet in ſe committere crimen maximum, quòd eſt ſui ipſius occiſio, ut vitet minus crimen alienum. Non enim eſt crimen Mulieris per violentiam violatæ, ſi conſenſus non adſit: quia non inquinatur corpus, niſi de conſenſu mentis, ut Lucia dixit. Conſtat autem, minus eſſe peccatum fornicationem, vel adulterium, quàm homicidium, & præcipuè ſui ipſius, quòd eſt graviſſimum: quia ſibi ipſi nocet, cui maximam dilectionem debet. Eſt etiam periculoſiſſimum, quia non reſtat tempus, ut per pœnitentiam expiatur*. Exinde ſuperiùs adducta exempla peculiari Spiritùs Sancti impulſui tribuenda eſſe, diximus. Tandem neque licita eſt autochiria ob timorem, ne quis in peccatum conſentiat. Non enim ſunt patranda certò mala, & quidem majora, ut vitentur mala minùs certa, & minora. Incertum quidem eſt, an aliquis in futurum alicui peccato conſentiat: poteſt enim divino auxilio peccatum quodvis vitari. Deinde clariffimè patet, occiſionem ſui ipſius non eſſe medium *de ſe* neceſſarium ad vitandum peccatum, vel ad vitandum aliud quodcunque malum, quod concipi poſſet morte ipſa horribilius. Sed

(1) Eccl. 30. v. 17.

(2) Jud. c. 7. v. 17.

(3) Loc. cit.

(4) 2. 2. q. 64. ar. 3. ad 3.

(5) Loc. cit.

Sed ponamus hominem publicâ fungentem auctoritate simulque improbum, ac facinorosum: hic sanè, quemadmodum exercere posset auctoritatem contra alios improbos, ac scelestos, & eos morte damnare, possetne idem agere adversus seipsum, seque morti addicere? Minimè quidem. Habens a Republica, & a Deo potestatem non nisi tanquam Judex ferre potest contra Reos sententiam. Quis autem dicat, hominem fuisse a Republica constitutum sui ipsius Judicem? Non poterit ergo seipsum judicare legitimè, & contra seipsum sententiam mortis pronunciare; sed aliorum se judicio committere, ab iisque impositam sibi poenam ferre debet.

Major est difficultas in homine ad mortem legitimè damnato, cui a Judice committatur mortis executio. In hoc enim casu non videtur agere contra amorem sibi debitum: cum jam sit morti destinatus. Neque contra præceptum *non occides*: quia non occideret innocentem, sed reum; neque ex propria auctoritate, sed ex Judicis mandato, nec sine Juris ordine. Accedit, posse a Judice illi permitti electionem cujuscunque generis mortis, etiam mitioris, ut venâ abruptâ, veneno hausto, corde transfixo; alioquin subituro acerbissimam. Profectò homini sic constituto licere putant aliqui, mortis sententiam in seipsum exequi, puta, venenum bibere, venam aperire, se in ignem conjicere; quemadmodum potest in se exilii poenam exequi. Tunc enim homo ministrum publicum agere videtur in seipsum, & legitimam habere potestatem in sui ipsius occisione. Videatur Franciscus Victoria (1), ubi docet, eum, qui damnatus est, ut veneno pereat, posse illud haurire, imò posse ad hoc obligari; & alii (2).

Verùm, & in hoc etiam rerum articulo constitutus
 Tom. II. E e homo

(1) Relect. de homic. n. 30.

(2) Aragon. q. 69. ar. 4. Corduba l. 1. q. 36. Haunol. 1. de Just. to. 1. lib. 3. n. 612. Illung. tom. 4. q. 3. n. 66.

homo videtur non posse exequi in se mortis sententiam. Placet Lessii ratio (1), quia sicut nemo est idoneus executor sententiæ mortis in Parentem ob reverentiam illi, qui est principium vitæ, debitam; & ob naturalem conjunctionem: ita multo minus in seipsum. Est enim actio directè pugnans cum recta inclinatione naturæ; siquidem nulla res seipsam ullo casu perimere intendit. Nulla ergo dari potest legitima auctoritas, & potestas in sui ipsius occisione.

VI. Non eodem modo, ac dictum hæctenus est de sui ipsius *directa* occisione, ratiocinandum est de *indirecta*, quæ oriri potest vel ex actu aliquo, vel ex omissione actûs alicujus, unde certò dignoscatur sequuturus interitus. Possunt enim dari aliquando casus, in quibus ex justa, honestave causa homo aliquid agat, vel aliquid omittat, unde mors certò sequatur. Præceptum siquidem conservandi vitam, utpote affirmativum, quemadmodum scholæ loquuntur, non semper urget; sed concurrere potest vel cum alio præcepto negativo urgente semper, vel cum aliquo honesto fine virtutis; ubi vel absolutè colliditur, vel etiam cessare potest ab obligatione. Illud autem cavendum est, ne in actu illo ponendo, vel in actûs illius omissione, unde homo vitam amittat, intendatur mors ob vitæ odium; sed mens in finem honestum (qui semper necessariò dari debet) dirigatur. Sit primæ hypothesi exemplum in homine ita constituto, ut, nisi polluatur, mori necesse sit. Cùm in homine isto concurrant bina præcepta, quorum alterum negativum *de non se polluendo*, & quidem ex J. N. Repugnat enim Juri naturæ, ut aliquid de se ad generationem hominis destinatum profundatur: Et præceptum *affirmativum* conservandi vitam: Cùmque illud de se obliget semper, hoc secundum in hac hypothesi cessat omnipot. Pari modo ob finem honestum virtutis potest quis pe-

ste

(1) De Justit. l. 2, c. 9, dub. 6, n. 26.

se afflatis ministrare , quamvis cognoscat fore certò moriturum . Sic etiam miles ex justa causa stationem suam non deserit in communi periculo , etsi certus sit se fore occidendum . Et Reus potest non fugere a carceribus , quamvis certò sciat ad mortem damnatum iri ; imò posset se Judici sistere puniendum amore Justitiæ .

Posset autem inquiri , utrum teneamur modis omnibus vitam producere ex J. N. ? Ubi distinguenda sunt hæc duo , nempe *Vitam intento studio imminuere* , & *vitam intento studio producere* . Sanè primum illud opponitur curæ , quam ex J. N. habere tenemur , conservandi vitam : secundum addit singularem quamdam diligentiam vitæ modis omnibus juvandæ . De I. illò non est dubium , cum nemo sit absolutè dominus vitæ suæ , ut suprà dictum est . De II. asserimus , non teneri ad hujusmodi singularem curam adhibendam , ut vita diutius protrahatur ; plura enim sequerentur absurda contra certissima J. N. principia . Sic nemo teneretur cibis , melioribus vesci , dummodo habeat , qui satis sint ad sustentationem ; nisi fortè viliores grave incommodum afferant valetudini . Nemo etiam teneretur media extraordinaria ad vitam producendam adhibere : nisi fortè id postulet bonum commune Reipublicæ . Tenemur enimverò consulere Medicos in ægritudine , si fieri potest ; & uti cibis , & potionibus salutaribus : quia sunt media ordinaria . Non tenemur autem admittere tibie sectionem cum acerbissimo dolore , vel Lithotomum advocare ; etiamsi , nisi id fiat , prævideatur sequutura mors : cum hujusmodi actiones sint media extraordinaria . Teneretur autem ad illud exequendum , si in damnum Reipublicæ cederet mors , & remedium illud esset omnino certum .

Sed quid erit definiendum de homine injiciente ignem in pulverem nitratum sive intra suam navim , ne in hostium manus incidat : sive in turri hostili , ut illam demoliat : quamvis ex navis combustione , & ex turris ruina

sciat se fore interiturum? Videtur sanè esse quædam species non quidem *directæ* sui ipsius occisionis, sed *indirectæ*: neque enim mors propria intenditur; sed actus alius, qui potest esse honestus *ex fine*, quem habet agens: ac proinde *ex eo fine* pendet hypothesis resolutio.

De sui ipsius *mutilatione* nunc pauca. Licita quidem est membri alicujus mutilatio, quando necessaria est ad salutem: ut si cancer membrum occupet; si vipera, vel aspis mordeat, nec aliud remedium præsto sit. Etenim membra sunt ad bonum corporis totius destinata, & vitæ hominis inserviunt. Si ergo bono totius expedit, ut abscindatur pars, Jus naturæ dicat, posse illam abscindi. Quare si ad evadendam mortem necessaria sit abscissio manûs, vel pedis, catenâ obligati; poterit quis licitè illam partem sibi refecare: pars enim jure postponitur toti. Ubi tamen hæc necessitas cessat, non licet membrum sibi aliquod amputare: non enim in corpus nostrum Jus omnè absolutum habemus. Quare clarissimè patet, quantum a verò aberraverint, qui ad sedandas tentationes putârunt, licere amputari membrum aliquod: quod utique adnotavit Can. 1. Concilii Nicæni. Non enim contra prædictas tentationes necessaria est hujusmodi mutilatio. Membra enim non sunt de se homini perniciofa (nihil enim Deus in perniciem hominis condidit): sed cuique sua voluntas perniciem parit. Optimè hîc S. Thomas (1): *Saluti spirituali semper potest aliter subveniri, quàm per membri præcisionem: quia peccatum subjacet Voluntati. Et ideo in nullo casu licet membrum præscindere propter quodcunque peccatum vitandum.* Quid? quòd neque ea mutilatio sæpissimè utilis est? Consulantur ea, quæ fusè tradunt hac super re SS. PP. Basilius (2), ubi id probat rationibus, & exemplis, Chrysostomus (3), Augustinus (4). Siqua verò referuntur in

(1) 2. 2. q. 65. ar. 1. ad 3.

(2) Lib. de Virginit. circa finem.

(3) Hom. 63. in Matth.

(4) Lib. 6. contra Jul. c. 52.

in Sanctorum Virorum historiis de hujusmodi mutilationibus: ut de S. Marco Anachoreta, qui pollicem sibi abscidit ex animi demissione, ne posset sacris altaribus, quibus se indignum reputabat, ministrare, apud Baronium (1). Et de Adolescente, qui linguam dentibus sibi amputavit, & in Meretricis faciem, ut ab ejus impuro contactu se tueretur (cùm aliter non posset) expuit, apud Hieronymum (2); atque alia hujus generis; explicanda sanè sunt, quemadmodum suprà explicuimus ea, quæ ad Autochiriam spectant, ex peculiari nempè Spiritus sancti impulsu.

Cæterùm S. Ambrosius (3) damnat hetruscum Juvenem, quem veteres fabulæ ferunt, quum propter admirandam oris pulchritudinem feminas in sui amorem accenderet, stigmatibus inarâsse vultum suum, nequa eum admiraret.

Si verò in ea sit aliquis constitutus circumstantia, ut, nisi membrum sibi amputet, ab alio sit occidendus: erit tunc ad conservationem vitæ necessaria mutilatio, & ipsa licita erit, si fiat nimirum ab homine de suismet membris ad conservationem totius potente disponere. Ait enim S. Thomas (4): *Unicuique commissa est cura salutis*: unde deduxit optimè; licitum esse unicuique abscindere membrum ad salutem totius, ut paulò superiùs dictum est.

Sed aliquid addamus de *Eunuobis*, an licitum sit vel seipsum, vel alios castrare? In primis licitum est, pati ejusmodi excisionem a Chirurgo ex necessitate valetudinis juxta superiùs dicta. Idem dici debet de ipsomet Ægro fecandi perito, si ob prædictam causam seipsum mutilet. Intelligendum est autem de necessitate salutis corporeæ, alioquin in discrimen vocandæ, nisi excisio adhibeatur. Licet enim est ex J. N. prospicere bono communium dispendio partis: nimirum pars est propter totum, & peribit

(1) Tom. 1. Annal. ad An. 45.

(3) Lib. exhort. ad Virg.

(2) In vita Pauli sub. icrit.

(4) 2. 2. q. 65. ar. 1.

bit ipsa quoque, nisi salutis totius eâ ratione consulatur.

Nonnulli primis Ecclesiæ temporibus occasione verborum Christi: *qui seipfos castraverunt propter regnum Cælorum*, ut præsidium continentix ab exsecutione peterent, castrationem non modò licitam, sed & laudabilem prædicârunt. Sanè primi fuere Valesii circa finem sæc. II. Quorum errorem secutus est Origenes. Verùm castratio propter hanc rationem facta jure naturæ illicita est; & patet ex eo, quòd non membra, sed propriæ voluntatis actus homini perniciem inferant. Neque enim Deus naturæ auctor naturam ipsam nostram pravè constituit. In hac sententia sunt communissimè Patres, Chrysostomus (1), Basilus (2), Ambrosius (3), atque alii, de quibus supra.

Nonnulli etiam ad amovendam suspicionem, licitam putârunt castrationem. Sed res hæc admitti nequit; cùm ex una parte non desit modus alius ad præcavendas calumnias, præsertim per cautam, & sollicitam bonæ famæ conversationem cum sexu molliore; & per indiligentem Corporis curam; & ex alia parte experienciâ compertum est, exsecutos in cœno turpitudinis non rarò fuisse deprehensos.

Neque ad honores publicos, & ad munera captanda licita est castratio. Profectò olim Principum Aulæ *Eunuchis* redundabant: de quibus historiæ narrant; quamquam non omnes, qui *Ennuchi* dicebantur, revera fuerint evirati; ut inter alios putatur de *Potiphare Eunuchò*, de quo narratur (4) habuisse *Uxorem* (5). Non licet, inquam, ad hunc finem mutilatio. Siquidem in Jure naturæ potiores partes obtinet Corpus ipsum præ quolibet honore. Exectio autem partis illius notabilem facit temperamenti, & totius

(1) Hom. in c. 5. ad Galat. & in c. 19. Matth.

(2) Lib. de vera virginit.

(3) Lib. de Viduis sub fin.

(4) Gen. 39.

(5) Vid. Theoph. Rayn. tom. XIV. c. 5. §. 4.

totius corporei habitus mutationem, ac deformitatem.

Supereft, ut expendamus, an ad fervandam vocem musicis concentibus necessariam, licita fit prædicta castratio? Profectò hisce temporibus nemo unus invenitur, qui alium ob finem excidi velit, præter hunc, qui ad musicos concentus refertur. Jamverò non ad honestam oblectationem tantùm, sed ad ea, quæ divinum cultum spectant, in sacris templis splendidiùs peragenda, musicem conferre plurimùm, certum est. At concentum musicum sine vocibus acutis haberi minimè posse, constat: & vox Exectionum constanter acuta est, ut experientiâ compertum est, ejusque rei causam profert Disarius apud Macrobius (1). Idcirco putârunt Nonnulli, licitam esse dictam exfectionem *ea de causa*, ubi nimirum puer sit jam sui juris, & rationis usu sufficienti polleat, & evirari consentiat. Cùm enim per hujusmodi exfectionem a conjugio excludatur juxta declarationem Sixti V., nec absque dispensatione in Clerum sit admittendus: patet, injustè tale incommodum invito arrogari. Hæc autem ratio satis evincit, illicitam censeri communiter exfectionem factam a Parentibus Infanti nondum rationis usu pollenti. Videatur Pasqualigus primam opinionem latè defendens (2), hac potissimùm ratione: ut vitetur majus malum, nempe dispendium vocis acutæ, (a qua tanta commoda sperari possunt, & insignis præcellentia, atque æstimatio obtineri) eligitur licitè minus malum, nempe carere didymis. Accedit commune bonum ex utilitate musices, & divini Cultus ex musico concentu incrementum.

Verùm in opposita sum sententia, quam ex J. N. veram omnino puto cum doctissimis compluribus Auctoribus, ut viderè licet apud Raynaudum loc. cit. Maximi enim apud me est momenti argumentum illud ex J. N. petitum,

(1) Lib. 7. Saturn.

(2) Decis. 498. & in qq. Canon. centur. 1. q. 100.

tum, nempe in officiis Juris naturæ potiores partes Corpus obtinere præ reliquis bonis externis. Non ergo nisi per injuriam corpori integritas aufertur ad obtinenda bona externa inferioris pretii; quæ sanè aliunde etiam obtineri possunt, nec pendent unice ex dicta mutilatione. Homo deinde non est corporis sui, suorumque membrorum dominus ita, ut citra rationis rectæ lumen possit de aliqua eorum parte disponere. Quid? quòd ex Medicorum assertionibus plura alia corpori Eunuchorum ob prædictam extinctionem incommoda oriri conspiciuntur, quæ maximè inhonestam reddunt in communi hominum existimatione Eunuchorum conditionem?

De Eunuchis ad musicos divini cultus concentus inductis, illud asserere mihi videtur. Hujusmodi morem non extitisse in Ecclesia Christi usque ad sæculum XII. colligitur ex iis, quæ scribit Balsamon ad Canonem IV. Synodi Truliani, ubi notat, Græcos contra veterem Ecclesiæ consuetudinem invexisse Eunuchorum concentus in templis. Ceterùm teste Baronio (1), *vetus mos fuit, & in præsens obtinet usus, ut impuberes pueri ob vocis elegantiam ad canendas res ecclesiasticas modulis musicis imbuerentur*. Producit insuper Baronius ibi nonnullos Prudentii Fortunati versus (2), ubi florentissimum Ecclesiæ statum sub S. Germano ejus Episcopo describit, nimirum sæc. V.

*Hinc Puer exiguis attemperat organa cannis,
Inde senis largam ructat ab ore tubam.
Cymbalicae voces calamis miscentur acutis,
Disparibusque tropis fistula dulce sonat.
Tympana rauca senum puerilis fistula mulcet,
Atque hominum reparant verba canora lyram.*

Pueri

(1) In not. ad Mart. rom. 73. Julii.

(2) Lib. 2. carm. ad Cler. Paris.

Pueri itaque hujusmodi possent ad concentus musicos adhiberi, quin deformaretur humani corporis constitutio: unisque per ætatem vocem mutantibus, alii succedere possent, qui partes concentui musico congruas explerent. Observamus enim, Eunuchos Senes musicæ pari modo ineptos fieri, & a concentibus abstinere, locumque recentioribus cedere: vitamque miserrimâ in ægritudine ducere.

Illud subdo, posse ex causa valetudinis, ut dixi, aliquem licitè castrari; quo præstito, nihil vetat, quominus artem musicæ condiscat, & ratione morbi emolumenta superiùs prolata tandem consequatur.

Quare præter hunc casum improbandus mihi videtur ex jure naturæ mos exsecandi pueros ad merum aliorum oblectamentum in musicis concentibus: nec in benè morata Republica puto consuetudinem prædictam laudari, sed merè permitti, quemadmodum de *Meretricibus* dici solet: cùm præterea nemo quærat, num Eunuchus exsecutionem passus sit valetudinis ergo, & deinde Musicæ destinatus? Sanè & Jus divinum positivum apud Hebræos pluribus in locis (1) prædictam evirationem improbat. Jus pariter ecclesiasticum Eunuchos irregulares esse jubet. Ac tandem Jus ipsum civile Adriani Imperatoris edicto (2), castrari pueros vetat. Id ipsum antea prohibuerat Domitianus ipse teste Suetonio (3): *Castrari mares vetuit*. Idem Constantinus Imperator (4), ac Justinianus in suo jure (5).

F f

D I S-

- (1) C. 22. Levit. n. 4. Deuter. 23.
 (2) Lib. 4. §. ad L. Corn. de Sicariis.
 (3) In Domitiano Cap. 7.
 (4) Lib. 4. Cod. tit. 42. qui est de Eunuchis.
 (5) Const. novell. 142.

DISSERTATIO IX.

Licitam esse defensionem ex J. N. ab injusto Aggressore : In quo ea fundetur ? Siqua detur exceptio ? Explicantur nonnulla objecta . Quid hac in re sit consilii , quid præcepti ? Alia resolvuntur objecta , & casus peculiare . Quid pro servanda Pudicitia ? Ad mutilationem arcendam idem licet . Pro bonis Fortunæ defendendis quid sit definiendum ? Quid rursus pro defendenda boni nominis fama , & honore ? Jura necessitatis explicantur in concursu diversarum legum . An idem agere liceat pro aliorum defensione , quod pro suimetipsum ? De Duellis agitur : ubi quanam ea dici propriè debeant ? Non esse J. N. licita Neque ullæ unquam circumstantiæ licita Duella efficiunt .

Quemadmodum suprâ statuimus , spectare ad J. N. sui ipsius conservationem , ita pari ratione dicendum est , licere ex J. N. seipsum ab injusto Aggressore defendere . Amor enim erga seipsum priorem locum occupat respectu amoris erga alios : in concursu igitur prævalere debet sui ipsius amor quàm alterius . Juxta hunc ordinem moderanda est sui ipsius Defensio , ut dici possit *cum moderamine inculpata tutelæ* , uti loquuntur Scriptores post Alex. III. (1) & Innoc. III. (2) , nimirum cum ea moderatione , sine qua Defensio propria haberi non potest , nec injuria repelli . *Injustos* autem *Aggressores* appellamus , quotquot jus non habent in vitam nostram ex legitima auctoritate .

Ratio itaque propriæ defensionis adversus injustum Aggressorem in recto amoris ordine , ut diximus , fundamentum habet . Quoties igitur injustus Aggressor sit aliquis Reipublicæ maximè necessarius , atque ita ut ex ejus interitu gravissimum sequeretur Reipublicæ detrimentum , puta bella

(1) Cap. Si verò 1. de Sent. Excom.

(2) Cap. Significasti de homic.

bella civilia ob successionem &c. in eo casu ordinatus amor erga Rempublicam prævaleret privato sui ipsius amori, nec licita esset Aggressoris occisio pro sui ipsius defensione. In hac sententia sunt plerique nostri AA. pariter, & aliqui heterodoxi; ex nostris Sotus, Salmeron, Ballarminus, Suarez, Lessius, aliique; ex heterodoxis Grotius (1) & (2). Extenditur etiam ad Parentem invasorem Filii; de quo Plato (3): *Filio ne pro defensione quidem sua, si a Parentibus se videt interfectum iri, lege ullâ conceditur, ut Parentes, a quibus in lucem editus est, interimat; sed omnia potius sustinere præcipitur, quàm quidquam ejusmodi facere.* Verùm exceptiones istæ non probantur Coccejo, qui in locum citatum Grotii sustinet, posse adversus quemlibet Aggressorem ex J. N. defendi vitam, quam profundere non est in alicujus arbitrio. Excipit tantùm; si Aggressor sit Rex, aut legitimus superior, cui non licet resistere ex eo, quod ipsi commissum est Jus in vitam, & necem cujusque, adeoque illi nefas est resistere. Ratio ergo, unde putat Coccejus omitti debere in hoc casu propriam defensionem, unica est ex eo, quod Aggressor nequeat dici *injustus*, utpote habens Jus in vitam, ac necem cujusque.

Atque hæc sanè ratio apud omnes firma non est. Sanè Vander Muelen (4) rationem illam evacuat, aitque: *ipso factò desinit esse Princeps, ita & invasus ipsi resistens, atque semet opponens, semetipsum defendendo, jure suo utatur, & ita culpâ vacuus legis pœnam, quæ in reum criminis læsæ majestatis statuta est, subire non meretur.* Revera nulli hominum est Jus in vitam Innocentis; adeoque prævalet semper illud divinum præceptum: *Insontem, & justum non occides* (5) Et alibi: *Innocentem, & justum non*

F f 2

inter-

(1) De J. Belli, & Pacis l. 1. c. 4.

(2) L. 2. c. 1. §. 9.

(3) Lib. 9. de Leg.

(4) Dissert. de Sanctitate summi imperii civilis.

(5) Exodi 23. 7.

interficiet (1) quod etiam Regi Juda per Jeremiam Deus indixit (2). Præstat itaque ratio alia de bono publico, quod in Persona Capitis reipublicæ periclitatur; quodque bono particulari maximè prævalet. Siquidem defensio vitæ propriæ contra vitam alterius fundatur in Amore ordinato sui, qui prior est de se Amore alterius: ubi itaque dignoscitur, esse posthabendum amorem sui amor alterius; non est amplius licita mors alterius pro sui defensione. Atque ita, se habere illa exempla suprâ exposita, patet. Illud verò, quod Coccejus objicit, *non esse* scilicet *in alicujus arbitrio vitam profundere*, verum utique est generatim loquendo; sed non est ad rem. Non enim arbitrio suo diceretur vitam profundere, qui bono Reipublicæ intentus, vel Patriæ pietati obsecundans fineret ab alio occidi potius, quàm alterum occidere.

II. Quare ubicunque contingat, ab injusto Aggressore (iis exceptis) peti alicujus vitam, licita est sui ipsius defensio ex J. N. etiam cum Aggressoris morte. Mens itaque, & scopus veluti primarius in hoc actu ex J. N. ad vitam suam conservandam dirigitur: secundariò tamen ad Aggressoris mortem. Ex qua recta distinctione plura explicantur, quæ vel in sacris Scripturis, vel apud SS. Patres videntur opponi. Sic (3) habemus, Christum Dominum reprehendisse Petrum volentem se, & ipsum defendere: *Omnes, qui acceperint gladium, gladio peribunt*. Et (4) ait Apostolus: *Non vos defendentes, charissimi*. Verùm qui loca hæc Scripturarum objiciunt, minùs intelligunt prædictarum sententiarum vim. Profectò Christus Dominus meritò Petrum reprehendit, tum quia novit, defensionem illam speciem habere vindictæ, non prudentis defensionis; deinde, quia ante Domini responsum, cujus voluntatem exquisierat, ad feriendum processit; rursus, quia ejus defensione

(1) Daniel. 13. 23.

(2) Jerem. 22. 2. 3.

(3) Matth. 26.

(4) Ad Rom. 12.

sione Christus non egebat, nec ipsum tali modo se defendere decebat; ac tandem, quia contra Patris mandatum erat, volentis, ut Filius iniquam illorum vim non effugeret. Videatur Augustinus (1) hæc fusè explicans pro dignitate. Illud etiam Pauli, ut ex ipsamet græci vocabuli etymologia colligitur, de *vindicta* intelligi debet: *ἐκδικέω* siquidem *ulciscor* est. Quod optimè advertit etiam S. Thomas (2): *Ibi prohibetur defensio, quæ est cum livore vindictæ*. Cæterùm ipse S. Thomas ibidem expensis omnibus ait: *Si aliquis occidat aliquem pro defensione vitæ suæ, non erit reus homicidii*.

Ex Ss. PP. profertur S. Augustinus (3), ubi expressè docet, neminem debere occidi, ne ab eo alius occidatur: *nisi fortè sit miles, aut publicâ functione teneatur, ut non pro se hoc faciat, sed pro aliis, acceptâ legitimâ potestate, si ejus congruat Personæ*. Et alibi (4): *Quomodo apud divinam Providentiam a peccato liberi sunt, qui pro his rebus, (inter quas est vita corporalis) quas contemni oportet, (idest quas homines inviti etiam amittere possunt) humanâ cæde polluti sunt?* Alii etiam proferri possent SS. PP. ut S. Cyprianus (5) Cyrillus Alexand. (6) Ambrosius (7) aliique.

Hæc autem omnia, & alia hujusmodi non sunt accipienda in hoc sensu, ut exclusam velint propriam defensionem, quæ directè intendat Vitæ propriæ conservationem, licet indirectè mors Aggressoris sequatur. Ad Militem, & ad Justitiæ Ministrum spectare potest directè velle occidere alium, ut servet seipsum, & alios; quæ est loquutio S. Augustini juxta explicationem S. Thomæ l. c. cujus verba referam libenter, ut inde dignoscatur, quàm benè Juris

natu-

(1) Tract. 112. in Joannem.

(2) 2. 2. q. 64. a. 7. ad 5.

(3) Epist. 154. ad Publicolam,

(4) Lib. de Libero arb. c. 5.

(5) Lib. 1. ep. 1.

(6) Lib. 11. in Jo. c. 35.

(7) Lib. 3. Off. c. 4.

naturalis principia calluerit Sanctus Doctor : *Nihil prohibet, unius actus esse duos effectus : quorum alter solum sit in intentione, alius vero sit præter intentionem. Morales autem actus recipiunt speciem secundum id, quod intenditur; non autem ab eo, quod est præter intentionem, cum sit per accidens; ut ex supradictis patet. Ex actu ergo alicujus seipsum defendentis duplex effectus sequi potest: unus quidem conservatio propriæ vitæ, alius autem occisio invadentis. Actus ergo hujusmodi ex hoc, quod intenditur conservatio propriæ vitæ; non habet rationem illiciti; cum hoc sit cui-libet naturale, quod se conservat in esse, quantum potest. Potest tamen aliquis actus ex bona intentione proveniens illicitus reddi, si non sit proportionatus fini. Et ideo si aliquis ad defendendam propriam vitam utatur majore violentiâ, quàm oporteat, erit illicitum: si vero moderatè violentiam repellat, erit licita defensio. Nam secundum Jura vim vi repellere licet cum moderamine inculpatae tutelæ. Nec est necessarium ad salutem, ut homo actum moderatæ tutelæ prætermittat, ad evitandam occisionem alterius: quia plus tenetur homo vitæ suæ providere, quàm vitæ alienæ. Sed quia occidere hominem non licet, nisi publicâ auctoritate propter bonum commune (ut ex supradictis patet): illicitum est, quod homo intendat occidere hominem, ut seipsum defendat, nisi ei, qui habet publicam auctoritatem, qui intendens hominem occidere ad sui defensionem, refert hoc ad publicum bonum: ut patet in Milite pugnante contra hostes, & in Ministro Judicis pugnante contra Latrones: quamvis etiam & isti peccant, si privatâ libidine moveantur. Hæc S. Thomas, unde, quid S. Augustinus intellexerit, planè dignoscitur. Aliquando etiam loquutus est S. Doctor de periculo excessus odii, iræ, & ultra debitam moderationem. Alii pariter Patres de vindicta improbanda, vel de defensione non necessariâ sermonem habent.*

III. Verum quidem est, sanctius, ac perfectius actu-

ROS

ros homines, si, ne alium injustum Aggressorem occidant, permittant se occidi ex aliquo virtutis Christianæ impulsu. Sic enim suadet S. Antoninus (1), etsi putet, licere etiam Sacerdoti celebranti se tueri, & invasorem occidere, si necesse sit, & Sacrum continuare: suadet tamen mortem perpeti, nec Aggressorem occidere exemplo Christi Domini, & aliorum Sanctorum. Idcirco dictum a nobis est, *licere*, non vero *teneri*. Hoc velim adnotatum contra Buddeum Lutheranum, qui in sua Theologia morali (2) quærens in notis: *num licita tantùm sit violenta defensio, an verò præcepta?* Subdit: *sunt, qui prius, sunt qui posterius adfirmant Sed cùm in defensione violenta legitimè instituta se exerat vis legis nostram conservationem præcipientis, injungentisque; eam tum quidem non tam licitam, quàm præceptam existimaverim. Accedit, quòd qui licitam eam, non præceptam contendunt, actiones mediùs inter præceptas, & prohibitas supponunt, qua de re &c.* Sed Buddei ratiocinatio in prima parte fallit: Lex enim naturæ conservationem vitæ nostræ præcipit ita, ut non liceat ulli contra suam vitam agere, ut suprâ diximus: permittit verò, se adversus Aggressorem tueri. Lex enim naturæ, ut in superioribus probavimus, non præceptiva tantùm est, sed & permissiva. Ni ita esset, contra præceptum legis naturæ fecisse, & consequenter peccâsse dicendi essent Martyres omnes, qui exemplum Domini Servatoris nostri sequuti vim vi non repulerunt. Falsa itidem est, atque erronea secunda pars: optimè enim distingui oportet hæc duo, nempe *Præceptum*, & *Consilium*, ut fusè contra Heterodoxos ostendit Bellarminus (3), Suarez (4), & alii. Ex ipsis etiam Heterodoxis nonnemo in hanc nostram sententiam amore veritatis ductus descendit. Sic Heinnecius (5) ait: *Quamvis hæc omnia rectè*

(1) 3. p. tit. 4. c. 3.

(2) P. 2. c. 3. sect. 3. n. 20.

(3) Lib. de Moïach. a. c. 7.

(4) Tr. de Relig. l. 1. a. c. 6.

(5) Ptælect. l. 1. c. 4. §. 7. in fin.

rectè se habeant: non tamen confundenda est Justitia, & Sanctitas actionis. Qui debita remittit Debitori, is sanctè agit: sed non ideo injustus est, si non remittit. Qui sua sibi injustè erepta actione forensi non vindicat, sanctè agit; sed quis diceret injustum, qui actione petit, quod sibi debetur? Ita & sanctè agunt, qui Christi exemplo potius perire, quàm se defendere adversus &c.

Quòd si haberi possit vitæ propriæ defensio sine Aggressoris morte, ita fieri debere, perspicuum est. Moderamen siquidem inculpatæ tutelæ, hoc significat, nempe si aliâ viâ defendi nequeat vita propria. Si enim ad id sufficeret vulnus aliquod, ex quo Invasor viribus destituatur, ut inde timeri non possit periculum aliquod; si baculo, vel instrumento alio abigatur; uno verbo si necessaria defensio habeatur sine Invasoris morte, hæc Jure naturæ intentari non potest. Defensio enim esse debet cum debita moderatione. Et idcirco optimè definitur in Jure Canonico (1) sic: *Dum tamen non amplius eorum violentia se extendat, quàm defensio exigit.*

IV. Sed adhuc resolvenda sunt aliqua, quæ statutz propositioni videntur adversari. 1. Homicidium est gravius peccatum, quàm simplex fornicatio, vel adulterium. Nemi-
mini autem licet pro conservatione suæ vitæ vel fornicationem, vel adulterium, vel quodvis aliud hujusmodi malum committere. Unde videtur neque homicidium, pro se conservando, posse patrari.

Sed huic difficultati responsio in promptu est: nullum enim ex aliis malis recensitis ordinari *per se*, & *ex necessitate* ad conservationem suæ vitæ, quemadmodum repulsio Aggressoris injusti necessaria est, & per se a natura dicitur cuique pro vitæ propriæ conservatione. Potest utique contingere, ut ita constituatur homo, ut, nisi malum aliquod ex supradictis, vel aliud simile (quod esse constat esse intrin-

(1) Arg. Cap. ut famæ 35. de sent. Excom.

intrinsicè inhonestum) patret, mori necesse sit: atque id quidem vel ex interno aliquo morbo, vel ex vi externa, cui nequeat resisti. Hic autem manifestè patet, actum illum inhonestum non esse *de se*, & *a natura* intentum ad mortem propulsandam, sed ex accidenti pro illo casu particulari. Quare non potest a lege naturali cohonestari. Lex enim naturalis non considerat actus aliquos, qui ex accidenti contingere possunt; & Natura rationalis tantùm dirigit ad finem sibi convenientem illos actus, qui *per se* ordinantur ad prædictum finem. Repellere vim externam tendentem ad propriæ vitæ destructionem est actus *per se*, & *necessariò* ordinatus ad finem honestum suæ conservationis: non ita verò ceteri actus. Unde repulsio illa esse *de se* potest honesta: actus verò illi inhonesti semper sunt. Recolantur ea, quæ in prima parte, ubi de Actuum honestate, diximus. Accedit S. Thomas (1), qui propositionem hanc confirmat.

11. In concursu officiorum præferenda est Vita *spiritualis* Proximè vitæ propriæ *corporali*. Hoc enim poscit rectus ordo caritatis. Jam verò si occideretur injustus Aggressor, Anima Proximi æternùm periret. Effet ergo illi parcendum potiùs, ut Legem Naturalem quis adimpleret.

Equidem, quod ad generalem primam propositionem spectat, libenter admitto, teneri quempiam, lege amoris erga Proximum exponere salutem corporis pro defendenda animæ alterius salute spirituali, quando nimirum ex alterius culpa, non ex propria in extremo versetur discrimine, a quo non possit per seipsum, sed alterius tantummodo operâ se vindicare. Sic esset Infans jamjam moriturus sine Baptismo. At qui injustè alium invadit, culpâ suâ se in illud discrimen coniicit, a quo & ipse egredi potest, si ab aggressionem recedit: non est ergo casus prælationis. Accedit, quòd qui invaditur neque certus omnino est suæ salutis:

Tom. II.

G g

& In-

(1) Loc. cit. ad quartum.

& Invasor jam vulneratus, & morti proximus potest sibi ipsi consulere, si velit.

Omitto hic expendere, an in universum Lex hujusmodi esset ad commune bonum *ordinata*, urpote quæ Innocentes exponeret vitæ periculis, facinorosos foveret, ac multiplicaret ingenti Reipublicæ detrimento. Possent enim idem dici de Reo nolente pænitere se, ut nimirum de eo non deberet sumi extremum supplicium. Buddeus (1) advertit, incertum adhuc esse, an æternam salutem Invasor sit consequuturus, etiamsi Invasus ei parcat, & se interfici patiatur: unde non potest hic in censum venire ipsa salus æterna. Quare ad rectè instituendam proportionem: Vita temporalis Invasi cum mora ad pœnitentiam admodum incertam Invasoris erit comparanda. Quæ proportio si fiat, dubium ferè non est, quin præponderet Vita temporalis Invasi. Hæc Buddeus. Illud subdens non incongruè: Si tamen dicendum, quòd res est, tota quæstio videtur supervacanea, cum is rarò eveniat casus, & fieri vix queat, ut Invasus deliberare secum diu, atque consultare possit, quid pro sua vita conservanda, aut anima Invadentis æternæ damnationi eripienda, facere debeat?

Quid? si homo Invasorem fugiens non possit evadere nisi per angustum callem, ubi necessariò proterendus sit Infans, vel Claudus: debetne sistere, ne illos interimat; an prosequi cursum, ut vitam servet, occisis etiam illis ceteroqui omni culpâ carentibus?

At ex dictis optimè resolvitur casus hic, nempè hominem directè intendere vitæ suæ conservationem, quodcunque deinde sequatur, per accidens sequi; adeoque mortem illorum non esse directè intentam etiam in casu dicto. Pari modo dicendum erit, si Invasor protegat se tanquam scuto Infante aliquo, & sic alterum aggrediatur; poterit Invasus se contra Aggressorem tueri, etiamsi defensio fieri

non

(1) Loc. cit.

non possit, nisi per mortem Infantis interpositi: Mens enim eò tendit, ut se defendat, quod exinde sequitur, per accidens sequitur. Grotius verò (1) putat, id repugnare dilectioni, adeoque regulis evangelicis ex eo, quòd illi Innocentes sint. Sed Heinnecius in suis Prælectionibus ad hunc locum Grotii rectè illum impugnat. i. id, quod justum est ex J. N., non potest fieri injustum ex Evangelio, quamvis Evangelium fortè majorem sanctitatem requirat. ii. nullum est in sacris Libris testimonium, unde cruatur, hominem in iis casibus debere ex præcepto parcere Infanti, vel Claudio, & sinere se occidi. iii. Evangelium non aliam vobis præcipit dilectionem Proximi, quàm ut eum diligamus, sicut nos ipsos. Si autem ei in hoc casu parcere deberemus; magis Proximum diligeremus, quàm nos ipsos. Quare rectiùs alii dicunt (subdit ipse Heinneccius) hoc quoque casu esse honestam rationem expediendæ salutis. Verùm recta ratio suadet. i. ut periculum faciamus, an saltu possimus transilire Infantem? ii. an Claudum sine interitu possimus prostrernere? iii. ut, si ei damnum dederimus, id repararemus pro virili.

Major esset difficultas, si Infans esset sine Baptismo periturus, Infans quidem, qui sibi ipsi consulere non posset. In hoc enim casu concurrat verè salus spiritualis Proximi innocentis cum vita temporali propria; & caritatis ordo postulat, ut citiùs patiamur nos occidi, quàm Infantem ita perire. Profectò hoc sustinet Lessius (2). Sed nihilominus esset hic etiam advertendum ad statum spiritualem hominis Invasi, si nimirum sit certus, se esse in Gratia: si enim non sit adeò certus, non est, uti ponebatur, conflictus ille: unde nec postponenda propria salus saluti alterius.

Pari modo dicendum est de Aggressore amente, furioso, aut noctivago. Jus siquidem defensionis, ut rectè

G g 2

ad-

(1) De J. N. & P. l. 1. c. 1. §. 4.

(2) L. 2. c. 9. n. 59.

advertit Grotius (1) : *non nascitur ex delicto alterius, sed ex obligatione se defendendi*. Et in Jure Can. habemus (2); *id fieri cum moderamine inculpatae tutelae non ad sumendam vindictam, sed ad injuriam propulsandam*. Ita etiam ratio- cinatur Buddeus (3), nimirum in casu justae defensionis contra Aggressorem : *cessat obligatio Legis, alterum laedi ve- tantis, idque non ob delictum invadentis : quia tunc pena esset, non defensio*. *Facultas autem puniendi tantum Magistratui competit, & accuratam causae cognitionem supponit*. Non est ergo attendendum, an Aggressor peccet in me ag- grediendo injustè, an non? Sed an ego Jus habeam me defendendi? Quare sicuti mihi jus est, subdit Heinneccius, (4) me defendendi contra Bruta, & Belluas, quam- vis his dolus imputari non possit, ita & contra errantes, furiosos, & similes.

Idcirco Invasus in injusti Aggressoris occisione non au- ctoritate publicà operatur, sed tantum privatà, ex eo nempe Jure, quod quis habet, *ut sit custos rei suae*, quo jure potest noxia retundere, & vim vi repellere, quo ani- mantia omnia utuntur. Quare violenta hujusmodi defensio licita est, durante ipso periculo, nec diutiùs extendi po- test. Quod Juris consulti dicunt *in continenti*; sic Ulpia- nus (5) ait : *Eum igitur, qui cum armis venit, possumus ar- mis repellere, sed hoc confestim, non ex intervallo*. Trans- acto enim periculo, esset non defensio, sed vindicta : quae privato cuipiam non licet : Sic esset, si Aggressor ab ag- gressione desistat, ostendatque, se in gratiam cum Adver- sario redire velle : uti notat Grotius (6). Si lædens se of- ferat ad satisfactionem æquam, læsus autem illam respuat :

tunc

(1) L. c. l. 2. c. 1. §. 3.

(2) Arg. c. significasti 18. de homicidio.

(3) Theol. mor. p. 4. c. 3. Sect. 3. §. 20.

(4) Praelect. ad Putend. l. 1. c. 5. §. 10.

(5) L. 3. §. 9. ff. de vi, & vi Arm.

(6) L. 2. c. 1. §. 18.

tunc bona causa a læso transit ad lædentem : quod pluribus exemplis confirmat . Idem fieri deberet , si Aggressor ipse fugeret , insequi enim fugientem non esset , se defendere , sed vindictam sumere . Eodem modo nec dici deberet defensio inculpatae tutelæ , qui de Aggressore admonitus , aut eundem in tempore conspiciatus , posset commodè se saltem ad aliquod tempus domi continere , aut in tutiorem locum se recipere . Etenim qui contra fecerit , non dici posset legitimè se defendere , sed in vitæ periculum se liberè coniicere .

Hic autem esset locus quærendi , an teneatur Aggressus fugâ salutem quærere , ne vitam suam , aut Aggressoris in discrimen vocet ? Sed in primis non est aded certum , quòd Aggressus possit vitæ suæ consulere fugiendo . Heineccius (1) ait : *quamvis ad fugam , ipso jam fervente conflictu , capeffendam ob anceps illius periculum , nemo obstrictus videatur ; nisi fortè tutum ipsi pateat perfugium : & citat Pufendorfium (2) . Et ipse Pufendorfius (3) sustinet , ad fugam neminem teneri ob anceps periculum , quia tergum præbet hosti , & seipsum facultate defendendi privat . Grotius verò (4) affirmat , debere hominem fugere ex ea ratione , quòd fuga in se nihil habet ignominia , nisi fortè in Milite ad moriendum potiùs , quàm ad fugiendum obligato . At alia est Pufendorfii ratio , quæ ex Grotii ratione non eliditur ~ Unde meliùs habet Heineccius (5) , ubi distinguit inter *fugam* , & *perfugium* : aitque , ad hoc nos teneri , ad illam minimè . Triplicem subdit rationem . i. quia , fugiens tergum præbet Adversario . ii. quia , si caderet , actum esset de fugiente . iii. quia si Aggressor illum assequeretur , difficilè foret , ad defensionem de novo se componere .*

Quare

- (1) Elem. J. N. l. 1. c. 7. §. 185.
- (2) De J. N. & G. l. 2. c. 5. §. 13.
- (3) Off. hom. & Civ. 1. c. 5. §. 7.
- (4) L. 2. c. 1. §. 10.
- (5) Prælect. Academ. ad hunc locum Grotii .

Quare in casu adeò dubio salutis propriæ non est dicendum, teneri quemquam ad fugiendum; sed uti potest quisquam jure resistendi contra injustum Aggressorem, & vitam modis habilibus defendendi. Quamvis caritati videatur magis consonum fugere, ut advertit Lessius (1), & alii apud Croix (2), tamen omnes conditionem apponunt: *si fieri potest absque periculo*; hoc autem est omnino inseparabile in fuga, ut patet ex dictis. Idcirco communis sententia est, posse se defendere etiam cum injusti Aggressoris morte (3).

V. Quid verò dicamus pro servanda *Pudicitia*, an licitum sit, iniquum Aggressorem occidere? Nonne hoc ad sui defensionem spectare videtur? De qua re si publicitas Protestantes consulas, hæc sunt sententiæ. Buddeus (4) ait: *Pro Pudicitia defensionem ejusmodi aliquando licitam, si Corporis violenta prostratio accesserit, præter alios existimat Fridericus Balduinus in casibus conscientiæ (5). At cum Pudicitia, quæ animum spectata, eripi nobis nequeat: quæ Corpus considerata cum vita, æternaque hominum salute in comparisonem adduci nequeat; rectius fortè alii negant, violentam pro ea defensionem suscipi posse. Ita Augustinus sensit (6).* Hæc Buddeus. Locus autem Augustini hic citatus est ejusmodi: *Lex dat potestatem vel viatori, ut latronem, ne ab eo ipse occidatur, occidat; vel cuiuspiam Viro, aut Femina, ut violenter sibi stupratorem irruentem anse illatum stuprum, si possit, interimat.* Ubi non pro Buddeo, sed citius contra ipsum stare videtur.

Pu-

(1) L. c. n. 44.

(2) L. 3. p. 1. n. 803. fin.

(3) Vid. Julius Clar. de homic. n. 33.

(4) P. 2. Int. theol. mor. c. 3. Sect. 2. §. 20. in notis.

(5) L. 4. c. 1. cas. 15.

(6) De lib. arb. l. 1. c. 5. Add. Christianus Thomassinus Jurispr. div. l. 1. c. 2. §. 114.

Pufendorfius (1) affirmat, & ante ipsum affirmaverat etiam Grotius (2), ubi citat etiam Paulum J. C. (3), & exempla profert ex Cicerone, & Quintiliano. Juvat autem ipsius rationes producere. I. quia Deus ipse Vitam, & Pudicitiam pari pretio æstimat. Pro quo innuit locum Deuteronomii (4). II. quia Virgini *Pudicitia* pro dote est. III. quia Magistratus Stupratorem violentum potest capitis damnare, adeoque, & privato, ut id faciat, permittere potest. Henricus autem de Cocceii (5) sustinet idem, scilicet licere hujusmodi occisionem. I. quia omnia mihi licita sunt, sine quibus jura a Creatore concessa salva esse non possunt: si igitur Pudicitia sine internectione Adversarii conservari nequit, nihil impedit, quominus licitè id fieri possit. Quæ regula generalis II. eo magis in Pudicitia defensione obtinet: quo sanctior hæc integritas corporis Feminis esse solet, & debet. Hæc defensio III. eo justior est in Maritata: quia per violationem Maritatae, indeque fortè secutum partum supposititium, injuria perpetuatur in Familia. Hæc Henricus.

Verùm Heineccius (6) majus esse pondus putat in sententia negante. Nihilotamen minus sic resolvit: *Nos Virginem hanc in foro puniri haud posse dicimus (nempe si Aggressorem occidat). Sed an conscientia suæ satùs consulat hoc defensionis genere, non definiam. Tutius saltem fuerit, clamore, reluctatione, minis se defendere quovis modo; quàm his non sufficientibus, ad arma se convertere.* De eadem re agit alibi (7): ac pariter in partem negantem descendit, distinguendo Pudicitiam *moralem*, quæ in Ani-

(1) L. 1. c. 5. de off. hom. & Civ. §. 15.

(2) L. 2. c. 1. §. 7.

(3) Lib. 5. rec. sent. tit. 23. §. 8.

(4) 22. 25. 26.

(5) Commen. ad hunc Grotii locum.

(6) Prælect. ad Grotium l. c.

(7) Prælect. ad Pufend. locum cit.

Animo consistit, & eripi non potest: & Pudicitiam *physicam*, quæ eripi potest, & consequenter defendi, sed *non violenter*: tum quia non subest vitæ periculum: nec infamia sequitur stuprum: tum quia Magistratus satisfactionem potest procurare. Subdit tamen: *Interim si Virgo tale admiserit facinus, proculdubio impune ferat; quia eam excusabit justus dolor, stupratoris vis, & malitia, metus infamiae, incertitudo satisfactionis.* Quam sanè rationem explicat clariùs (1): *Quamvis Pudicitia mentis satis in tuto sit: at tamen honestæ Virgini, ac Matronæ non atrociter ulla videri potest injuria, quàm stuprum violentum, maximè cum alteri prolem ex se excitare cogatur, & castitatis etiam externæ jactura sit irreparabilis. Quare rectè Quintilianus Declam. 349. Puellam usque in eam injuriam traxisti, quæ nihil gravius bella habent. Quis ergo vitio vertat honestæ femina, si tam atrocem, & intolerabilem injuriam etiam cum Stupratoris interitu a se amoliri conetur?*

Nostri verò Catholicici AA.; qui longè ante hos Protestantés scripserunt, ipsisque boni Duces fuerunt, communissimè sentiunt cum Card. De Lugo (2): licere Virgini, & honestæ Matronæ, si aliter nequeat, arcerè vim defensione etiam occisivà: quia in eo non defendit solum honorem, sed integritatem etiam Corporis sui. Idem habet Lessius (3): citatque Tullium, qui in Orat. pro Milone scribit, Adolescentem, qui Tribunum occiderat, volentem vim inferre ejus pudicitiae, a Mario exercitùs Imperatore fuisse absolutum, dictante nimirum id Jure naturæ.

Perpetrato autem facinore, huic amplius Juri non esse locum, uniformis est omnium etiam Protestantium sententia. Nam non esset defensio integritatis, & pudicitiae, sed vindicta; quæ uni Magistratui competit.

VI. Ad arcendam etiam Corporis mutilationem ab inju-

(1) Elem. J. N. & G. l. 1. §. 186. (3) L. 2. c. 9. dub. 12.
 (2) De Just. disp. 17. Sect. 10.

injusto Aggressore licita est defensio violenta. Etenim ad Jus naturæ spectat defensio justa membrorum, quemadmodum & defensio vitæ, cui membra deserviunt, imò sunt aliquando cariora. Communis est inter AA. nostros sententia; in eamque descendunt communiter Publicistæ. Rationes autem plures adduci possent. Grotius (1) hanc defendit opinionem, aitque: *Sanè cùm damnum membri præsertim e præcipuis valde sit grave, & vitæ quasi æquiparabile; adde, quòd vix sciri queat, annon periculum mortis post se trahat: si aliter vitari nequeat, putem, intentantem periculum occidi rectè posse.* In quibus verbis hæc concluduntur rationes: I. quòd sit damnum grave. II. quòd sit quasi æquiparabile vitæ. III. quòd sit etiam cum periculo mortis secururæ. Ceterùm mens injusti Aggressoris persèpè incerta est, nec ictus ita exactè dirigi possunt, ut quis certus sit, solam manum ab Adversario peti. Rursus Corporis integritas plurimi fit ab unoquoque, & non nemo faciliùs vitam, quàm oculos puta, aut manus abscindi pateretur. Tandem vulneris eventus incertus etiam est: ex minimo aliquoties vulnere mors secuta est. Idem sustinet Heineccius (2), & Pufendorfius (3) propter easdem Grotii rationes; additque præterea, quòd aliquando per totam vitam infelix est, qui membrum amisit, puta manum, qua sibi victum, & amictum parat: & rursus quòd omnis mutilatio, & vulneratio cum tali dolore conjuncta est, a quo natura ipsa abhorret.

VII. Pro defensione bonorum Fortunæ pariformiter ratiocinantur AA. sub duplici nempe conditione I. si de *notabili quantitate* agatur: II. si nequeat *servari*, aut *recuperari* nisi morte Furis. Siquidem bona temporalia sunt ad vitam conservandam necessaria. Si ergo licet modo di-

Tom. II.

H h

cto

(1) Lib. 2. c. 1. §. 6.

(2) Elem. J. N. & G. l. 1. c. 7. §. 186.

(3) Off. hom. & Civ. l. 1. c. 5. §. 14.

Est tueri Vitam, licet etiam eodem modo tueri bona prædicta. Subdunt alii, ne audacia foveatur furibus, ac latronibus. Conditiones autem illæ videntur in ratione naturali fundatæ: etenim res parvi momenti non videtur esse necessaria ad vitam conservandam. Cessat ergo ratio violentæ defensionis. Jure ergo damnata est ab Innoc. XI. propositio illud asserens. Circumstantiæ autem, & conditio Personarum manifestant judicio Prudentum, an quædam dici possint res magni momenti, an secus. Deinde si erit spes probabilis recuperandi res ablatas, puta quòd dignoscatur fur, & per Judicem possint repeti; non est, cur ad furis occisionem deveniatur. Idcirco, ait Lessius (1), habetur Exodi 22. *non fore reum sanguinis, qui furem nocturnum occiderit, sed qui diurnum*, quia non solùm Fur nocturnus præsumitur venire animo etiam occidendi, non ita diurnus: sed potissimum quia ea, quæ a fure nocturno surripiuntur, ordinariè non possunt recuperari, cùm fur non dignoscatur; quæ verò interdium, plerunque possunt (2). Quare qui Furem diurnum non se telo defendentem interficeret, in foro etiam externo ab homicidio non excusaretur.

Grotius (3) rem hanc discutit, ac tali pacto resolvit. 1. spectato jure naturali, affirmat licitam esse defensionem violentam contra furem ex eo, quòd res, bona, opes pertinent ad vitam sustentandam; & sæpè occidere videtur, qui res, & bona nobis subtrahit. Rursus Fures, & Raptores plerunque non tantùm furandi, sed & occidendi animo irruunt. Tandem fugà sibi consulunt ordinariè, adeoque vix spes est vel Personam assequendi, vel res nostras recuperandi. Cùm itaque hic cesset Magistratùs auxilium: quælibet honesta ratio est, expediendi salutem. Hæc Grotius. Quibus Heineccius (4) subdit exceptiones juxta Catho-

(1) L. 2. c. 9. dub. XI.

(2) Vid. Joannes Medina Cod. de Restit. q. 94.

(3) L. 2. c. 1. §. 11.

(4) Prælect. ad hunc locum.

tholicorum regulas, videlicet I. nisi res sit nullius momenti; quam Reptor petat. II. nisi vel sit spes recuperandi, puta si Raptor sit notus, & locuples; vel Magistratus, aliorumque hominum auxilio periculum propulsare possim.

Grotius (1) expendit leges positivas hac super re. Et quidem de lege *Veteris Testamenti* (2), ubi distinguitur Fur *nocturnus* a Fure *diurno*, ait, hujusmodi distinctionem fuisse etiam apud Athenienses ex Demosthene in *Fimocr.*, & apud Romanos ex L. XII. Tabul. ut notat Cic. *pro domo sua*. Defendit autem, posse occidi Furem *nocturnum* ex eo, quod periculum consideratur presentissimum in Fure nocturno, qui præsumitur cum telo adfuisse, quemadmodum esset in Fure diurno in locis solitariis. Unde licet illum occidere.

In *novo Testamento* putat (3), defensionem violentam rerum suarum non esse permissam. Probat autem hoc verbis Christi notissimis (4): *si quis pallium eripiat, tu ei tunicam quoque concede*. Item Pauli, qui Christianis turpe putat, de rebus hujus mundi litigare. Quanto minùs justum erit, occidere ad res suas servandas? Addit nihilominus: *Nisi forte talis aliqua res sit, ex qua vita nostra, & familia nostræ pendeat, quæque judicio recuperari nequeat, forte quia Fur sit ignotus, & spes sit aliqua sine cæde rem abituram*. Verùm Grotius errat more solito confundens id, quod consilii perfectioris est, cum eo, quod præcepti sit. Atque hoc idem advertit Heineccius in suis Prælectionibus, ubi sanè hæreticorum more vera falsis admiscet. Sic ait: *Christum non esse novum legislatorem*. Quod utique falsum est: dedit enim Christus præcepta, quæ leges sunt novæ in *Sacramentis*, quæ *novæ legis* dicuntur. Errat ergo hic Heineccius, & in hoc est hæreticus. Subdit: *Consilia* (novi testamenti) *non obligare nisi in quibusdam casibus, nempe*

H h 2

pè

(1) L. c. §. 12.

(2) Exodi 22.

(3) §. 13.

(4) Matth. 5.

pè tempore persecutionis. At si obligant, non jam consilia mera sunt, sed præcepta. Rursus si obligant hæc Christi effata, jam Christus novus est legislator. Malè igitur Heineccius ratiocinatur, & pugnancia loquitur. Illud rectè addit: *Paulum non dixisse, nefas esse Christianis litigare coram Judice, sed coram Judice ethnico, unde scandalum nasci possit. Hinc suadet, ut inter se arbitros eligant, qui judicent inter Fratrem & Fratrem.* Sed statim virus suum prodit: *In hoc uno reprehensionem merentur Moralistæ illi Pontificii Soto, & Lessius, quod & Furem diurnum, & qui se telo non defendit, occidi posse existimant.* Haud ita est, prout Pontificios criminatur homo lutheranus: imò negant expressè, posse hujusmodi Furem occidi, sic illimitatè loquendo, ut ponit Heineccius. Illud addunt, solùm licere, *quando non sit spes probabilis recuperandi*, ut diximus.

Puffendorsius (1) licitam putat occisionem pro rerum defensione in statu naturali, illicitam verò in statu civili, nisi urgeat vitæ periculum. Sed hic videtur supponere, posse per Judicem res ablatas recuperari; quod communiter conceditur.

Absolutè autem negat id licere Buddeus (2), ubi sic ait: *non esse licitam defensionem violentam pro rerum conservatione: cum inter jacturam rerum, & vitæ, qui Furi eripitur, nulla sit proportio.* Verùm non advertit Buddeus, bonorum rationem spectare quàm maximè ad vitæ conservationem. Et quamvis non sit proportio physica inter bona, & vitam: est tamen proportio moralis. Siquidem vita sine bonis aut omnino duci nequit, aut admodum egrè. Idcirco Catholicorum omnes illam addunt conditionem, ut nempe bona sint in notabili quantitate; quam plerique etiam Protestantium admittunt. Non negamus, perfectiùs esse, sinere nos expoliari, quàm alterum occidere; & ad id assequen-

(1) De Off. hom. & Civ. l. 1. c. 5. §. 16.

(2) Inst. Theol. mor. p. 2. c. 3. sect. 3. §. 20. in notis.

sequendum conari debemus. Sed hic sumus in considerando uniuscujusque Jure naturali. Cæterum expendendum esset, an ad commune bonum faceret virtutis hujus exercitium? Advertit Gronovius Grotii glossator rem hanc: *Inculcat Grotius Evangelicæ Legis perfectionem: quasi perfectio Evangelica sit, demere metum Grassatoribus nocturnis, & exponere Bonos Facinosorum impunitiori audaciæ:*

VIII. De Honore autem, ac Fama non eodem modo ratiocinandum est, ac de Bonis hæctenus dictum est. Quamvis enim honesto Viro *Melius est bonum nomen, quàm divitiæ multæ*: adhuc tamen non licet ad conservandum bonum hoc nomen occidere *Calumniatorem gravia crimina de se spargere minantem: vel occidere falsum Accusatorem, falsos testes, aut etiam Judicem, a quo iniqua certò imminet sententia etiamsi alia non suppetat via defendendi se, aut damnum vitandi*; prout definitum est ab Alex. VII. & ab Innoc. XI. in contrariis propositionibus damnatis. Ratio autem est, tum quia occisio Calumniatoris, vel Infamatoris non est certum medium *de se* conservandi famam: quinimò sæpè eam plus iuficit; quia magis vulgatur dedecus, & Occisor in suspicionem venit, quasi alterum sustulerit, ne ipsius dedecus probari possit. Tum etiam quia hujusmodi defensio famæ traheret maximam, & certam Reipublicæ perniciem: dareturque aditus nimio abusui sic, ut esset occasio plurimarum occisionum injustarum ex futili quadam specie cujuscunque calumniæ, vel ideali honoris periculo. Non negamus tamen, justam honoris defensionem ex ordinato amore sui descendere: illud utique negamus, occisionem certam esse posse remedium abiolutè certum ad honorem vel conservandum, vel recuperandum. Datur in Republica modus certior, & conducibilior pro utroque casu, nempe *Via juris, & Auctoritas Magistratûs*.

Huc illud quoque spectat, quod quærent Publicistæ
in J.

in J. N. An videlicet vel ob periculum accipiendæ alapæ, vel ob acceptam alapam liceat alterum occidere, pro defendendo nempe honore? In 1. casu Grotius (1) distinguit *Jus strictum*, quod appellat *Justitiam explettricem*, ab *Æquitate Evangelii*. Ac primo jure putat licere ex eo, quòd dum alter injuriâ me afficere paratus est, is mihi eo ipso dat *Jus in infinitum* adversum se. At ex *Evangelica Lege* id minimè concedi, quia Christus potius vult, nos injuriam istam tolerare. Verùm contra Grotium insurgit benè Heineccius in *suis Prælect.* aitque: *Sed ego nec ex Lege Evangelica, nec ex jure naturæ stricto procedere arbitror defensionem usque ad destructionem alterius. Nam alapa consideratur aut tanquam injuria, aut tanquam dolorem efficiens actus. Si prius, nullum hęc est periculum, ne per Magistratum satisfactionem accipere non possimus: sin posterius, non est dolor iste tam intolerabilis, ut dignus sit, ut ad eum vitandum alterum destruere conemur.* Pari modo contra Grotium sentit Henricus Cocceii in dictum locum Grotii. Sed Samuel, Henrici Filius, in affirmativam sententiam Grotii, loquens de *Jure naturæ*, descendit, putatque occidi posse, qui alteri alapam infligere paratus est, etiamsi homo iste tutò discedere possit, aut fugere. Rationem sumit ex jure, quod quisque habet a Deo in res, & corpus suum, & ex jure persistendi in loco aliquo, unde sine injuria deturbari non potest. Hujusmodi autem ratio, si cum alterius occisione comparetur, satis admodum inutilis est, ut consideranti patet. Objiciens deinde sibi, nullam dari proportionem mortem inter, & alapam; respondet: *proportionem unice servandam in pœnis, non verò, ubi agitur de necessaria defensione.* Sed & hic hallucinatur Coccejus: cum inter *læsionem Juris, ejusque reparationem* dari necessario debeat rationabilis proportio, quæ dicat quamdam æqualitatem.

In 2.

(1) L. 2. c. 1. §. 10.

In 2. autem casu nempe *Alapæ acceptæ* an liceat alterum occidere, ad recuperandum scilicet honorem, ut ajunt: respondet Grotius negativè. Quia honor est *Opinio de excellentia, seu de virtute*. At hæc non amittitur, alapâ innocenter acceptâ; amittitur enimverò vitiis propriis, & facinoribus adversus rectam rationem patratis. Deinde in bello privato jus defensionis non durat diutiùs, quàm dum præsens est periculum. Tandem etsi detur, amissam esse existimationem, & honorem ex accepta alapâ; honor non recuperatur vindictâ privatâ, quæ est actus illicitus: sed recuperatur optimè auxilio Magistratùs, & poenâ ab illo inflictâ. Hæc Grotius. Sed uterque Coccejus in dictum Grotii locum ajunt, *ad honorem recuperandum licere Nocentem interficere*. Proponunt enim, communi hominum etiam honestissimorum opinione, alapæ talis illationem haberi pro actu infamiam irrogante: unde, quem admodum vita, ita fama cum lædentis internecione defendi potest. Subdunt tamen exceptionem, nempe si ex ipsis actibus de virtute alicujus, ac de ipsius meritis constet, illum tutum esse contra imbecilles obrectationes obscurorum hominum, exemplo Tiberii, Pisistrati, Fabii cunctatoris, aliorumque virorum egregiorum.

Verùm in opposita & vera sententia est Heineccius (1), ubi expendens: *an is, qui pro honore, atque existimatione tuenda ad eadem provolavit, moderamine inculpata tutelæ usus esse videatur?* Resolvit: *solum periculum amittendi vitam, aliæque, quæ cum vita pari passu ambulant, jus nobis dat utendi inculpata tutelæ moderamine. Existimatio verò, & honor propter injuriam non amittitur; imò potiùs in statu civili non desunt media legitima vindicandi injuriam. Quare non possumus non eorum suffragari sententiæ, qui hæc cessare Jus violentæ defensionis prudenter censent.* Ratio autem illa utriusque Cocceii ad
 priva-

(1) Elem. J. N. & G. l. 1. §. 187.

privatam vindictam referri potest: vindicta autem privata, quæ ad recuperandum honorem assumi dicitur, communi suffragio exhibetur. Grotius (1), & Puffendorfius (2) ajunt: *meram vindictam, quæ nihil aliud præter lædentis perniciem quærit, sub crudelitatis vitio natura proscripsit*. Idem cæteri ferè Publicistæ; & Buddeus (3) idem asserit, & contrariam opinionem apertè refutat: *Pro honore, & existimatione violentam defensionem licitam esse, nonnulli equidem Moralistarum, quos vocant, asseruerunt: sed hoc ipso ne primis quidem doctrinæ Christianæ elementis se imbutos esse, demonstrarunt. Indigni itaque sunt, qui refutentur*. Hæc Buddeus, ubi si de Moralistis Catholicis loquitur, jam Pontificio oraculo, cui parent, errorem suum edocti sunt: ad A catholicos esset sermo dirigendus: quorum libera est errandi facultas, nec Judicem, a quo corrigantur, agnoscunt.

IX. Pro conservatione vitæ propriæ est communissimè admissum *Jus* illud, quod dicitur *Necessitatis*: quod ita nempe intelligitur, ut in concursu *legis alicujus, & vitæ propriæ*, licita sit legis alicujus violatio potius, quam vitæ propriæ amissio. Valet idcirco axioma generatim acceptum: *Necessitas non habet legem*. Sed quoniam leges plures esse possunt, cum quibus vita colluctetur: idcirco non pro qualibet lege verum est proloquium illud *de necessitate*. Sanè leges *humanæ* communiter necessitati prædictæ cedunt. Ut enim obligent, ferri debent humano modo, & ut loquitur Grotius (4), *ferri ab hominibus leges solent, & debent cum sensu humanæ imbecillitatis*: nec debent onus injungere a ratione, ac natura planè abhorrens. Sed hoc fallit, ubi supremus Imperans ad bonum commune illud

(1) Lib. 3. c. 4.

(2) Lib. 2. c. 5. §. 3. de J. N. & G.

(3) Inst. theol. mor. P. 2. §. 20. in notis.

(4) L. 1. c. 4. §. 7. n. 2.

Iud expressè velit, & sit necessarium ad Reipublicæ bonum; in quod utique omnes consentire censentur: eo ipso si res postulet, mortis periculum est subeundum.

De legibus *divinis* major est difficultas. In primis distinguendæ sunt leges divinæ, quæ *Deum ipsum* immediatè respiciunt; quæ sanè si aliquid vetant, & idcirco *negativæ* dicuntur, sanctè servandæ sunt cum vitæ ipsius jactura, ubi opus sit; neque de his legibus esse potest proloquium illud *necessitatis*. Propterea dicuntur obligare *semper*, & *ad semper*. Sunt enim leges istiusmodi *divinæ naturales*, obligantes nempe pro quacunque temporis, loci, ac Personarum circumstantia. Hoc ipsum Ethnici adverterunt; & habemus apud Juvenalem (1):

..... *Ambigua si quando citabere testis,
Incertæque rei, Phalaris licet imperet, ut sis
Falsus, & admoto dictes perjuriam tauro:
Summum crede nefas, animam præferre pudori,
Et propter vitam vivendi perdere causas,*

Nimirum adversus legem: *non pejerandi*. Huc referuntur facta illustria Martyrum, qui nullis adduci poterunt cruciatibus, ut in honorem falsi Numinis vel modicum quid thuris in flammam injicerent, contra legem: *Non habebis alium Deum præter me*.

Sunt autem nonnullæ leges etiam *negativæ*, quæ in Dei honorem latæ sunt, sed non *immediatè* Deum respiciunt: unde non sunt *divinæ naturales*. Sic vetitum erat in veteri testamento laborare die *Sabathi*, & *panes propositionis* comedere: utraque tamen lex necessitati cedebat, ut expressè de prima lege (2), & de secunda (3) potest observari.

Tom. II.

I i

Leges

(1) Sat. 8.

(3) 1. Reg. 21.

(2) Mach. 1.

Leges etiam *divinæ* aliquid positivè præcipere possunt ; & idcirco *positivæ* dicuntur . Hujusmodi autem leges communiter *necessitati* cedunt ; nisi fortè omissio actionis lege præceptæ ea sit , ut tendat in divini Numinis injuriam : in hoc enim casu nulli cedendum est *necessitati* , sed moriendum potius est , quàm actum præceptum omittere . Huc referri debet Danielis factum orantis Deum contra decretum Regis , vetantis poenâ mortis fieri orationem etiam ad Deum intra dies triginta . Daniel verò præcepto divino orationis parendum se putavit cum vitæ periculo : quod factum insigni Deus prodigio ratum habuit . Huc pariter referuntur verba illa Apostolorum prædicantium *in nomine Jesu* contra vetitum Principum . In his enim , atque aliis hujusmodi factis illa etiam divina lex negativa concurrat : *nihil agendum in Dei injuriam* . Aliæ autem leges *positivæ* divinæ , quæ pro aliquibus circumstantiis obligant , cessante eâ circumstantiâ , (quæ in extrema necessitate cessat) non obligant . Quare dicuntur non obligare *semper* , & *pro semper* .

Si quæ verò leges divinæ *Proximum* respiciunt , & *negativæ* sunt , dicuntur etiam *naturales* ; & sanctè servandæ sunt . Huc spectat factum Josephi celeberrimum , qui vitæ , libertatisque jacturam subire maluit , quàm contra Domini jura Dominæ libidini cedere ; obediens nempe legi divinæ naturali : *Non adulterium facies* . Ubi verò colliduntur officia aliorum *positiva* cum vitæ nostræ jactura , cæteris paribus , legibus officia illa præcipientibus necessitas prævalet . Sic inhærens tabulæ in naufragio , alterum , qui eandem tabulam , utrique non sufficientem , apprehendere conatur , citra culpam repellit .

X. Neque aliquid obstat , an necessitas *casu* obveniat , an verò *ex facto* hominum . Utrobique pari modo est ratiocinandum ; uti diximus . Pari etiam modo ratiocinari ex J. N. oportet de *aliorum defensione* contra alterius

rius vim injustam, ut diximus de propria adversus injustum Aggressorem defensione. Fundatur enim hoc in amore ordinato prævalente erga Innocentem Proximum poscentem auxilium contra vim injustam, si nimirum præstari possit citra grave incommodum, & periculum.

XI. Illud tandem hic superest expendendum, ubi de justa sui defensione agitur, an *Duellum* sit J. N. justus defensionis modus? Est autem *Duellum*, seu græco vocabulo *Monomachia*, singularis duorum pugna ex condicito suscepta. Potest autem pugna hæc iniri vel formâ quadam *publicâ*, vel *privatâ*. *Publica* monomachia dicit determinatas quasdam solemnitates in conflictu observandas, ut nempe habeatur *loci securitas*, quem *Campum francum* appellant: *litteræ provocatoriæ*, seu epistolium indicens pugnam Adversario missum: *Testes* denique, quos *Patrinos* vocant. *Privata* caret iis ritibus. In utroque tamen casu necessariò dari debet ad veram Duelli intelligentiam, ut sit indictum ex *privatis causis*, ex *privata auctoritate*, & eo fine ut vel *occisio*, vel *mutilatio*; vel saltem *vulnus* intendatur. Quare singularia illa certamina, quæ vel in Sacris Scripturis, vel in historiis leguntur, puta Davidis, & Goliathi, Horatorum, & Curiatorum apud Livium, Æneæ, ac Turni apud Virgilium, revera non possunt appellari Duella, de quibus loquimur. Instituuntur enim hæc a duobus exercitibus, ut plurimorum cædi parcat; ac pari ratione in recentioribus exemplis plura produci ad rem possent, quæ verè Duella non sunt. Sic legimus ab Eduardo III. Rege Angliæ provocatum Philippum VI. Valesium; a Carolo V. Imperatore Franciscum I. Galliarum Regem: a Carolo Ludovico Electore ad Rhenum Comitem Turenim; & S. Venceslaum Bohemiæ Ducem ad hoc singulare certamen se obtulisse adversus Ducem Curimensem, visosque Angelos arma ministrasse, & dixisse Adversario, *ne ferias*. Hæc autem omnia non gesta sunt *privatis ex causis*, sed *publicis*.

blicis. Quemadmodum autem licitum est talibus de causis, ad bonum nempe reipublicæ, in bello justo, integros committere exercitus: ita & licitum erit consensu mutuo partium controversiam totam duorum, aut paucorum certamini committere. Sic expressè tradit Grotius (1) & Puffendorfius (2).

Privata autem causa, cur Monomachia fiat, esse potest i. ad manifestandam veritatem, innocentiam, justitiam, tanquam recto probationis modo. Sic apud Germanos, teste Puffendorio l. c., usus inoleverat, ut, quoties Reus delictum negabat, deficiente aliâ probatione, cum Actore manus conferere juberetur, & victor absolveretur, victus damnaretur. Quare observat Vellejus Paterculus (3), miratos fuisse Germanos, romano imperio subactos solita armis discerni, jure terminari. ii. Committi solet, & frequentius ad vindicandam injuriam illatam, vel ad defendendum honorem, sive ad vitandam infamiam, si duellum non acceptetur. Ac Diodorus Siculus (4) narrat: *Gallos inter ipsas epulas, causâ ex jurgio quomodocunque arreptâ insurgere, & ex provocatione, nihil vitæ jacturam aestimantes, inter se digladiari solere*. Additque rationem, quòd sibi persuaderent, *Animas denuo in Corpora reverti*. Hoc autem & inter nos Christianos accidisse non rarò visum est, quamvis æternâ morte perituras Animas noverimus. De hoc secundo genere duelli loqui nunc præstat.

Jam *Duellum* non esse justum defensionis modum ex J. N., patet clarissimè. Etenim i. Duellum non est *unicus*, ac *necessarius* defensionis modus: cum dari possit *via Juris* ad recuperandum honorem laesum, vel ad servandum honorem ipsum. ii. Duellum de se est revera medium ineptum ad honorem recuperandum: imò ob eventus incertitudinem nec potest esse medium proportionatum ad intentum;

(1) L. 2. c. 23.

(3) l. 1. 118.

(2) De Off. hom. & Civ. l. 1. c. 5. §. 23.

(4) L. 6. c. 28.

tum; etenim injuriam passus ibi perire potest, quo facto auferetur potius alterius injuria. III. quia datur aptissimum sine Duello medium ad *servandum* honorem, scilicet *per professionem legitimæ defensionis*. IV. Duellum adversatur Amori debito ex J. N. tum Sibi, cum Proximo, & Deo pariter: Nam exponendo directè, & per se sine ulla necessitate aperto discrimini vitam, & salutem, vel membra sive sua, sive Proximi, extra casum necessariæ defensionis, irrogatur certissima injuria Deo Auctori Naturæ, qui sibi reservavit Jus vitæ, membrorum &c., nec est, unde colligi possit traditum cuicumque pro libito tale jus. V. Duellum est etiam societati humanæ perniciosum, & civilis potestatis fundamenta evertit, occasionem cædibus præbet, ac privato cuilibet fovet proclivem tuendi honoris insaniam, & umbratilem declinandæ ignominie timorem. In hanc sententiam descendunt communissimè J. N. Scriptores etiam Protestantes cum Grotio. Vid. Henricus Cocceii (1), atque alii.

Idcirco rationabiles quàm maximè sunt *leges Duella* vetantes gravissimis poenis. In Jure Canonico Tridentinum (2) poenas excommunicationis, amissionis bonorum, perpetuæ infamie, negationis sepulturæ, &c. constituit Duellantibus, & Patrinitis: Consulentibus verò, & Spectatoribus poenam excommunicationis. Pius IV. inter crimina læsæ majestatis accensuit, pænesque poenas indixit. Greg. XIII. & Clemens VIII. eas omnes poenas ad privata etiam duella extendit. Benedictus tandem XIV. in Bulla *Detestabilem* an. 1752. damnavit asserentes, posse vel indici, vel acceptari duellum ad honorem tuendum, vel ignominiam vitandam, quando certò sciatur, pugnam non esse secuturam, utpote ab aliis impediendam; aitque: *quicumque illam (propositionem) docuerit, aut defenderit. . . ipso*

(1) In Comm. ad Grotii l. 2. c. 1. §. 15.

(2) Sess. 25. c. 19. de reform.

ipso facto incidat in excommunicationem, a qua non possit (præterquàm in mortis articulo) ab alio quacunque etiam dignitate fulgente, nisi ab existente pro tempore Romano Pontifice absolvi. Sanè Alexander VII. longè ante damnaverat propositionem hanc: *Vir equestris ad duellum provocatus potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.* Sed Benedictus XIV. non modò usum detestabilem duellorum tollere intendit (quemadmodum expressè notat in prædicta Bulla), sed præcavere a Fidelibus scandalum: qui enim tali pacto indicunt, acceptantque duellum, hoc intendunt, ut cæteri sibi persuadeant, illos verum duellum intentâsse: siquidem patefactâ fictione nihil prodesset ad conservandum honorem, quin potiùs obesset. Unde patet, illicita esse hujusmodi duella.

In Jure etiam Civili (1) Constantinus cruenta spectacula, & Gladiatores prohibuit. Erat enim usus ineundæ Monomachix ad ostentationem virium, animi, peritix militaris, ad gloriam captandam, & præbendam spectantibus voluptatem. Hinc Bruenmannus in l. cit. ait: *Qui duella ineunt, læsæ majestatis rei sunt.* Jure romano novo Leopoldus Imperator monomachiam *sub pœna capitis* prohibuit; quam pœnam potissimùm ei iudicam voluit, qui alterum a se provocatum ita interemisset: Constitutionem hanc deinde An. 1668. Comitia imperialia confirmârunt.

Gallarum Statuta, aliorumque Regnorum, quòd rem hanc spectant, severissima sunt. Vid. Raynaud. (2), alique Auctores.

Sed nihilominus videtur in aliquo casu ita posse constitui Vir equestris, aut militaris Officialis, ut, nisi duellum acceptet, ab inferioribus militibus despectui habeatur, a suis coequalibus debito privetur honore, ab ipsis primoribus Militix Officialibus nequeat justitiam suorum obtinere

tute-

(1) L. un. c. de Gladiator. l. 11.

(2) Tom. 3. de Virt. & vitiis l. 5. sect. 3. c. 3.

tutelam : adeoque cogatur militiae cedere , & aliò migrare cum jactura etiam bonorum suorum . Hic equidem illud assero , non ita frequentem esse casum istum , sed non esse impossibilem ; & defacto accidisse fertur (1) . Verùm cum certum sit , uti to. 1. ostendimus , Jus naturæ non spectare casus aliquos particulares , in quibus per accidens sequatur aliquod contra bonum Personæ particularis : hinc dicendum est , nec esse licitum in casu dicto Duellum , quamvis certò periclitetur officium , & fortuna hujus Officialis . Sic quamvis in aliquo casu particulari Personæ alicujus bonum , & salus posceret mendacium aliquod officiosum ; adhuc nihilominus mendacium non esset J. N. licitum , neque in dicto casu particulari : quia Jus naturæ rem considerat spectatam in se , nec ad circumstantiam aliquam particularem attendit . Pari modo est de Duello pro casu illo ratiocinandum .

Unum , quod fieri potest a Viro equestri , & a generoso quolibet Milite , illud est , nimirum contestari palam , & aperte : se *ubicunque paratum esse non fugã , sed defensione justã tueri seipsum adversus quemlibet Aggressorem injustum : duellum tamen se nolle acceptare , non ex timore , sed ex debita legum naturalium , divinarum , atque humanarum existimatione* . Quæ Christiano homini digna contestatio , & generoso cuilibet Viro apprime conveniens , nullo pacto in Viri equestris , aut militaris Officialis ignominiam cedit . Deinde si ab altero provocetur sub interminatione mortis , nisi congregiatur , non erit acceptatio duelli , sed mera defensio ab injusto Aggressore . Neque enim , ut supra diximus , arripienda fuga est propter rationes jam expositas .

Hinc admittimus , quod asserit Grotius (2) , & Puffendorfius (3) pro statu civili nunquam licere Privatis Personis

(1) In l. Dicemachia Seyboldianæ P. 2. Sect. 4. §. 1. n. 14.

(2) L. 2. c. 20. §. 8.

(3) De Off. hom. & Civ. l. 1. c. 5. §. 13.

nis jus hoc ulciscendi per Duelli oblationem, aut acceptationem: *quia sic nunquam tranquilla futura esset Respublica, sed verè bellum omnium in omnes nasceretur, si manu rem gerere possent privati.* Sed non admittimus, quod uterque asserit, pro *statu naturali*, & in locis, ubi *judicia sunt nulla*, esse licita Duella. Quod quidem reprobatur etiam Heineccius ibi ex eo, quòd nulli unquam licitum est, sumere vindictam, & pœnam infligere alteri ob crimen in se admissum, sed tantum ex incontinenti. Pari modo rejicimus, quod asserit Puffendorsius l. c. ubi quærens: *Sed quid? si jubeant Imperatores, vel nec per indirectum eum negent, se inter suos Ministros ferre posse, qui injuriam hoc modo non vindicet?* Respondet: *tunc quidem homo veluti ad statum naturalem redit, adeoque Duellum in se non injustum est.* Errat in hoc Puffendorsius putans, pro *statu naturali*, ad quem reducit casum illum, duella licere. Subdit nihilominus: *At in causa sua plerunque injustissimum accedit, Deo placere non posse affectus iræ, vindictæ, cupiditatis, odii, sine quibus vix duellum intelligi potest.* Cui equidem propositioni ritè, & rectè explicatæ lubenter subscribo.

Debere autem supremos Imperantes ad arcenda duella præter leges ab ipsis optimè latas, nonnulla ulterius statuere, subdit Auctor libelli *De delictis, & Pœnis*, qui avet maximoperè consilia Principibus vel non requisitus exhibere. Ait itaque (1): *Ratio melior præveniendi Duella esset, si in Provocantem unicè pœna statueretur, cum aperta declaratione innocentie respectu ejus, qui sine sua culpa duellum acceptavit: Coactus enim hic fuisse censendus est, ut id sibi a semetipso defenderet, quod legibus nequit defendi, nempe aliorum opinionem, adeoque notum omnibus faceret, se leges solas vereri, ac timere, minimè verò homines.* Verùm consilia hæc Principibus proferre, non est privati hominis, sed ad eos spectare judico, quos in consilium advocare suum Viris Principibus placet. H O-

(1) §. 10.

ERGA ALIOS OFFICIA ABSOLUTA

DISSERTATIO X.

In quonam fundentur hæc Officia erga alios ? Potissimum absoluta ? Quonam sint hæc Officia absoluta ? An sint exhibenda inimico privato ; an etiam hosti publico ? Quomodo Officia hæc sunt servanda , & quibus in rebus ? De reparatione Juris alieni laesi . Ubi de mendacio . Quid pro reparatione injuriæ personalis ? De obligatione defendendi Proximum , & de obligatione Divitis erga Pauperem in extrema necessitate .

I. **O**fficia erga Proximum sunt *Actiones*, vel *Omissiones Actionum*, quas homo ab homine exigit . Exiguntur autem hujusmodi officia ex *Amore erga Proximum*, qui a *Jure Naturæ* præcipitur juxta ea, quæ alibi diximus . Amor enim erga Proximum est simpliciter necessarius ad felicitatem consequendam, qui est finis *Juris naturæ* . Appositè *Tollius* (1) rem hanc ex contrario ostendit sic : *Hoc maxime judicaretur, siquid tale posset contingere, ut aliquis nos Deus ex hac hominum frequentia tolleret, & in solitudine uspiam collocaret, atque ibi suppedans omnium rerum abundantiam, & copiam, hominis omnino aspiciendi potestatem eriperet . Quis tam esset ferreus, qui eam vitam ferre posset, cuique non auferret fructum voluptatum omnium solitudo ?* Idcirco Deus humanæ naturæ conditor non hominem solum reliquit, sed adjutorium simile condidit : & in *Lege naturæ* hominum cordibus insita, qua homines ad aliquam sibi conciliandam felicitatem uti debent, *Amorem* istum erga *Æquales* præcepit . Si ergo *Amor erga*

Tom. II.

K k

æqua-

(1) De amic. c. 23.

æquales est fundamentum officiorum erga Proximum: cum omnes homines sint naturâ æquales, officia hæc omnes omnino homines respicere debent.

II. Inde sanè profluunt officia *absoluta*, quæ ab homine exiguntur ratione humanæ naturæ omnibus communis; nullo supposito jure per factum acquisito. Prædicta autem officia juxta illud amoris dictamen dirigenda sunt, nempe: *Quod tibi vis fieri, alteri facito: quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris*. Verùm quidem est, ex hoc generali principio oriri officia tum *imperfecta*, tum etiam *perfecta*: quæ quidem distingui oportet.

Perfectò officia *imperfecta* ea dicuntur, quæ Proximo non debentur stricto jure, & in amore *humanitatis*, ac *beneficentiæ* fundantur. Sic I. quisque alteri liberaliter præstat, quæ sine suo detrimento præstare potest. II. quisque alteri præstat, quod magna in copia apud ipsum est, & sine dubio periret; alteri autem esset utile. Qui hæc officia negaret, *inhumanus* diceretur; idcirco spectare dicuntur ad *humanitatem*. Alia etiam sunt, quæ ad *beneficentiam* pertinent. Sic I. ut aliis cum aliquo nostro detrimento prodesse velimus. II. ut hæc beneficia ex *amore* fiant, non ex *sine retributionis*. Ad *beneficium dandum*, ait Seneca (1), *non adducit cogitatio avara, nec sordida, sed humana; liberalis, cupiens dare etiam cum dederit, & augere novis, ac recentibus vetera: & non habens propositum, quanto ei, qui præstat, bono futura sit: alioquin humile est, sine laude, sine gloria prodesse, quia expedit: Et (2) alibi proponit exemplum Deorum plurima beneficia hominibus impertientium, & subdit: Omnia ista sine mercede, sine ullo ad ipsos perveniente commodo faciunt. Hæc quoque nostra ratio, si exemplari ab suo non aberrat, servet, ne ad res honestas conducta veniat. Pudeat ullum veniale esse beneficium: gratuitos habemus Deos.* Hæc Seneca

ca

(1) De benef. l. 4. c. 14.

(2) Cap. 25.

ca ethnicus Philosophus : quid dicere opus est Christiano , divinis Christi præceptis imbuto , ubi Cœlestis Patris exemplum nobis proponitur : *qui solem suum oriri facit super bonos , & malos ; & pluit super Justos , & Injustos* (1) ?

Beneficia rursus exhibenda sunt non cum *superbia , & ambitione* . Atque hic nobis præstò est Seneca (2) : *nihil æquè in beneficio dando vitandum est , quàm superbia . Quid opus arrogantiam vultus ? Quid timore verborum ? ipsa res te extollit . Detrahenda est inanis jactatio , res loquentur , nobis tacentibus . Non tantùm ingratum , sed invisum est beneficium superbè datum* . Et eodem capite sub initium exemplum profert satis præclarum hac super re : *Libet exclamare , quod ille triumvirali proscriptione servatus a quodam Cæsaris amico exclamavit , cùm superbiam ejus ferre non posset : Redde me Cæsuri* .

Tandem beneficia danda sunt *libenter , citò , & sine dubitatione* ; rursus accommodata *tempori , ac stutui Personarum* .

Neque in iis officiis tribuendis habenda est ratio *amicitiae* , sed tantummodo *humanae naturæ* , quæ non in amicis magis elucet , quàm in inimicis ; quamvis in concursu sit prælatio amici præ inimico , viri probi præ iniquo , cognati præ extraneo .

Officia verò *Perfecta* ea sunt , ad quæ tenemur ex jure naturali proprio , ac rigoroso , ita ut fundet in Proximo *jus exigendi* : de quibus infra .

Præter officia *absoluta* modò exposita , sunt etiam officia *hypothetica* , quæ sunt *actiones* quædam , seu *omissiones actionum* , quas homo ab homine *exigit ex hypothese alicujus facti proprii , vel alieni* . Hæc autem officia non minùs , ac illa absoluta a lege naturali præcipiuntur . Siquidem est J. N. præceptum generale . *Cuius suum , quocunque jure acquisitum , tribuere* . Sed de officiis hypotheticis loco suo .

K k 2

plice-

(1) Matth. 5. 45.

(2) De Benef. l. 1. c. 11.

plicemus nunc paulò fusiùs officia *absoluta*, quorum obligatio cum homine ipso oritur.

III. Officia absoluta erga Proximum, utpote ex lege naturali provenientia, non externum tantummodo actum exigunt, sed *internum* etiam. Quemadmodum enim in 1. p. *Princip.* probavimus, legem naturalem inter ños potissimum, & externos pariter humanos actus dirigere: ita dicendum est, officia erga Proximum non debere tantummodo exteriori quadam humanitatis specie perfici, sed intimo quoque animi affectu. Deinde J. N. præcipitur, ut homo de se *paratus* sit, cuique *Jus suum tribuere, neminem ledere*, quæ sunt duo præcepta, alterum positivum, alterum negativum, quibus omnia erga Proximum officia concluduntur. Jamverò actu interno comparatio ista animi haberi unicè potest. Aliud perfectius præceptum nobis tradidit Christus Dominus in verbis illis (1): *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos*: nempe, ut notat Augustinus (2) amore supernaturali orto ex motivo supernaturali.

Primum itaque J. N. officium *absolutum perfectum* est negativum, nempe: *Nemo ledendus*. Quod resolvitur in duo hæc 1. *neminem ledas*. 2. *Si læsisti, damnam repores*. Antequam verò expendamus, quot modis lædi Proximus potest, & quâ viâ damno fiat satis: observandum est, an præcepta hæc omnes omnino homines complectantur, etiam *inimicos*?

IV. Profectò homo quilibet ratione inimicitæ non desinit esse homo, proximus noster, in humana natura nobiscum æqualis: quare in nobis deesse nequit obligatio naturalis eum diligendi, *qua homo est*. Idcirco cuilibet homini privato præcipitur J. N. exhibere inimico suo privato ea dilectionis signa, quæ *communia* sunt ceteris ejusdem statûs, & conditionis. Signa verò *specialia* non ex præcepto,

(1) Jo. 13.

(2) Tr. 9. in Jo. 4.

pto, sed ex consilio exhibenda sunt privato inimico, nisi circumstantia ad præceptum urgeat, puta vel scandalum ex omissione, vel necessitas spiritualis Proximi, & similis alia ratio. Unde sequitur, non licere privato cuilibet vindicare injuriam sibi illatam, ut supra toties diximus, ex eo, quòd vindicta privata Reipublicæ pacem turbaret, ejusque ordinatam constitutionem destrueret, ut patet. Atque in hoc reipsa consistit *condonatio* illa injuriarum, quæ jure naturæ præcipitur: nimirum ut nemo privatâ auctoritate velit injurias suas ulcisci, quod quidem est ex *animo interno remittere*: Non tamen ita remittere obligatur homo, ut viâ auctoritatis publicæ puniri nolit inimicum, ob bonum publicum, ne crimina imposita mancant, & sic ad alia perpetranda facilior fiat animus. Quare improbandum censeo Catonis factum, quod narrat Plutarchus, (1) Occurrens enim Iaveni, qui Judicium sententiis damnatum voluerat quemdam Patris sui defuncti inimicum; illumque completens: hæc scilicet, ait, sunt gratissima defunctorum Parentum umbris sacrificia. Neque enim illis hircorum, oviumque sanguine litandum est, sed Adversariorum lacrymis & exitio.

Seneca pluribus in locis de remittendis injuriis loquitur, tribus præsertim libris *de Ira*. Nonnulla more nostro dabimus. (2) *Nefas est (ait) nocere Patriæ. Ergo civi quoque: nam hic pars patriæ est. Sanctæ partes sunt, si universum venerabile est: ergo & homo homini; nam hic in majore tibi urbe Civis est. . . Ergo ne homini quidem nocebimus, quia peccavit, sed ne peccat: nec unquam ad præteritum, sed ad futurum pœna refertur; non enim irascitur, sed cavet. Et (3) ipsius alibi sunt præclarissimæ sententiæ. Objicit sibi: At enim ira habet aliquam voluptatem, & dulce est dolorem reddere. Minimè. Non enim ut in beneficiis honestum est, merita meritis repensare: ita injurias*

(1) In vit. Cat.

(2) L. 1. c. 38.

(3) Cap. 32.

jurias injuriis. Illic vinci turpe est: hic vincere. Inbumanum verbum est, & quidem pro justo receptum, ultio: & a contumelia non differt nisi ordine. Qui dolorem regerit, tantum excusatus peccat... Magni animi est, injurias despiciere: ultionis contumeliosissimum genus est, non esse visum dignum, ex quo peteretur ultio... Si tanquam ad remedium venimus, sine ira veniamus: non quasi dulce sit vindicari, sed quasi utile. His consentiunt, quæ ex sacris Literis, & SS. PP. auctoritate ad Inimicorum amorem promovendum communiter congerunt ascetici Scriptores. Illud Christi Domini gravissimum æquè, ac dulce præceptum Christianorum animis hæreat: Ego autem dico vobis: diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos (1).

Heterodoxi hac super re rationis lumine abutentes incerti vagantur. Grotius, Puffendorfius, alique eorum a seclæ, ajunt: *nulla exhibenda esse hosti officia jure nature, ne perfecta quidem, quamdiu hostilis in illo animus perseverat.* Heineccius (2) ait, *tantummodo inimicis non esse denegandas res, quibus abundamus.* Profert rationem ex Christi præcepto, (3) & quod hæc imperfecta humanitatis officia non *ex alterius meritis* proficiantur, sed *ex æqualitate nature.* Verum & illi falluntur, cum inimicitia status non excludit hominem ab humanæ nature conditione, quæ fundat ex J. N. amorem erga Proximum; & Heineccius adæquatè rem non assequitur: nam privato inimico ea omnia exhibenda sunt amoris signa ex J. N. quæ communiter aliis exhibentur.

At *hosti publico*, qui a legitimo Principe, vel Republica sit denunciatus, non sunt exhibenda ea officia, quæ in reipublicæ detrimentum cedunt; neque *concedenda* sunt ea res, *quibus abundamus*, si iis utatur hostis in reipublicæ perniciem. De reliquo nemo neget hosti etiam publico officia

(1) Matth. 5. 44. (2) In elem. J. N. & G. l. 1. c. 8. §. 219. 220.

(3) Matth. 5.

ficia illa , quæ Reipublicæ non obsunt : hosti enim exhibentur , non quæ hostis est , sed quæ homo est . Sic servanda essent *pacta* , & *fides* de rebus indifferentibus , *abstinendum a mendacio* cum illo , & alia hujusmodi .

V. Si itaque ex J. N. *neminem* lædere , etiam *inimicum* , fas est , multo magis , non inimicum . Verùm homo lædi potest iis in rebus , quæ juris sui sunt . Sunt autem specialissimi juris sui *Anima* , & *Corpus* cum suis *facultatibus* . Nemo ergo lædendus est in *Anima* , nemo etiam in *Corpore* , nemo tandem in *bonis fortuna* .

Et primò nemo lædendus est in *Intellectu* . Sanè læditur *Intellectus* pravis doctrinis , erroribus , mendaciis , avertendo a veritate , eumque falsis opinionibus imbuedo . Hæc potissima læsio . Accedit tædiofa docendi ratio , & affectata severitas , qua homo ab omni Veritatis , ac Sapientiæ studio abhorret ; quod adnotavit Heineccius (1) . Læditur *Voluntas* , eam corrumpendo voluptatibus , libidini- bus , aliisque vitiis , verbis inhonestis , exemplis turpibus . Optimè hic Tullius , (2) ad Adolescentes verba convertens , ostendit , quantam Voluntati hominis perniciem afferat voluptatis amor , quin etiam & menti obsit summopere . *Accipite , optimi Adolescentes , veterem orationem Archyta Tarentini , magni in primis , & præclari Viri , quæ mihi tradita est , cùm essem adolescens Tarenti cum Q. Maximo . Nullam capitaliorem pestem , quàm corporis voluptatem hominibus dicebat a Natura datam : cujus voluptatis avidæ libidines temerè , & effrenatè ad potiundum incitarentur . Hinc Patriæ prodiones , hinc rerumpublicarum everfiones , hinc cum hostibus clandestina colloquia nasci : nullum denique scelus , nullum malum facinus esse , ad quod suscipiendum non libido voluptatis impelleret ... Cùmque homini sive Natura sive quis Deus nihil mente præstabilius dedisset ; huic divino muneri , ac dono nihil esse tam inimicum , quàm voluptatem .*
Nec

(1) L. 1. c. 7. §. 189.

(2) De Senect. c. 12.

Nec enim libidine dominante temperantiæ locum esse : neque omnino in voluptatis regno Virtutem posse consistere . . . Quocirca nihil esse tam detestabile , tamque pestiferum , quàm voluptatem : siquidem ea , cùm major esset , atque longior , omne Animi lumen extingueret .

Quanti ergo facienda est læsio illata Adolescenti , si quo modo ad immane hoc barathrum incitetur ! Exemplo fit , quod de Dionysio Syracusarum Tyranno refertur : cùm odisset Dionem , quem in Peloponneso arma comparare , ipsique bellum facere conari audierat , novâ quadam ratione de Dione ultus est . Nimirum Filium ejus sic educari jussit , ut turpissimis imbueretur cupiditatibus , & puero adhuc impuberi scorta inducerentur , vino , epulisque obrueretur , nullumque tempus sobrio relinqueretur . Is evasit adolescens , redeunte Patre , & novum præscribente vitæ genus , appositis nempè Custodibus , ut cujuscunque fræni esset omnino impatiens ; ac tandem de superiore ædium parte se deiiceret , atque ita miserè interiret . Hujusmodi injuriam Proximo irrogant , qui libros obscæna tractantes Adolescentibus legendos exhibent , eoque modo illorum animos emolliunt . Hanc eandem injuriam , imò & majorem inferunt Filiis suis Parentes , qui conformem proprio statui tradere negligunt illis educationem , ac rectam institutionem : sive ex inordinato affectu erga illos , ipsis indulgendo ; sive ex avaritia , magistrorum optimorum curam respuendo . Ex qua Puerorum institutione prava oritur non modò infelix ipsorum vita absque ulla decenti eruditione animi , sed & Familiæ totius ruina , & Reipublicæ etiam deploranda perniciēs .

Nemo pariter lædendus in *bonis ad animum spectantibus* , ut puta in *existimatione* , *fama* , *honore* . Quod sanè fieri potest multipliciter . 1. *temerè judicando* adversus Proximum : ubi nempè ex odio , alioque pravo affectu ob levissimas conjecturas sinistram de aliquo opinionem concipimus .

pinus. Hanc utique injuriam, quamvis internam, esse contra Jus naturæ certissimum est; cum quisque Jus habeat, ut de eo rectè sentiat, donec manifestè aliquid non pateat contra suam famam. Idcirco Christi Domini præceptum urget: *Nolite judicare secundam faciem*. Et Heineccius *l. c.* actus omnes inter nos odii, invidiæ, contemptus, & similia adversus Proximum esse contra Jus naturæ deducit ex amore erga Proximum præcepto a Deo, auctore Juris naturæ, cumque Deus καρδιογνώστης sit, non minùs offenditur externis actibus, quàm internis cogitationibus.

II. *Verbis utcumque injuriosis vel per detractionem*; absente Proximo; vel *per contumeliam*, eo præsentem. Atque illa quidem fieri potest etiam per litteras, & famosos libellos.

III. *Factis, & Gestibus*, unde Proximi contemptus, vel irrisio dignoscatur. Quæ aliquando magis alterius animum commovent, & perturbant. Optimè hac de re admonet Ecclesiasticus (1): *Ad amicum etsi produxeris gladium, non desperes: est enim regressus. Ad amicum si aperueris os triste, non timeas: est enim concordatio: excepto convitio, & improprio, & superbia, & mysterii revelatione, & plaga dolosa: in his omnibus effugiet amicus.*

Nemo lædendus *in Corpore*. Et primò quidem Jure naturæ homicidia prohibentur. Apud quascunque cultas gentes horrore fuit semper homicidium. Et quamvis apud Romanos spectacula gladiatorum exhiberentur, ea nihilominus viri probi detestabantur. Sic agebat Seneca (2): *Non pudet homines, mitissimum genus, gaudere sanguine alterno, bella gerere, gerendūque liberis tradere: cum inter se etiam mutis, ac feris pax sit?* Et infra: *Homo, sacra res, homo jam per lusum, & jocum occiditur; & quem erudiri ad inferenda, accipiendaque vulnera nefas erat, is jam*

Tom. II.

L I

nudus

(1) C. 22. 26.

(2) Ep. 95.

nudus, inermisque producitur: satisque spectaculi in homine mors est. Sanè cum jus in hominis vitam Deus habeat, & ad commune bonum Reipublicæ commiserit; maxima sit homini injuria, si ab alio privato, vel citra culpam ipsi vita eripiatur. Hæc pariter injuria Deo irrogatur, Reipublicæ, ac Familia; Deus enim servo, Respublica cive, Familia membro privaretur.

Nemo quoque lædendus in Corpore *verberibus, plagis, vulneribus, mutilationibus, vinculis, inedia*, aliisque hujusmodi afflictationibus. Sunt enim hæc omnia directè contra jus quæsitum unicuique ex J. N. nisi fortè ab habente supremam in Republica auctoritatem. Et idcirco loquimur hic *absolutè, & non hypotheticè.*

Quare ipsamet Respublica *absolutè* nequit vitam Civis sui proindere, hoc est, non factà hypothesi *de ipsius culpa*. Hinc innocentem civem nequit damnare, etiamsi reipublicæ ipsius ruina immineret: non enim habet auctoritatem hanc in vitam Innocentis, ac jus alterius graviter læderetur; quod nullo ex capite fieri licitè potest. *Audi verbum Domini Rex Juda . . . Sanguinem innocentem ne effundatis.* Quod per Jeremiam (1) Regi Juda prohibitum fuit, utique potestati cuicunque supremæ vetitum esse, constat. *Exodi* enim (2) habemus: *Infontem, & Justum non Occides.* *Danielis* (3): *Dicente Domino: Innocentem, & Justum non interficies.* Potest tamen Respublica Innocenti præcipere, ut in aliquo loco se sistat, vel ut Tyrannum adeat, a quo sciat, fore certò occidendum, pro servanda Republica: quia *directè* intendit bonum publicum, & non præcipit Innocentis mortem, sed tantùm permittit ad vitandum majus malum. Non eodem modo erit ratiocinandum, si a Tyranno, ruinam reipublicæ minitante, Virgo, ad violandam eam, peteretur. Virgo enim ob Animæ periculum

(1) C. 23. n. 3.

(2) C. 23. 7.

(3) C. 13. 55.

lum non teneretur ire, adeoque a Republica cogi non posset. Ratio ulterior est, quia in concursu damni spiritualis, & temporalis prævalet illud præ isto: quæ ratio similibus casibus aptari debet. Hinc non est procurandus *abortus*, etiamsi prævideatur mors Mulieris corruptæ: atque hoc duplici ex capite, tum quia esset occisio innocentis, *si fetus sit animatus*; tum etiam quia damnum spirituale pueri sine baptismo pereuntis concurrat cum damno temporali matris; illudque prævalere debet. *Si verò non esset animatus*, (quod nullo pacto constare potest) erit adhuc contra naturam, quæ materiam illam ordinat ad hominem formandum; quemadmodum contra naturam est, & intrinsecè illicitum, procurare pollutionem: esset enim projicere id, quod a natura ad propagationem humani generis est destinatum. Optime igitur Innoc. XI. propositiones binas de abortu procurando damnavit. Neque pariter licitum est ex Jure naturæ Viro, occidere Adulterum, vel Uxorem in adulterio deprehensam. Hic enim obstat duplex illa paullo ante tradita ratio, nempe homicidii privatâ auctoritate illiciti; & damni etiam spiritualis respectu delinquentis. Ratio autem clarissima inde deducitur, quòd nimirum sit in Republica potestas contra Delinquentes, cui licitum est inquirere, examinare, & sententiam ferre, habitâ ratione delictorum. Nequit igitur homo privatus injuriam sibi illatam ulcisci. Damnata est jure optimo ab Alex. VII. propositio oppositum docens. Leges Civiles hic non moror: juxta aliquos tantum permittunt hujusmodi occisionem; juxta aliquos tantum non judicialiter procedunt ad puniendum Homicidam. Potuit autem id a legibus civilibus decerni, vel quòd cum hominè gravissimè læso putaverit dissimulandum: vel ut perniciosum adulterii crimen ab hominum mentibus averteret. Exinde nihil contra *Jus naturæ* decerni potest.

Nemo tandem lædendus *in bonis fortuna*. Quamvis hæc læsio supponat propriè rerum divisionem, & ad officia

hypothetica referri debeat, nihilominus inter absoluta potest etiam recenferi. Si enim nulla facta censeatur divisio rerum: adhuc ea, quæ quisque ad sui sustentationem sibi comparaverit, potest jure retinere, & sine injuria non potest ab alio privari. Verùm de hoc infra; ubi *de Officiis hypotheticis* redibit sermo.

VI. Sed ad alteram primi officii negativæ partem de non lædendo Proximo accedamus, nempe: ad *Reparationem* alieni juris læsi: *Si læsisti, damnum repares*. Sanè quæ enumeravimus læsionum capita, sunt utique fontes restitutionum; & quamvis nonnullæ restitutiones fieri debeant ex J. N. *hypothetico*; sunt tamen alia ex J. N. *absoluto*. Sic qui modo aliquo reddidit hominem mentis impotentem, puta potione aliqua: tenetur ex J. N. reparare damnum omne, quod inde secutum est in iis nempe, quæ ipse acquirebat studio mentis, quæ compensari debent. Rursum qui verbis suis alteri damnum peperit, tenetur J. N. damnum reparare: sive verba fuerint contra *famam Proximi* etiam ex mera garrulitate, tenetur ea retractare: multo magis si *directè* intenderetur læsio famæ alienæ. Si ve fuerint *contra veritatem*, adeoque *mendacia*; est enim obligatio absoluta naturalis constituens perfectum J. N. officium, proveniens ex præcepto negativo: *Ne Proximo unquam mentiamur*.

Si qua ergo ex mendacio damna sequuta fuerint, debent ex J. N. reparari: Effet enim hujusmodi mendacium *perniciosum*. Mendacium verò non est unquam licitum sive *jocosum* illud sit, sive *officiosum*: sed neque licita est *restrictio purè mentalis*, quæ talis sit, ut Audiens sagax nullo modo, ac nullâ humanâ prudentiâ dignoscere possit, verba loquentis aliquo saltem sensu conformia non esse menti. Ratio autem est, quia finis loquutionis humanæ ex natura ipsa exigit prædictam conformitatem: usurpato autem mendacio, nihil posset certò dignosci: & reipublicæ pax,

pax, & felicitas socialis turbaretur. Quare errat Grotius (1) ubi definit mendacium, *quod repugnet cum Jure ejus, ad quem sermo dirigitur*: ex qua falsa definitione inferi, non esse mendacium, si is, ad quem sermo dirigitur, non ægrè ferat: Rursus nec esse mendacium, *si vita Innocentis aliter servari non possit*: Neque in hostem posse cadere mendacium, cum Jus non habeat, ut vera illi loquamur. Principibus, aliisque Magistratibus, & Judicibus dat plenam mentiendi facultatem. Puffendorffus (2), & alii Protestantes Lutherani docent, *mentiri ob bonum finem, singularem virtutem, & prudentiam esse*: quia tali mendacio non læditur Proximi Jus. Guillelmus Grotius (3) docet: *Sicuti fornicationem simplicem, ita & mendacium non Jure naturæ, sed solâ Evangelicâ lege prohiberi*. Oh præclaros Juris naturæ Doctores! Errant apertissimè: cum mendacium sit contra finem naturæ rationalis in sermone: ejusque turpitudine non ex jure tantum Proximi desumenda est, sed ex intrinseca oppositione cum natura rationali. Quæ objiciuntur ex Scriptura *mysticè* sunt accipienda, teste Augustino (4).

Eadem ratione obligamur *exequi promissa*: nisi circumstantiæ notabiliter sint immutata. Quare si propriâ culpâ a promissis deficiamus, reparandum est damnum inde proveniens. Qui alium vi, vel gravi metu in hæresi, schismate, vel alio errore detinet, debet, amotâ vi, vel metu, illum pristinae libertati restituere; quemadmodum si in errorem induxit, debet illum de errore admonere. Exemplo sint Berengarii morientis verba apud Gersonem (5). Cum enim veram, ac realem Christi Domini præsentiam in Eucharistia negasset, aliosque in errorem traxisset, putavit errorem suum publicè ejurare, ut culpæ suæ conscios ab

erro-

(1) De J.B. & P.I. 3. c. r. §. 12.

(2) De J.N. & G.I. 4. c. r. §. 16.

(3) De Princ. J. N. c. 4. n. 7.

(4) Epist. ad Hieron.

(5) Serm. de Pœn.

errore retraheret. *Hodie mihi apparebit Dominus meus Jesus Christus vel ad gloriam, sicut spero propter pœnitentiam meam; vel ad damnationem, sicut formido propter aliorum corruptionem, quos ad viam veritatis reducere non potui.*

Bini alii etiam in exemplum sunt producendi, qui bonâ fide errorem docuerunt, errore dein detecto, nil non egerunt, ut alios rectè instruerent. Primus sit P. Thomasinus e Congregatione Oratorii, qui cùm ante Innocentii X. censuram Jansenii erroribus adhæsisset, post eisdem damnatos non modò ab ipsis recessit, sed & Familiaribus suis, quos ea de causa invisit, ne priori suo traherentur exemplo, apertè declaravit, id sibi fixum animo esse, ut sedis apostolicæ decretis inhæreret. Alter Franciscus de Salignac Fenelon Archiepiscopus Cameracensis, qui, damnato libro suo: *Explication des maximes des Saints sur la vie intérieure* ab Innoc. XII., Pontificis decreto absque ulla mora se submitit, & librum suum solemnè edicto ipsemet proscripsit, hæc addens verba: *Avertat Deus, ut de nobis unquam fiat mentio, nisi ut dicatur, Ecclesiæ Pastorem existimasse, debere se Pontificio oraculo dociliorem esse qualibet gregis sui oviculâ, nec ullos ponere obedientiæ sue limites.* Huc est tandem referendum exemplum Febronii, errores suos publicè retractantis hoc ipso anno 1778. quemadmodum constat ex epistola Celsi: Viri Archiep. Electoris Trevir: datâ ad SS. PP. PIUM VI. quam idem Pontifex tribus antè diebus, nempe solemnè die Natalis Domini legi jussit in Concistorio coram Cardinalibus unâ cum citata ipsiusmet Febronii retractatione.

Hinc qui alium vi, metu, vel fraude ad peccatum induxit, aut a virtutis exercitio retraxit, tenetur ex J. N. damnum reparare: cùm vis, & dolus adnexam habeat injuriam; & quamvis actio voluntaria sit cum tota vi, aut dolo: adhuc habet aliquid involuntarii: non enim poneretur, si homo in sua naturali existeret libertate. Hand ita tamen

tamen tenetur, si sine dolo, aut vi alium induxisset; *cum scienti, & liberè consentienti non fiat injuria*. Teneretur autem ex charitate modis habilibus illum a peccato revocare; secus Deo, prout debet non satisfaceret. *Horreant, & caveant*, inquit Gerson (1) *qui ad similitudinem Demonum gaudent alios secum trahere ad interitum, præsertim Juvenes, & Pueros; tales, nescio, si potuerint unquam suis pænitere.*

Atque hæc potissimum de damno illato Intellectui, Voluntati, ac Famæ Proximorum. Quid autem de damno illato *Corpori* Proximî nostri? Profectò in injusta *Occisione*, aut etiam *Mutilatione* alterius, tenetur qui injuriam contulit, damna omnia reparare, quæ actum illum sunt consequta; & quidem vel ipsi, vel hæredibus. Et certè i. expensas factas pro illius curatione. ii. Cibos, quibus uti propter vulnus coactus est: iis deductis, quos aliàs consumpsisset, & iis pariter, qui irrationabiliter insumpti sunt: iii. Lucrum cessans, quod ex suomet labore, atque opera percepisset; advertens, quòd Operarius laborando reficitur potius, quàm patitur. iv. Alere tenetur eos, quos ille de jure necessariò alere tenebatur, & alebat ex quæstu laboris sui, ut sunt Pater, Mater, Uxor, Filii: non verò Fratres, Nepotes, aliique hæredes non necessarij, quos ille excludere potuisset. Dixi, *quos alebat ex quæstu laboris sui*: quia si ex aliis bonis, quæ habebat, & extant, illos alebat, non tenetur Occisor, vel Mutilator.

An concurrant Creditores Occisi, vel Mutilati; incertum est. Illud certum, quòd quæ Creditoribus Occisi, vel Mutilati dantur, ex iis, quæ Hæredibus restituenda sunt, detrahentur. Hæc autem damni reparatio non injuriam Personalem respicit, sed tantum realem; quæ potius ad bona fortunæ spectat, quorum amissio injuriosa reparari semper debet per bona pariter fortunæ ex J. N.

VII. Ex-

(1) Serm. de Pœn.

VII. Expendamus nunc pro reparanda injuria *personali*, seu naturali, an detur modus aliquis ex J. N. ? Profectò reparatio siqua fieri posset, maximè per bona fortunæ; & Justitia vindicativa cogere potest Reum ad reparandam dictam injuriam per bona ordinis inferioris, & Judicis mandato ad hoc teneretur Reus. Verùm, spectato jure naturali, non eodem modo ratiocinandum est. Non enim dari videtur hæc obligatio exhibendi nimirum bona Fortunæ pro injuria personali illata ex J. N.

Siquidem, hoc admisso, posset ex J. N. statui, quantum pro vita, vel membro exactè sit solvendum. Hæc autem proportio sine ulla ratione constitueret: cum illa duo sint ordinis diversi, &, ut verbo utar geometrico, incommensurabilia ex natura sua. Non ergo decerni potest mensura adæquans utramque partem naturaliter. Ex Jure igitur naturæ non est obligatio reparandi injuriam personalem per bona fortunæ. Neque defectus iste compensationis per bona fortunæ videri debet absurdus in casu injuriæ personalis: Nam qui alium læsit in bonis spiritualibus, quæ sanè est injuria maximi momenti, non potest hujusmodi damnum ex J. N. compensare, ut est certum. Quis enim dixerit, quòd qui fraude aliquem in peccatum adduxit, debeat præterea damnum pecuniâ reparare? Et qui pecuniam non habeat, debeat in alio bonorum genere pœnam pati, puta in honore, vel bonis spiritualibus?

Non ita verò se res habet, si Occisus, aut Mutilus sit Servus. Quia vita Servi (quemadmodum & alterius Animalis) pretio existimatur, quod ad æqualitatem rependi potest: & pro mutilatione, aut cicatrice, tantum solvendum, quanto pluris venderetur, si illæsus fuisset. Et inde sancitum est in jure civili: (1) *Cùm liberi hominis Corpus ex eo, quod dejectum, effusumve quid erit, læsum fuerit; Judex computet mercedes Medicis præstitas, ceteraque*
impen-

[1] L. ultima §. de his qui effuderint:

impedia, quæ in curatione facta sunt: præterea operarum; quibus caruit, aut cariturus est ob id, quod inutilis factus est. Cicatricum autem, aut deformitatis nulla fit æstimatio: quia liberum Corpus nullam recipit æstimationem.

Quare optima concipitur satisfactio pro damno personali vitæ, aut mutilationis per sinceras doloris significationes, & humilem veniæ petitionem. Atque hoc fortassè indicare voluit S. Thomas (1): *Quando id, quod est ablatum, non est restituibile per aliquod æquale, debet fieri recompensatio, qualis possibilis est: puta cum aliquis alicui abstulit membrum, debet ei recompensare vel in pecunia, vel in aliquo honore, considerata conditione utriusque personæ secundum arbitrium boni viri.* Ubi, ut advertit Lessius (2); intelligitur ex charitate, & ex quadam æquitate naturali; ut sic vel ipse læsus, vel hæredes verè pauperes mœrorem deponant.

Neque obstat, quòd pecuniis aliquando ematur Nobilitas, & Libertas, quæ verè sunt ordinis diversi; nam pecuniis revera non emitur id, quod est esse nobilem, vel esse liberum; sed emuntur propriè emolumenta illa, quæ consequi possunt Nobiles, & Liberi. Vera tamen libertas, & nobilitas nequit pecuniis emi; & idcirco qui dat pecuniam, ut fiat nobilis, ita se gerit, ut nimirum cedat juri ad pecuniam, & acquirat jus ad bona, quæ ex nobilitate proveniunt. Pari modo dici debet de eo, quòd defectus formæ compensetur aliquando per divitias, & sæpè efficacius, quàm defectus divitiarum per formam. Nimirum homines duo bona quærent, formam, & divitias: ubi alterum desit, defectus iste dissimulatur ex augmento partis alterius. Sic etiam aliquando dicitur, quòd gravis aliqua calamitas compensetur ortu proles optatæ: significat nempe, dolorem, ac mœrorem ex illa calamitate imminutum, ac valdè levatum bono Filii jam nati.

Tom. II.

M m

Juris

(1) 2. q. 62. ar. 2. ad 1.

(2) L. 2. c. 9. dubit. 23.

Juris naturæ Scriptores Grotius (1), Puffendorsius (2), Heineccius (3), Buddeus pariter (4) uniformes nostræ traditæ sententiæ subscribunt. Grotius (5) putat, Stupratorem teneri aut dotare Mulierem, aut ducere; quin & ad præstanda alimenta obstrictum esse: quia hac in re damnum intulit Stupratæ. Ex qua ratione deducitur, Grotium in Lessii sententiam descendere, qui (6) sustinet, id nimirum intelligi, si fraus, vel promissum præcesserit, & detrimentum inde sequutum sit, non verò si illa liberè consenserit.

VIII. An, qui potuerit commodè Proximum defendere, nec illum defenderit, teneatur ad restitutionem jam dictam ex J. N.? Certum est, eum, qui tenetur ex Justitia defendere alium, & desecerit, teneri ex Justitia ad restitutionem: Sunt autem hujus ordinis Superiores omnes, qui publicam habent auctoritatem, & a Publico aliqua ratione aluntur: Rursus Tutores, Curatores, alique a Magistratu specialiter constituti. Item Milites, Medici, Advocati pecuniâ conducti; ceterique omnes, qui ad id sive explicitè, sive implicitè se obligârunt. Alii verò, qui non ex justitia, sed ex charitate tantùm tenentur, peccant quidem, si, cum possent commodè, alium a gravi damno non tuentur, sed ad restitutionem non tenentur. Pari modo Paterens Filium, & Filius Parentes non ex Justitia, sed ex Pietate tenetur defendere.

Quid autem est dicendum de *Divite*, sinente Pauperem emori in extrema necessitate? Ajo equidem, eum peccare contra Jus naturæ. Tum quia Lex naturæ obligat Divitem ad amandum Pauperem sicut seipsum: pauper enim

quâ

(1) Lib. 2. c. 17. §. 13.

(2) De Off. hom. & Civ. l. 1. c. 6. §. 13.


(3) In Elem. l. 1. c. 7. fin.

(4) Inst. Mor. p. 2. c. 3. sect. 4. §. 7.

(5) Lib. 2. §. 15.

(6) Lib. 2. c. 20. dub. 2.

quâ homo, æqualis est diviti: tum etiam quia in extrema necessitate bona fiunt communia, sin minus quoad dominium, saltem quoad usum juris. Pauper ergo in extrema constitutus necessitate vel tacitè, vel expressè alimenta petit; ergo contra illius jus agitur, denegando illi alimenta. Peccatur igitur eo in casu contra Justitiam, nedum contra Charitatem: utraque enim virtus urget pro ea circumstantia.



HOMINIS OFFICIA
 HYPOTHETICA ERGA ALIOS.
 DISSERTATIO XI.

Quid sint Officia hypothetica? An ad Jus Gentium sint revocanda; & quotuplex sit Jus Gentium? De Dominio originario, & prima rerum divisione. Hertii sententia, & Lockii. De dominio derivativo: & primo ex Facto hominum. Secundo loco ex Lege. Ubi de Præscriptione. De Mari libero, & de Mari clauso. De Transitu innoxio per alienas Terras.

I. **O**fficium hominis *hypotheticum* erga Proximum est *Actio*, vel *Omissio Actionis*, quam homo ab homine exigit, *præsupposito aliquo jure per factum acquisito*. Exprimitur sic: *Cuius suum quocunque jure acquisitum tribuere*. De Officiis *absolutis* erga Proximum nulla est controversia, ea ad Jus naturæ pertinere. Verùm de *hypotheticis* controversatur, num ad Jus naturæ, an verò ad Jus Gentium spectent? Controversiæ fundamentum illud est, quòd nimirum hæc Officia hypothetica oriuntur ex hypothese certi *status* hominis, vel *facti*, quæ non humanam naturam generatim spectatam afficiunt, sed positâ aliquâ mutatione, idcirco ad *Jus Gentium* pertinere dicuntur. Sanè *Jus Gentium* (1): definitur *Jus humanum voluntarium, quod usu exigente, & necessitatibus humanis, Gentes humanæ inter se constituerunt*. Quare duo sunt fontes *Juris Gentium* constituendi, nempe *Necessitas, & communis Utilitas*. Verùm de hoc *Jure Gentium humano voluntario* nimium quantum controversatur: affirmatur, (ut Catholicos nunc omittam) a Grotio (2), & ab aliis cum
 Gron-

(1) Ex Instit. Justin. §. 2.

(2) Lib. 1. c. 1. n. 14.

Gronning (1), & Vitriario (2). Sed negatur a Puffendorffio (3), qui Hobbesii sententiæ neganti subscribit, a Thomasio, Heineccio (4). Et ex Catholicis nonnemo proferri potest cum Reinffestuel (5).

En binæ igitur controversiæ, quæ circa Jus Gentium versantur: Sunt enim, qui Jus Gentium valdè dilatant, ut officia etiam hominum hypotetica Juri Gentium tribuant: Alii ex adverso restringunt adeo, ut non nisi mero nomine existere velint, & omnia omnino officia ad Jus naturæ spectare dicant. Sunt autem alii, qui mediam veluti viam tenent; & duplex statuunt Jus Gentium, alterum *voluntarium, humanum, ac liberum*: alterum verò *necessarium*, obligans omnes Gentes independenter ab usu, & consensu libero. Et in hoc sensu putat Burlamaquius (6), Juris Naturalis præcepta, si considerentur ut applicata *hominibus in particulari*, dici *Legem naturalem*: si verò applicentur hominibus formantibus diversa Nationum corpora, dici *Jus Gentium*. Etenim status naturalis Nationum inter se est status Societatis, & Pacis: adeoque status æqualitatis, & independentiæ, constituens inter ipsos æqualitatem Juris, ex qua obligantur ad mutuos æquales respectus inter se. Principium ergo generale dicti Juris Gentium est: *Lex generalis Socialitatis obligans Nationes ad eadem officia, ad quæ particulares quicunque tenentur*. Idcirco Lex æqualitatis naturalis, ea nimirum, quæ prohibet, malum fieri cuique, & reparari damnum commissum, Lex beneficentiæ, Fidelitas in pactis &c. sunt totidem præcepta Juris Gentium, quibus obligantur Nationes, earumque Principes summi pari modo, ac obligantur priva-

ta

- (1) In bibl. Jur. Gent. l. 3. c. 10.
- (2) Inst. J. N. & G. in Proleg. n. 24.
- (3) De J. N. & G. l. 2. c. 3. n. 23.
- (4) Elem. de J. N. & G. l. 1. c. 1. §. 22.
- (5) In J. Can. Prolegom. an. 34.
- (6) Tom. 2. c. 1.

tæ Personæ. Hæc Burlamaquius, in quibus licet non omnia mihi arrideant, non est tamen, cur non assentiar aliquibus. Ipsemet Auctor aliud agnoscit Jus Gentium *arbitrarium, & liberum* fundatum in quadam conventionum specie tacita. Hujus autem Principium cognoscitivum esse potest hoc: *Quod est aliquo modo conforme, aut disforme naturæ rationali, quodque aliquo modo conducit ad felicitatem, vel hanc turbat: est in Jure Gentium vel præceptum, vel prohibitum.* Principium hoc idcirco tradidi, quia in describendis officiis hypoteticis aliquando ad hujusmodi Jus Gentium delabemur. Hoc negavit Hobbesius (1), ubi non aliud Jus Gentium, nisi Legem naturalem agnovit: *Naturalem scilicet hominum, & naturalem Civitatum. Præcepta utriusque eadem sunt: sed, quia Civitates semel institutæ inducunt proprietates hominum personales; Lex, quam loquentes de hominum singulorum officio, naturalem dicimus, applicata totis Civitatibus, Nationibus, sive Gentibus, vocatur Jus Gentium.* Hunc secutus est Puffendorfius, aliique, contra quos infrâ disseremus.

Interea tamen nolo Werenko (2); & Auctoribus distinguentibus duplex *Jus Gentium*, ut modò explicuimus, negotium facessere: sed potiùs cum Suarezio (3) asserere malo, controversiam esse *de meris vocibus*, nec tanti faciendam. Plura utique Juris Gentium officia ex eodem J. N. fonte oriuntur, ut videbimus: plura nimis remotè ad principia J. N. spectant. Poterunt ergo primi generis officia ad J. G. *necessarium* (quod *primarium* aliqui dicunt) reduci: alterius verò generis officia ad J. G. *voluntarium, ac liberum* (quod *secundarium* appellant) pertinere. Accedit, quod (3) habetur indicatum Jus Gentium *primarium* nempe necessarium in jure Civili, ubi sic legimus: *Quod verò*

(1) L. de Cive c. 14.

(2) In J. N. & G. P. 2.

(3) De leg. l. 2. c. 17. n. 7.

verò naturalis ratio inter homines constituit, id apud omnes peræque custoditur, vocaturque Jus Gentium, quasi quo Jure omnes Gentes utuntur. Poterit itaque in præsentì utrumque hoc Jus supponi; *primarium* constabit in percurrendis pluribus officiis, quæ Nationes servant, & a principiis Juris naturæ descendunt; prout consideratur a Burlamaquio paulo ante citato. De existentia Juris Gentium *secundarii*, nempe *humani, ac liberi*, loquemur infra. Redeamus modò ad officia hominum *hypothetica*, & primò ad ea, quæ respiciunt hominem pro statu præsentì, factà *rerum divisione*, & *statutis dominiis rerum*. Quibus positis, sequitur officium illud erga alios: *Neminem in jure domini sui lædere*. Et deinde aliud: *Si læsisti, damnum repares*,

II. Profectò, quæcunque fuerit causa *divisionis rerum*, sive ex pacto & consensu *libero*, sive ex *necessitate*, certum illud est, post primævam rerum communionem contra Boëclerum a Puffendorfo impugnatam, extitisse *rerum dominia*, & factam *rerum divisionem*. Est dominium *facultas utendi re in commodum proprium ex beneplacito proprio*. Quare in prima divisione statim eluxit quædam *facultas utendi rebus creatis communis omnibus in ordine ad eas sibi privativè appropriandas*. Duo igitur concurrisse putant Complures ad rerum dominium constituendum *i. rerum divisionem*. *ii. rerum occupationem*. Ad hæc duo putat Grotius (1) constituenda, opus fuisse pacto quodam aut *expresso*, aut *tacito*; atque hoc confirmari opinatur ex Cicero-
ne (2). Idem habet Puffendorfius (3): *id (dominium) præsupponit factum humanum, & pactum aliquod tacitum, vel expressum*.

III. Verùm contra hoc pactum sive expressum, sive tacitum sunt alii, & fortasse plures, aliâque ratione rem expli-

(1) Lib. 2. c. 2. §. 2.

(2) Lib. 1. de Off. c. 7. & L. 3. c. 10.

(3) Lib. 4. c. 4. §. 4.

explicant, quam proferre hic juvat. Ac primò quidem Hertius (1) optimè advertit, conventionem non opus esse, nisi ubi plures in unius rei occupatione simul concurrant. Sed generatim loquendo, pro rei dominio ponenda est facultas a Deo concessa; deinde rei occupatio. Egregius est ad rem hanc Ambrosii locus, quem Puffendorfius, atque Hertius citant (2): *Natura omnia omnibus in commune profudit. Sic enim Deus generari jussit omnia, ut partus omnibus communis esset, & terra foret omnium quædam communis possessio. Natura igitur Jus commune generavit, Usurpatio jus fecit privatam. Ubi subdit Hertius: Prima ergo, & antiquissima dominii acquisitio repetenda est ab occupatione . . . qua in re consensus reliquorum supervacuus est: quia ex Voluntate donantis (Dei) occupatio vim excludendi nanciscitur. Quod infra explicat, intelligi posse: vi præsumptæ intentionis Creatoris O. M. qui res in medio posuisse intelligitur ad usum hominum. Quare quæ sibi necessaria sunt, suo jure utitur, & ceteris nihil injuriæ infert, utpote quibus integrum est, sic ferente casu, eadem uti prærogativâ.*

Exinde optimè concipitur rerum divisio sine ullis hominum conventionibus, quibus decerneretur, quid sub dominio alicujus cederet, quid verò in primitiva remaneret communione: *Pedetentim* (prosequitur Hertius) potissimum homines, ut cujusque occasio ferebat, possessiones rerum apprehenderunt, & pacis interdum studio regiones jam occupatas inter se dividerunt. Quòd res ita sub initium facta fuerit, nempe primos homines ita dominia rerum iniisse, argumento esse potest, quòd, ita fecisse adulti generis humani Gentes, doceant veteres historiæ.

In Hertii sententiam devenit uterque Coccejus (3),
eam-

(1) In notis ad Puffendorfi locum cit.

(2) L. 1. Off. c. 28.

(3) In Comment. ad Grotii locum cit.

eamque aliquibus claudit propositionibus i. Jus a Natura humano generi in terram concessum esse. ii. Jus illud concessum esse humano generi vel in universum, vel ut singillatim sumpto: nempe cum præcisione communionis, aut divisionis. iii. Vt hujus facultatis a Natura concessæ singulis hominibus, unicuique jus esse occupandi res nullius: unde *Dominiorum* origo. iv. Hujus Juris occupandi legem esse: meliorem fore conditionem occupantis, & rem occupatam ab alio eripi non posse. v. Jus occupandi non dari in iis rebus, quæ dividi non possunt, ut aër, lumen, & alia; vel quæ inexhaustæ sunt, ut aqua profluens, juxta illud: *Quid prohibetis Aquas? Usus communis Aquarum est* (1). Vel omnibus necessariæ, ut navigatio, piscatio, transitus &c. Hæc ex utroque Coccejo.

In horum itaque sententia non opus fuit divisione ad originem dominiorum, sed merâ *occupatione*, quâ factâ a singulis eo ipso res, quæ omnibus erant communes, ceperunt esse singulorum, ac proinde divisionem passæ sunt. Restat explicanda vox illa *occupatio*, ut intimè dignoscatur Dominium. *Occupare*, ait Coccejus l. c. *est, rem in potestatem, ac custodiam nostram redigere*. In hoc enim casu res fit nostra, idest facultatem acquirimus de ea pro libitu disponendi.

Lockius (2) agit de *rerum Dominio*; ibique asserit, sine mutua conventionem potuisse homines sub initium possidere aliquid proprium, eoque frui. Verùm, ut actu homo possit re aliqua uti, & frui, debet illam efficere *suam*: efficiet autem *suam* labore, & operâ corporis sui, & manuum suarum; quæ unicè *sua* sunt: quidquid ergo acquirit homo ope *laboris sui*, & *industriæ suæ*, efficit suum; nec quisquam alius in id habere potest Jus, modò supersint alia bona, quibus alatur. Incipit itaque proprietatem

Tom. II.

N n

tatem

(1) Ovid. 6. met.

(2) In libello de regimine civili c. 4.

tatem rei illius habere, ubi primùm *operam*, & *industriam suam* ad eam sibi comparandam contulit. Neque ad hoc aliorum consensu opus est: secus homo quilibet in ipsa rerum copia fame periret. Quæcunque ergo in medio exponuntur, ut quilibet uti frui possit; per laborem, industriamque cujuslibet e medio extrahuntur, & propria illius fiunt. Quemadmodum Aqua profluens prostat omnibus in communi; at, qui laborem contulit ad hydriam implendam, ex omnium consensu ad eum spectat hydriæ Aqua. Idem dices de Piscibus in oceano captis, de Lepore occiso in nemore, ubi labor & industria eximunt ea a communitate, & homini proprietatem conferunt.

Non inde tamen sequitur, posse quemlibet sibi tribuere, quantum libuerit: nam ratio ipsa dicitur, modum esse servandum in usu conveniente ad *subsistentandam vitam*, & ad *commodè vivendum*: non verò ad reddendum ea, quæ sibi comparat, prorsus inutilia, ut sinat corrumpi. Idem dici debet de portione quadam Terræ, quam homo sibi propriam facit ratione laboris, & industriæ in ea excolenda, & ferenda. In hac proprietate nulli facit injuriam, cum & similis portio terræ colenda, ac ferenda alteri superstit.

Patet exemplo Aquæ profluentis, quam qui haurit, nulli est injurius, cum semper alia procurrat. Constat hoc ex mente Creatoris volentis Terram ab hominibus excoli, quod non nisi labore, sudore, industriæque cujusque fieri potest. In præsentis rerum statu, ubi ad integram quamdam Nationem spectant plures Terræ portiones, atque in istas Jus habet: nemo sine facultate Nationis potest aliquid ex illa surripere. At sub initium mundi jus erat æquale omnium in omnia, & de tellure habitanda agebatur, quæ proinde toti generi humano fuerat exhibita: idcirco eâ tenebantur omnes lege, ut labore, atque industriâ propriâ aliquid sibi compararent: quo sibi

com-

comparato, nemo poterat alium ab illa possessione sine injuria deturbare. Creator itaque volens Terram coli, potestatem fecit cuique, sibi comparandi quidquid ab unoquoque excoleretur; utque labor, & industria cujusque non potest ad totum extendi, ita neque dominium, & proprietas.

Hæc de originario Dominio, quæ retulimus, valde probabilia sunt: & excluso mutuo illo consensu, optimè concipi potest origo *dominii, rerumque divisio*.

IV. In præsentī verò statu rerum alius datur modus acquirendi dominia, qui *derivativus* dicitur. Duplīciter autem contingere potest, nempe vel *Facto*, vel *Lege*. *Facto* alicujus dominium ab uno transfertur in alium, ubi concurrīt voluntas unius dominium transferentis, & alterius illud acceptantis. Huc referuntur: *Contractus, Pacta, Spontanea renunciaciones, Alienaciones, Donaciones, ultima Voluntates*, atque alia hujusmodi. Hæc omnia convalidantur Jure Naturali, posito dominio originario, modo suprà statuto. Tantùm controvertitur de *Pactis*, utrum nempe *Pacta nuda*, (quibus pro futuro tempore tradenda res promittitur) obligent Jure Naturæ? Sanè Grotius (1) sententiam Connani impugnat, statuentis, *pacta nuda nullam inducere obligationem jure naturæ, ac gentium, honestè tamen impleri*; quod sanè legibus Romanorum consentit, ut ostendit Heineccius (2). Grotius verò probat, *voluntate sufficienter significatâ transferri rei dominium*; atque hoc fusè defenditur ab ipso (3), ubi statuitur, in Dante requiri *voluntatem dandi expressam signo externo, & in Accipiente voluntatem accipientis cum suo signo*. Profectò si dominii derivativi acquirendi *titulus*, qui maximè necessarius est, ex Domini donantis voluntate pendet cum voluntate Accipientis; videtur

N n 2

volun-

(1) Lib. 2. c. 11. §. 1.

(3) Lib. 2. c. 6. §. 1.

(2) Tom. 2. antiq. Rom.

voluntas obligari ex pacto ad standum promissis, & quidem ex Jure naturali, nisi notabiliter mutantur circumstantiæ: secus nihil esset certi in humanis promissis, & humana societas turbaretur. In Pactis verò turpitudinem claudentibus non est servanda fides, etsi firmata fuerint juramento, quod nequit esse vinculum iniquitatis. Si verò opus *turpe sit completum*, controvertitur, utrum adimplendum sit pactum? Warenkus (1) stat pro affirmativa, loquens de J. N. Mihi arridet negativa, utpote magis commoda *ad finem a natura rationali intentum*. Vid. Schwarz (2).

Præter *titulum* dominii, qui est *justa causa rem acquirendi, & acquisitam retinendi*; cujus tituli species undeviginti assignantur a Justiniano (3): sunt, qui necessariam volunt *Traditionem*, atque ita ut sine illa dominium non dieatur verè translatum ex J. N. At negat, requiri hanc *Traditionem* ex J. N. Grotius cum Hubero: affirmat, autem Strauchius cum Vinnio. Warenkus (4) putat tam *titulum*, quàm *traditionem* regulariter requiri, nihilominus non utrumque jure naturali, vel Gentium necessarium esse: *Jure enim Naturæ non est necessaria traditio, licet rationi sit consona, idque ideo: quia sicut ut possim re aliquâ uti naturaliter, requiritur in me vis utendi, & in re conveniens applicatio: ita ut possim re aliqua uti moraliter, seu civiliter tanquam Dominus, requiritur ex parte meo aliquod Jus per Contractum aliquem, vel similem modum: & ex parte rei debita applicatio, quæ fit per traditionem, vel apprehensionem. Huc facit, quòd hac ratione evitetur etiam incertitudo dominiorum, multarum litium seminarium. Consona rationi est igitur, non tamen jure naturæ necessaria traditio.* Hæc Warenkus, quamvis ex ejus ratio-

(1) De J. N. & G. p. 1. sect. 2. cap. 4. n. 586.

(2) Part. 2. tit. 2. §. 1. R. III.

(3) Int. de rer. divis. & acqu. ips. dom.

(4) Lib. de J. N. & G. p. 2. c. 2. n. 756.

ratione citius inferrem oppositum, nempe *Traditionem* esse J. N. necessariam. Verum Henrici Cocceii placet sententia, qui (1) ait: *Plenum dominium sine traditione transferri J. N. non posse*. Dat rationem: Nam dominium concipi nequit sine facultate disponendi de re: hæc autem requirit rem in potestate nostra corporali. *Sola* autem *Transitio* non sufficit ad transferendum dominium sine *justo titulo*, ut diximus. Ex jure Cæsareo Leges aliquæ dantur, quibus asseritur transferri dominium per solam donationem, & acceptationem sine traditione: sic in *hereditate*, quæ aditur, cum acceptatur verbo, vel factò (2), in *legato*, atque aliis hujusmodi exceptionibus: quæ tamen exceptiones vel in rerum ipsarum natura inveniunt fundamentum, vel ex Principis privilegio oriuntur; vel a jure naturali aliquo modo declinant.

Jamvero *obligatio*, quæ oritur ex dominio derivativo, fundatur in Jure naturali; siquidem unusquisque tenetur nulli injuriam irrogare: ergo & servare jura alterius orta etiam ex dicto dominio, & quidem ex Jure naturæ. Et idcirco nemo in suomet dominio turbandus est: & consequenter rebus alieno dominio subjectis citra voluntatem Domini regulariter, si casus extremæ necessitatis excipiantur, non est utendum. Ac tandem Fides in *Contractibus*, & *Pactis* servanda. Quæ omnia sunt J. N. officia, quæ ex dominio derivativo oriuntur.

V. Præter modum derivativum domini ex *Facto* hominis, de quo hætenus, est alius ex *Lege positiva*; seu ex dispositione Juris: in quo casu dominium etiam invito Domino in alium transfertur. Sunt autem modi isti *Sucessio ab intestato*, *Usucapio*, & *Præscriptio*; addunt etiam alii *ipsam Testamentorum confectioem*, quæ saltem circa modum habet in lege fundamentum. Transfertur
sanè

(1) In Comm. ad Grotii l. 1. c. 6.

(2) §. ult. Inst. de hæz. qual.

tanè dominium in primo casu ex lege, quæ in ratione naturali fundatur: hoc enim exigit Reipublicæ felicitas, ne bona maneant incerta, litibusque obnoxia. In *ultimis voluntatibus* concurrit factum hominis, & lex respiciens bonum privatum Testatorum, volentium de bonis suis etiam post mortem disponere, *salvo in vivis dominio*. Hæc autem ad Jus Naturæ *permissivum* spectare dicuntur.

De *Usucapione*, & *Præscriptione* nunc pauca. *Usucapio*, & *Præscriptio* apud aliquos differunt, apud alios minimè. Sunt, qui volunt, *Usucapionem* habere locum in rebus *mobilibus*; *Præscriptionem* vero in *immobilibus*: rursus illam contentam esse *usu capte* rei, seu *possesse* per tempus lege definitum; hanc verò requirere præterea *titulum*, & *bonam fidem*. Alii verò ajunt, utramque confundi, & in utraque requiri possessionem rei alienæ tempore per legem statuto, rursus *titulum*, ac *bonam fidem*: & in rebus tam *mobilibus*, quàm *immobilibus* indiscriminatim utramque usurpari tam in lege Civili, quàm in Jure Canónico. Jamverò AA. Publicistæ post Grotium (1), & Pufendorhium (2), ac Wolfium (3), sustinent communiter, esse de J. N. *Usucapionem*, ac *Præscriptionem*. Horum ratio reducitur ad hoc, quòd: *is, qui longissimo tempore rem suam non vindicat, sed eam ab alio patitur uti, rem derelinquere voluisse videtur: Animus autem ejus constare potest ex non facto etiam, puta ex scientis silentio, & liberè volentis, quod inferitur ex lapsu temporis*. Ita Grotius l. c. Accedit, non magis Distinctionem dominiorum, ac *Præscriptionem* esse necessariam ad humani generis pacem, ac tranquillitatem. Utraque ergo est de J. N.

Verùm alii negant esse de J. N. positivo, sed admittunt

(1) Lib. 2. c. 4.

(2) De J. N. & G. l. 4. c. 12. §. 8. 9.

(3) Inst. J. N. & G. c. 8. §. 463.

tunt esse de J. N. permissivo, & a lege Civili, & Gentium fulciri. Heineccius autem (1) unice adscribit legi Civili; propterea quod non agnoscit Jus Gentium secundarium, & negat esse adscribendam præscriptionem Juri Naturali. Profectò Warenkus (2) respondet primæ rationi Grotii, & aliorum: sustinet enim esse de J. G. Et quidem contrà sic ait: *Si adest voluntas prioris Domini signis externis sufficienter manifestata, quod ille velit in alterum rei suæ possessorem dominium transferre, illudque actu transferat, abdicando se ejus juri, ut ratiocinatur Adversarius, non est jam opus præscriptione. Uti patet in Renunciationibus, bonorum Cessionibus, Donatione &c.* Atque hanc responsionem adhibet semper, & ubi rejicit rationem Adversariorum desumptam ex titulo derelictionis subdit: *manifestè patet, sistendo in solo jure naturæ titulum pro derelicto nullum alium dari, quam verum, eumque obflare præscriptioni, cum res statim fiat occupantis, nec opus sit fluxu temporis, ac alio justo titulo &c.* Hæc Warenkus, quæ sanè non admodum satisfaciunt: posset enim reponi, *Voluntatem prioris Domini non innotescere nisi ex silentio longi temporis: adeoque non signatè, sed exercitè indicare voluntatem illam suam. Quare opus est fluxu illo temporis, unde Præscriptio oriatur.*

Equidem ajo, ex mero silentio Domini etiam scientis malè inferri, Dominum velle pro derelicto habere rem suam: posset enim habere prudentem quamdam rationem, cur non repeteret. Si verò Possessor probare posset, Dominum potuisse repetere rem facili negotio, & sine rationabili causa noluisse: in tali casu existimari posset, Dominum habere voluisse rem pro derelicta. Nam revera solus longi temporis lapsus nullo jure naturali efficere potest, ut res sit ejus, cujus verè non est. Quare optime con-

(1) In Elem. J. N. & G. l. 1. c. 12. n. 323.

(2) De J. N. & G. p. 2, c. 36. n. 909.

concludi potest, tum ex J. Gentium, tum ex J. Civili positivo, (quibus tranquillitas publica curæ esse debet, & negligentiae pæna irrogari) factum esse Præscriptioni locum, ubi nimirum fuerit *sufficiens titulus certus, immemorialis possessio cum bona fide*: Nulla enim res *malà fide* unquam possideri potest.

VI. Illud hic est etiam expendendum, quod celebri quæstione agitatum est sæculo elapso, *an mare proprium, alicui Populo fieri possit?* Grotius in favorem Belgarum negantium, mare fieri posse proprium, edidit librum sub titulo: *Mare liberum*. Ex opposito Seldenus pro tuendo jure Anglorum, An. 1635. librum adversus Grotii sententiam edidit, cui titulus *Mare clausum*. Ubi statuit, mare ita fieri proprium posse, ut nulli alii genti aditus ad illud ulterius pateat. Puffendorffii testimonio (1) hinc inde Auctores studio partium abrepti accensentur. Equidem Henrici Cocceii sententia mihi placet, qui in *Mari, & Fluminibus* sustinet, posse separari *substantiam* ab *usu*. *Substantia* enim maris consistit in alveo, littoribus, & aqua marina. Siquis ergo has partes in sua habet potestate, ipsam maris substantiam, seu maris proprietatem tenet. *Usus* autem maris consistit in navigando, & piscando, quæ esse, & abesse possunt, salvâ substantiâ, & alii competere possunt.

Jamverò Maris substantiam, & proprietatem esse posse alicujus gentis, videtur omnino certum: tum ex natura ipsa maris, quæ dominium humanum admittere potest; non secus ac terræ ipsius natura: & quamvis Oceanus vastissimus sit, tamen non inde sequitur, impossibile esse, dominium respectu illius; quemadmodum Terra etiam vastissima est, & nihilominus capax est domini. Sanè Grotius ipse (2) concedit, maria non ita magna posse in dominium

(1) Lib. 4. c. 5.

(2) Lib. 2. c. 3. §. 9. & 13. de J. B. & P.

minium alicujus cadere. Ergo de se mare potest capax esse domini: Vastitas autem non reddit dominium impossibile. Deinde plura congeruntur exempla a Seldeno, & ab ipso Grotio l. c., & etiam a Puffendorffio l. c. quibus dominium maris prædictum apertè probatur.

Verùm *usus* maris pari modo fieri unius Populi non potest. Etenim est veluti via patens omnibus, quæ communis est cuicumque, & quæ permissum est a lege naturali, ut quisque possit pergere, quocumque modo voluerit, & potuerit, dummodo *nullum afferatur præjudicium* juribus Populi illius, mari illi dominantis. Quare absolute loquendo, omnibus licet *navigari*, & *piscari* in qualibet maris parte: quod sanè ita est intelligendum, ut detur locus *Præventioni*. Idcirco expendendo dictam inter Anglos, & Belgas controversiam juxta data principia, constitutum fuit, ut a mari britannico de captu halecum, ubi Angli in usu, & exercitio piscandi plures annos soli fuere, meritò excluderentur Belgæ; & victi non nisi inæqualibus conditionibus admissi fuerunt. Contrà verò in mari Spitzbergico de captu balenarum nunquam in usu, & exercitio fuere Angli, neque ex eo, quòd una, vel altera navis eò pervenerit, usus totius maris occupatus præventionem censei potuit: unde Angli victi liberum Belgis usum piscandi cedere coacti sunt.

Pari modo in tractatu Pacis Monasteriensis An. 1648. Batavi obtinuerunt ab Hispanis potestatem navigandi, & commercia habendi *per Indias Orientales, & Occidentales juxta indulta in eum finem data, aut in posterum danda*: quibus verbis ostenditur, Hispanos habuisse jus aliquod in Oceanum: frustra enim indulta peterentur, & darentur ab aliqua Natione maritima, si sola Juris naturalis permissio sufficeret.

VII. Tandem de *transitu* per alienas Terras, vel etiam Maria sunt aliqua certa, & aliqua controversa. *Transitus verè innoxius* communi sententiâ est de J. N. minus ri-

Tom. II.

goroso, & de J. G., estque aded conformis rationi, ut ex eo negato justum bellum indici possit. Grotius (1) notat de Mose (2) transitum innoxium ab Idumæis, & Amorrhæis petente, quo negato, justum illis bellum intulit. *Innoxius enim transitus denegabatur, qui jure humanae societatis æquissimo patere debebat*; ait Augustinus, (3). Quamquam aliqui negant, idcirco fuisse indictum bellum Regi Edom, sed potius ab eo divertisse, multoque itinere circumvisisse terras ejus. De cetero jus æquitatis naturalis fundat obligationem, provenientem ex imperfectis Officiis naturalibus, permittendi transitum, qui sibi sit innoxius, & alteri utilis.

Sed explicari debet, quinam dici debeat *transitus innoxius*. Sanè existimari debet innoxius, non quòd nullum omnino inferatur incommodum: viæ enim conculcantur, & in mari angariantur naves, alimenta transeuntibus supeditantur, annona ingravescit, atque alia hujus generis, quæ sunt incommoda necessaria: Via deinde est medium necessarium ad societatem conservandam; & ad communicandos ultra citroque fructus terræ. Statuto igitur transitu innoxio, pro quo petenda est a Domino loci transeundi *penia*, qui examinare potest, an verè innoxius sit, & an cautio præstanda sit; de quibus transeuntes cum Domino convenire debent: nihil requiritur ultra; ut advertit Samuel Cocceii (4). Gronovius verò in dictum locum Grotii notat, per pacta aliquando impetratum fuisse transitum, pretio constituto. Hoc autem admitterem, si transitus esset *meræ utilitatis*, & *lucri* licèt innoxius. Etenim concessio transitu Personis, ait Grotius ib.; concedi etiam debet *mercibus*. Debet autem distingui, subdit Puffendor-

fius

(1) Lib. 2. c. 2. §. 13.

(2) Numer. 20. & 21.

(3) Lib. qq. 44. super num. ad c. 29.

(4) In l. c. Grotii.

fus (1) merx, quæ sit necessaria aliquo modo vitæ hominum a merce, quæ sit solius emolumentum, & affirmat, nos obligari ad concedendum transitum mercibus, quæ ad vitam aliorum sunt necessaria: sed negat, pari modo teneri pro iis, qui: *ejusmodi asportant merces, quæ ad luxum insiruumdum faciunt, aut ex quarum tractatione non tam vitæ subsidia, quàm lucrum exuberans, & alimenta avaritiæ quærentur.* Hic autem assentior Puffendorffio: nam rationi congruum est, ut aliquid etiam commodi, quod aliunde non debetur alteri, Dominus loci percipiat ex Jure ipso loci. Sic narrat Bulfier, Daniæ Regem, cujus annui redditus quinque, vel sex milliones aureorum computantur, tertiam horum partem a navibus onerariis, per fretum Sand inter Daniam & Sueciam transeuntibus exigere.

Si verò transitus est *militaris*, multo major est controversia. Siquidem si bellum est justum, jure naturæ moveri potest adversus eum, qui immediatè vicinus non est: quomodo autem id fieri potest, si vicinus transitum non det? Videtur teneri Dominus loci transitum concedere: exactà priùs sufficienti cautione de loci sui indemnitate. Sic putant plures cum Grotio l. c. Puffendorffius verò in opposita est sententia cum Vitriario, Gronovio, (2) & aliis. Etenim tali pacto ratiocinantur: In primis non est omnino certum, quòd qui petit transitum innoxium, ut bellum alteri gerat: habeat jus naturale indicendi bellum. Deinde innumera sunt pericula, quibus subjacent regiones illæ, per quas petitur transitus; & aliquando cum tota cautione data exercitus intra Provinciam ingressus sedem belli ibi figit, ut accidisse novimus in hoc seculo. Tandem concedendo transitum innoxium uni parti, offenderetur altera: unde causa belli. Quare iis assentior, qui putant, optimè acturum Dominum loci, si regionum sua-

O O 2

rum

(1) Lib. 3. c. 3. §. 6.

(2) In notis ad Grotii locum cit.

rum fines armato milite custodiat, & neutri parti ad-
dictum se ostendat: unde nec transitum præbeat, neque
neget; & suam Provinciam servando, milites transeuntes
nec amico, nec hostili animo excipiat; sed, nequid audeant,
maximoperè caveat.

Non erit tamen *innoxius* transitus i. si fiat, ut focis
meis bellum inferatur. ii. si fiat, ut communi Gentium,
aut Christianorum societati damnum pariatur: nempe Turcis
bellum inferentibus christiano Principi. iii. Si certum, aut
valde probabile periculum reipublicæ immineret ab hoste tran-
seunte, solito alibi similia damna patrare, nec vellet ca-
vere. Fortasse ex aliquo ex his capitibus Borussiae Rex Fri-
dericus postremis hisce temporibus transitum Militibus ger-
manis, in bello contra Americanos cum Anglis foederatis,
ut contra Americanos pergerent, petentibus absolute
negavit.



SOCIETATE SIMPLICI, ET COMPOSITA.

DISSERTATIO XII.

Status hominis in Societate simplici, & composita. De Statu conjugali, & Familiæ: ubi plura deducuntur ex J. N. illicita. De Matrimonii insolubilitate ex J. N. ubi Protestantium errores. De Impedimentis ex J. N. ut validum sit Matrimonium. De effectibus Matrimonii in Viro, & Uxore. De Patria Potestate in Liberos. Ubi de Liberos institutione: ac de diverso Liberos statu: Eorumque erga Parentes officiis. De Famulorum conditione: Eorumque officiis. De Societate composita. Ubi de origine, & fine Civitatum. Expenduntur, & confutantur Genevensis Russi errores.

I. **U**T cetera hominis erga alios officia *hypothetica* prosequamur, inspiciamus hominem in *duplici* veluti *societate* constitutum. Si homo sibi uni viveret, esset in statu merè naturali constitutus, nullique omnino, nisi soli Auctori naturæ Deo esset subiectus. At verò in præsentī sive suâ sponte, sive factō alieno libertas congenita aliorum officiorum vinculis obstringitur; invenitur enim in Societate constitutus, & veluti in statu quodam adventitio. Societas autem hæc considerari potest *simplex*, seu *prima*, in statu nimirum *conjugali*, *familiæ*, *herili*. Esse etiam potest *composita* in statu *Civitatis*, *Reipublicæ* &c.

Sanè ut de prima, simplicique societate nunc loquamur: Status *conjugalis*, spectato Jure naturæ, est *Societas simplex Personarum diversi sexus ad Sobolem ritè procreandam, & educandam inita*. Ex quo licet inferri, non bene a Gregorio Nysseno dictum (1): Si non peccasset homo, nullum usum fore nuptiarum, & certâ quadam, & ignota ratio-

(1) Lib. de hom. Opif. c. 17. & 22.

ratione propagatum iri hominum genus, qua Angelos etiam multiplicatos esse, credidit. Quòd verò Deus & sexuum discrimen instituit, & Proles generandæ primis Parentibus mandatum edidit, ideo fecisse, scribit, quòd illos peccaturos esse prævidit, & ab Angelico vitæ statu ad bestiarum similitudinem prolapsuros. Et in eadem fuit opinione Joannes Damascenus (1). Sed aliter omnino sentiendum est cum Augustino, ac plerisque aliis, quibus non alio modo visum est, nisi usitatâ sexuum conjunctione Adami posteritatem gignendam fuisse, etiamsi in integritate sua Adam perseverasset. Verùm æstu illo libidinis, qui rationem antevertit, sibi que subiicit, nuptiarum opus cariturum: in quo originale peccatum Augustinus esse putavit, cujus reatus regeneratione tollatur: *Neque enim, etiamsi natura humana primorum hominum peccato vitata non esset, possent Filii nisi de Corporum commixtione generari* (2). Est ergo status hic conjugalis a Deo ut Auctore naturæ institutus, unde & maximè licitus: præceptus jure naturali non hominibus quidem singulis, sed hominum universitati.

Quare status conjugalis strictè intellectus, consistit in *contractu legitimo, quo Mas, & Femina nullo jure impediti, mutuo sibi tradunt jus in corpora ad actus ex se aptos ad generationem proles, & ad individuam vitæ societatem se obligant*. Loquor autem in Jure naturali.

II. Status ergo conjugalis, quæ est societas domestica, dicit de se *cohabitationem Viri, & Uxoris*, & dicitur *Familia*. Hæc autem licet ad mentem Aristotelis complectatur Parentes, Liberos, ac Servos; adhuc ex essentia sua consistit in *Mare, ac Femina*, qui invicem individuam vitæ societatem, & consuetudinem, seu consortium omnis vitæ promittunt. Reliquæ partes nempe *Liberi*, ac *Servi* spectant ad complementum Familiæ, in quam agnoscuntur *Liberi*, assumuntur *Famuli*; sed utrique abesse, salva familiâ,

(1) Lib. 2. c. 30.

(2) Lib. contra Jul. c. 4.

miliâ, possunt: quia & conjugium sterile esse potest, nec fervorum ope indigere. Quare dicuntur accedere ad Familiam, eoque pars ejus fieri, & quidem Liberi naturâ, servi additione.

Inde optimè colligi potest ex J. N. non esse licitam generationem, nisi per modum, quo Uxor obligatur cohabitare cum Viro. Neque enim alio modo constare potest de certo Patre, quod ad Prolis educationem Patri injunctam necessarium omnino est. Idcirco non eodem modo ratiocinandum est de *Polygamia* Feminarum, ac de *polygamia* Virorum, seu de *polyviria*. De qua re in *primo tomo Princ.* disseruimus, ubi de *immutabilitate Juris naturæ*. Pari ratione dicendum est, nullam coitionem cum Libera extra nuptias esse licitam, neque cum eodem sexu, neque cum bruto, neque cum meretrice ex J. N. Patet primum ex fine naturæ destinantis coitionem ad propagationem humanæ speciei modo supra explicatâ nimirum cum obligatione ad individuum vitæ societatem propter finem paulo ante relatam. Multo etiam magis repugnat hoc in ii. casu nimirum dissipare cum puero id, quod naturâ destinatum est ad propagandam humanam speciem: & colligitur etiam ex instinctu brutorum repugnantium coire cum eodem sexu. Maximè verò in iii. quia summopere repugnat naturæ, id, quod est destinatum ad propagandam humanam speciem misceri cum sanguine brutorum. Ultimum etiam ex J. N. non licet, quia natura requirit cohabitationem viri & mulieris, quod in Meretricum concubitu pari modo non est. Illicita ergo est J. N. *Fornicatio*, quocunque modo concipiatur: quia Fornicatio non obligat ad simul cohabitandum virum, & feminam: qua cessante obligatione, incertitudo sequeretur de vero Patre, unde & ruerent officia de Prolis educatione, quæ Juris naturæ omnino sunt.

Repugnat Juri naturæ Adulterium, etiam consentiente
Mari-

Marito ; & optimè damnata fuit ab Innoc. XI. propositio negans , esse adulterium , si Maritus consentiat . Licitam unicè ponimus generationem prolis cum dicta obligatione in Muliere , ut cohabitaret cum Viro ; quæ sanè non habetur respectu Adulteri ; ac deinde incertitudo prolis urget etiam in hoc casu .

Tandem repugnat Juri naturæ crimen Onaniticum ex dissipatione rei destinatæ a natura ad opus maximum propagationis humanæ speciei . Omnis itaque actus , ad usum matrimonii spectans , ex J. N. unicè licitus erit , si *ad finem procreandæ prolis* dirigatur : qui finis primarius est , & matrimonii usum cohonestat . Errârunt itaque , quemadmodum Innoc. XI. in damnatione propositionis definiit , qui asseruerunt , *vacare culpâ copulam solius voluptatis causâ* .

III. Possent hic inquiri , an *Jure naturali* matrimonium sit societas *solubilis* , an *indissolubilis* ? Loquimur autem de matrimonio *perfecto* , & *consummato* : de simpliciter *rato* loquuti sumus in 1. p. *Principiorum* . Jamvero hac in re hallucinantur de more Protestantes , dum a recta Fidei regula divertentes natione naturali abutuntur . Puffendorffius (1) fusè argumentum hoc pertractat . Et quærens de solubilitate matrimonii , *adeoque an eodem Jure* (naturali) *divortia sint licita* ? Respondet tanquam sententiæ incertus , nolle se resolvere , *judicio penes eos relicto* , qui *rationum momenta expendere nörunt* . Sed nihilominus plura resolvit , ubi recta perverfis miscet , veraque falsis . Ait 1. *Juri naturali repugnabit , si unus conjugum ab altero invito discedat , ubi nullum caput pacti matrimonialis fuerit violatum , tantùm ut meliorem sibi conditionem paret , aut quia sic placet* . Ratio , quia *invito auferri non debet jus quæsitum in alterius Corpus* . Hoc autem rectè positum . II. etiam repugnat Juri naturali , si fiat *consensu mutuo citra*

(1) De J. N. & G. L. vi. c. 2. §. 20.

*tra gravissimam causam, quia obstat Jus naturæ; siquidem convellitur decor familiae, & publicus Civitatum. Hoc pariter rectè definitum. III. (1) Ubi matrimonii capita essentialia ab altero fuerint violata, pars læsa potest a Matrimonio discedere iud. Sunt autem capita essentialia, quæ respiciunt finem sobolis procreandæ, cui est necessaria corporum mutua præbitio. Unde si alter malitiosè deserit, aut pertinaciter negat debitum, ex mero J. N. alter liberabitur vinculo. Subdit. Divortii iusta causa erit, si Uxor alteri corporis sui copiam faciat, & quidem ultro. Ratio: quia conjugium initur, ut suam quisque prolem tollat, non adulterinam, non supposititiam. Per hæc duo capita nempe malitiosam desertionem, & adulterium concludit: non solùm læsa pars cum perfida conjuge non amplius teneatur cohabitare; sed & læsa parti transire ad 2. vota licet. Quidquid in contrarium Jus Canonicum nugeatur. Obstat ergo tantùm in sententia Puffendorffii Jus Canonicum, & quidem nugatorium. En quò tandem evasit irresoluta Lutherani hominis mens! Poterat sub initium sibi sumere, Matrimonium, consummatum nempe, esse absolutè solubile pro aliqua circumstantia, etiam humanâ auctoritate: nec ignorantiam pallio modestiæ affectare verbis illis: *judicium penes illos relinquo, qui rationum momenta expendere nörunt.**

Verùm, qui meliùs rationum Juris naturalis momenta expendunt, asserunt, matrimonii consummati vinculum esse *Jure divino positivo insolubile*. Intellego de matrimonio, quod sit *validum*, & ut dixi, *consummatum*. Si enim *invalidum* est, jam eo ipso non est vinculo ullo obligatum, unde non est, quod solvi debeat. Equidem non dico: *Jure naturali absoluto*, censerì insolubile: Hujusmodi enim insolubilitas non est aded vetita J. N. ut est vetita *Blasphemia, Odium Dei &c.* quæ neque ex dispensatione, modo supra explicato, fieri possunt licita. Sed potiùs, quod pu-

Tom. II.

P p

tant

(1) §. 21. l. cit.

tant aliqui, *Jure naturali conditionato* censeri posse insolubile; scilicet auctoritate divinâ posse solvi; quemadmodum in matrimonio Infidelium, ubi alter fiat fidelis, & altera pars nolit converti, & habitare simul, solvi potest matrimonium, dicente Apostolo (1): *Quod si Infidelis discedit, discedat: non enim servituti subiectus est Frater, aut Soror in hujusmodi*: ut infra. Ratio pro afferendo tantum *Jure conditionato naturali*, ea est, quam sæpissimè usurpant nostri Juris naturalis Scriptores. Status conjugalis exigit de se ex J. N. perpetuitatem, exigit obligationem perpetuam circa Proles educationem, & circa reliqua officia Familiz, quam ex J. N. constituunt Vir, & Uxor. Ergo contra Jus naturæ videntur agere Conjuges, si vinculo se eximant auctoritate propriâ. Sanè Puffendorfius ipse apertè concedit, esse contra Jus naturæ, si unus conjugum ab altero invito discedat. At cur non erit contra Jus naturæ, si alter conjugum alteram compartem averfatus, volens se ab illâ liberare, vel saltem liberationis causam dare, fornicetur, & adulterium committat: propter quod dimissionem speret, ac fortè haud difficulter impetrare possit? Et non dico tantum, agere contra Jus naturæ, quia fornicetur, & adulterium committat: hoc enim certissimum est: sed ex Puffendorfi principiis etiam esse contra Jus naturæ, matrimonii vinculum solvere tali de causa. Daretur enim prona occasio hujusmodi sceleribus, familiæ turbarentur, & complura exinde absurda consequerentur contra decus familiarum, & civitatum: quæ magni sunt a Puffendorfo.

Non sunt igitur *nugæ*, ut lutherano impurissimo homini videntur, illæ *Juris Canonici* leges de insolubilitate matrimonii; sed solidissimæ sunt, utpote in sacris Scripturis expressæ: ex quibus constat insolubilitas Matrimonii ex *Jure divino positivo*, ut suprâ statuimus. Profecitò Christus Dominus (1) dixit: *Quicumque dimiserit Uxorem suam, & aliam*

(1) 1. ad Cor. 7.

(2) Marci 10. v. 11.

aliam duxerit, adulterium committit super eam. Et: Si uxor dimiserit virum suum, & alii nupserit, mœchatur. Item (1): Omnis, qui dimittit uxorem suam, & alteram ducit, mœchatur. In quibus locis Christus Deus noster absolutè loquitur, adeoque nullam dimissionis causam excludit, & idcirco neque adulterii, propter quod utique licitum est, divortium quoad torum instituire. Concordant ea, quæ alibi (2) habentur: *Quod Deus conjunxit, homo non separet*. Et Apostolus (3): *Is, qui matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, Uxorem a Viro non discedere: quodd si discesserit, munere innuptam, aut viro suo reconciliari*. Excipit tamen Apostolus (4) casum matrimonii infidelium, (de quo paulò superiùs) quorum altera pars convertatur, & altera nolit converti, nec habitare. Patet ex illa averfativa: *Quodd si infidelis discedit, discedat; non enim servituti subjectus est Frater, aut Soror in hujusmodi*. Quæ verba synonyma sunt illis (5), ubi ait: *Libernata est, cui vult, nubat, tantùm in Domino* (6).

Quantà autem insipientiâ, ne dicam, pervicaciâ laborare Puffendorffium, dicemus; si ea, quæ agglomerat, distinctè expendamus, ejusquè miram sententiarum inconstantiam consideremus. Siquidem ubi de supradiçtis Christi Domini præceptis loquitur, ait cum Grotio (7), *Christum id, quod erat convenientissimum, Deoque gratissimum expressâ lege sanxisse, ut matrimonium esset perpetuum*. Deinde refert, quæ Seldenus opinatur (8), nempe Christum inter duas sectas fuisse arbitrum, & decrevisse pro Sama-

P p 2

rita-

- (1) Lucæ 16. v. 18.
- (2) Cap. 19. Matth. v. 6.
- (3) 1. Cor. 7. v. 10. 11.
- (4) 1. Cor. 7. v. 10. 11.
- (5) Ib. v. 39.
- (6) Vid. doctissimam Francisci Mazzei dissert. de Matrimonio Personarum diversæ Religionis.
- (7) Lib. 2. c. 5. §. 6.
- (8) Lib. 3. c. 22.

ritanis, scilicet, non esse licitum divortium, nisi ob turpem causam *πορνηαν*. Post hæc addit; *inter antiquissimos Christianos divortia non fuisse illicita propter causam adulterii*. Et statim subdit: *donec Pontificum superstitione, & iniquitate, connubii vinculum, utroque vivo, insolubile declaratum fuerit*. Quis, quæso, post audita Christi Domini præcepta, ac Pauli Apostoli verba, imò post ipsamet antecedentia Puffendorffii ipsius effata, hanc expectaret absconam, ac præposteram illationem? Sed contra Romanam Ecclesiam ubi scribendum sit Puffendorffio, & veritatis, & bonæ fidei, & pudoris, & ratiocinationis ipsius jactura nihili perditur.

Quid? quòd (1) paulò inferiùs loqui etiam vult expressè de divortiis faciendis in lege Christiana, expenditque Miltoni sententias, ejusque rationes pro iis admittendis; & oblitus eorum, quæ contra Ecclesiæ decreta paulò superiùs dixerat, concludit: *sed ista quidem nos in medio relinquitur*. Quænam autem est Miltoni hujus sententia? En quàm latè patens divortiorum via! Putat hic Auctor, juxta etiam Religionis Christianæ principia, *mores intolerabiles, disparitatem, ac venientiam animorum* inter Conjuges sufficientem esse divortii causam, imò & longè graviolem, quàm sit naturalis defectus, aut morbus, aut corporis scæditas. Ac de istius sententia nihil statuit aliud Puffendorffius; nisi quòd tanquam *ἀδελφονογον* relinquit in medio, nempe nihil illi vult negotii facessere. Quid ergo certi poterit ex hisce Auctoribus in re tam gravi deduci? Dubia, ambigua, incerta sunt omnia. Oh præclara humanæ societatis capita!

IV. Diximus, Matrimonium consistere in contractu *legitimo*, seu qui fiat juxta legem *naturalem* primùm, deinde etiam *civilem*: atque id, abstrahendo ab iis, quæ requiruntur, ut sit *Sacramentum*. Posset enim contrahi apud

Iust-

(1) §. 24.

Infideles, vel etiam inter Christianum & Infidelem. Jamvero omnes omnino homines possunt considerari in actu primo capaces contrahendi Matrimonium modo dicto: sed reipsa aliqua Personæ non sunt habiles ad *validè* contrahendum. Si nimirum habeant impedimentum aliquod ex J. N. Expedit tamen hic hujusmodi impedimenta proferre. Sunt autem, quæ oriuntur ex *Errore*, ex *Ætate impuberis*, ex *Impotentia*, ex *Ligamine*, & ex *Consanguinitate in 1. gradu lineæ rectæ*; quæ sunt ex *Jure naturæ*. Dantur quidem alia impedimenta reddentia invalidum Matrimonium; sed sunt *Juris Ecclesiastici*. Dicemus aliqua de illis J. N. de quibus egit etiam Puffendorfius (1).

In primis *Error* circa Personam tollit consensum voluntarium, qui ex J. N. requiritur ad essentiam matrimonii, quod in Personam determinatam dirigitur: adeoque matrimonium ita contractum est J. N. invalidum. II. *Impuberes* non validè matrimonium contrahunt de præsentia, quamvis validè contrahant sponsalia de futuro: accedente tamen pubertate, possunt resilire a contrahendo matrimonio. Ratio est, quia traditio fieri debet corporis ex utraque parte apti ad coëundum, & ad generationem: quod ante pubertatem non habetur. III. *Impotentes*, qui nempe coire nequeunt, unde unde ita impotentes redditi fuerint, si putentur non habere talem aptitudinem physicam, ex J. N. invalidè contrahunt matrimonium. Ratio eadem est, quia non exhibetur corpus aptum ad copulam conjugalem, unde nec traditur Jus saltem remotum in corpus tali modo idoneum. Inde sequitur, etiam ex Puffendorfi l. c. *invalida matrimonia Spadonum, & similium*: contrà ac asseruit Henricus de Cocceii (1): *Spadones, & Castratos jure naturæ contrahere nuptias, certum est*. Ratio est, quia, si utroque testiculo carent, verum semen non emittunt: unde

(1) L. c. §. 25.

(2) In Gr. l. 2. c. 5. §. 8.

unde absolutè corpus ineptum est, & nequit tradi Jus in corpus physicè omnino ad *generandum* ineptum. Scio, nonnullos Eunuchos matrimonium contraxisse, quod expressè vetuit Leo Imperator (1). Nonnullos etiam Auctores catholicos hujusmodi matrimonia approbâsse *præcisè ad vite societatem*: quod sanè assertum est contra Jus naturæ in matrimonio spectatum, ut nempe generatio prolis verè obtineri physicè possit. Optimè igitur Sixtus V. edicto suo ejusmodi conjugia prohibuit. De Senibus verò etiam ex Puffendorffio l. c. validum asseritur matrimonium, quia corpora de se non sunt physicè inepta. Accedit, quia haberi potest finis secundarius matrimonii, qui est, vel *remedium concupiscentiæ*; vel, ut notat Puffendorffius, *adjutorium mutuum*, qui finis etiam *utcumque hinc obtineri* potest. iv. Ex *ligamine*, nimirum præcedente, quo nempe alter conjugum cum aliqua Persona matrimonium contraxerit, tunc invalidè contrahit cum secunda. Puffendorffius idem sentit (2): *Moralisabilitas deficit illas (fæminas), quæ jam alteri viro (adhuc vivo) sunt nuptæ. Nam jus mariti prioris in eam feminam tamdiu durat, quamdiu eidem non renuncia-verit*. Secunda hæc pars rationis Puffendorffianæ errorem illum supponit *de divortiiis*, quem supra impugnavimus. Rectiùs dixisset, *tamdiu durat, quamdiu vivit*. Sanè de *Polygamia*, ac de *Polyviria* alibi dictum est. v. tandem *Consanguinitas in 1. gradu lineæ rectæ*, nempe inter Patrem & Filiam, inter Matrem & Filium: invalidum reddit matrimonium ex J. N.

Adnotavit hoc idem Puffendorffius (3), ubi ait: *Censentur quoque impuras nuptias contrahere Personæ certis gradibus consanguinitatis junctæ, aut affinitatis nexu conjunctæ: sic ut non solum ab initio tale matrimonium contrahere sit vetitum, sed & idem contractum perpetuo vitio laboret.*

(1) Const. 98.

(3) L. c. §. 28.

(2) L. c. §. 27.

boret. In hanc sententiam descendunt communiter omnes tum Catholici, tum Heterodoxi; sed non una, eademque est omnibus ad id asserendum ratio. Quare placet illud Hertii (1), ut in naturalibus dantur Principia, quæ a priori demonstrari nequeunt, eo quod in sensus incurrant: ita in moralibus quoque deprehendantur, quorum veritas absque ratiocinatione intellectui rectè conformato se insinuat. Plutarchus (2) apud Puffendorium plures dat rationes I. de augendis amicitiiis. II. de vitandis discordiis inter Cognatos. III. ut Uxores haberent pro defensoribus suos cognatos contra Maritos. Alii apud ipsum Puffendorium ad abhorrentiam affectuum humanorum confugiunt.

Ipsemet Puffendorius advertens ad pudorem tegendi pudenda præsertim coram Parentibus, & Liberis ait: *Hic igitur pudor non postrema causa videtur, quare ipso Jure naturæ inter Ascendentes, & Descendentes in recta linea connubia censeantur prohibita.* Sed Hertio causa hæc non probatur ex eo etiam, quod ita incestus apud eas saltem Gentes non esset illicitus, quæ nudæ incedunt, utpote quæ pudorem hunc penitus ignorant. Deinde pudor hic non unice coram hujusmodi Cognatis, sed communiter coram omnibus apud cultas nationes habetur.

Grotius (3) putat illicita hæc connubia, quia Filius lege matrimonii cum Matre uxore non posset Matri eidem obsequium præstare, quod exigit natura: nec Patri Filia ob familiarem consuetudinem. In hanc recidunt rationem, alii, qui ejusmodi conjunctionum foeditatem inde deducunt, quod per eam diversa necessitudinum vocabula confundantur. Sic ex Ovidio (4).

Nec

(1) In l. c. Puffendorfi.

(2) Quæst. rom. 108.

(3) Ad locum Genesis 19. 31.

(4) Metam. X.

*Nec quiddam confundas & jura, & nomina sentis?
Tunc eris & Matris pellex, & Adultera Patris?
Tunc Soror nati? Genitrixque vocabere Fratris?*

Et in veteri quodam Epitaphio :

*Hersilus hęc jaceo, mecum Marulla quiescit:
Quę Soror, & Genitrix, quę mihi Sponsa fuit.
Me Pater e Nata genuit, mihi jungitur illa.
Sic Soror, & Conjux, sic fuit illa Parens.*

Hanc eandem rationem sic alio modo exprimere juvat : Qui matrimonium contrahit, transfert jus & dominium sui Corporis in aliam Personam, & matrimonii usus est usus Juris prædicti, & dominii. At videtur omnino incredibile, quod Deus, & Natura dederit potestatem hominibus transferendi Jus, & dominium proprii corporis in eos, a quibus exigi debet Jure naturę summa reverentia, subjectio, verecundia: quemadmodum esset, si Pater duceret Filiam, si Mater Filium. Usus ergo hujusmodi clauderet intrinsicam turpitudinem, & opponeretur rectę rationi, verecundię, ac reverentię debitę Perentibus juxta communem sensum in Gentibus honestę viventibus. Ergo jure naturę invalidum esse debet hujusmodi Matrimonium. Possset utique Deus dispensare ex pleno dominio in corpora hominum: & in casu extremę necessitatis, puta si toto Orbe pereunte, non remaneret nisi Pater tantum, & Filia: in hoc utique casu non modò non invalidum, sed neque illicitum esset hoc matrimonium, ad propagandum genus humanum: quia reverentia Patri debita tanquam bonum privatum cederet bono communi generis humani propter summam illius necessitatem, propter quam Deus meritò censeretur dispensare. Aliis tamen videtur, ille esse

se casus perituri Orbis : adeo matrimonia hujusmodi horrent .

Haud ita tamen communi iudicio invalida J. N. censentur matrimonia inter Consanguineos in primo gradu lineæ *transversa* , ut puta inter Fratrem & Sororem . Ratio , qua plures Catholici utuntur , qui in hac sententia sunt , quamque etiam adoptavit Puffendorfius (1) , est , quia sub initium generis humani Filii , & Filiæ Adami adeoque Fratres , & Sorores validè matrimonia inierunt . Ergo Jure naturæ non est invalidum hujusmodi matrimonium : cum non sit credibile , Deum voluisse statim sub initium naturæ conditæ legem naturæ violare ; cum alio modo potuisset id impedire , si plures masculos , & feminas creâset . In hac sententia est S. Thomas (2) . Concludit itaque Puffendorfius : *Igitur utique ex positiva lege interdictum istiusmodi connubiorum videtur descendisse* . Quod certè ex nostris Auctoribus desumpsisse putandus est , qui de hac re longè antea disputaverant .

V. Ex matrimonio validè , ac ritè contracto oriuntur plures effectus , qui ad *Familiam* spectant . i. Vinculum conjugale , quo obligantur conjuges ad individuam vitæ societatem . ii. Fides conjugalis , qua tenetur unus alteri debitum conjugale , si petatur , reddere : mutuum amorem exhibere ; & ab omni concubitu , acru , atque affectu venereo erga alias Personas abstinere . iii. Mutua rerum , & bonorum communio non quoad dominium , sed quoad usum in ordine ad familiam . iv. Legitimitas Liberos , recta eorum educatio , & alimentatio . Hæc quidem omnia ad *utrumque conjugem* spectant . Sed de ultimo hoc effectu loquemur deinde .

Aliqua verò propria sunt *Mariti* respectu *Uxoris* . Potestas maritalis ; quàm Vir velut Caput habet in Uxorem in ordine ad eam gubernandam ; apud se retinendam , &

in Tom. II.

Q 9

si im-

(1) L. c. §. 24. (2) 2. 209. 154. art. 9.

si immorigera sit, moderatè puniendam. Potestas tandem ad rem familiarem & domesticam administrandam. Hæc utique est illa Potestas *Oeconomica*, quæ ad Caput familiæ propriè spectat: eique dat Jus regendi, ac moderandi totam familiam. Colligitur inde, quòd ex levi quadam causa, vel molestia, quam habeat Uxor a Viro, non detur Uxori actio pro divortio, seu pro separatione quoad totum, & quoad habitationem: Uxor enim est Viro subjecta in ordine ad disciplinam domesticam. Quænam verò dici debeat levis, quænam gravis causa, vel molestia sufficiens ad divortium: desumendum est ex qualitate Uxoris, & ex communi persuasione hominum illius loci.

Henricus de Cocceii (1) probat potestatem hæc Viri in Uxorem i. ex ipso facto naturæ, quæ sexum masculinum viribus animi, & corporis prævalere voluit. Nec obstat, aliquas Fæminas præstitisse Viris prudentiâ, & fortitudine; id enim non a natura sexus, sed ex vitio, aut virtute particulari personarum est. ii. ex illo Genesis (2), ubi dicitur Mulieri: *Sub Viri potestate eris, & ipse dominabitur tui*. Potestas autem hæc non est *despotica*: neque enim est cum *Jure vitæ, & mortis*. Neque est *berilis*: non enim traditur Jus in Uxorem veluti *servam*. Nec est *absoluta*, sed limitata tantùm quòd ad regimen attinet familiæ, cujus caput est maritus: Non ergo ad Uxoris bona, contractus, aliasque ipsius Actiones, ad familiam non spectantes: Neque ad officia naturalia Matris, quòd spectant jura educandi, alendi, corrigendique mores Liberos. Quare uterque tenetur educare, & alere Liberos, non verò se invicem: & ideo jura dotium sunt introducta, quæ surrogata sunt pro jure contribuendi oneribus sustentandæ familiæ.

Ex Jure ergo naturæ proprium est Matris alere Filios primùm quidem eo alimento, quòd illi suppeditat Natura, dum

(1) In Groetium l. 2. c. 5. §. 2. (2) 3. v. 16.

dum Infantes sunt. Observatur hoc in brutis, quibus natura lac tribuit ad alendos foetus suos, donec ipsi possint de se cibos quærere. Pari modo natura lac dedit Matribus, ut Filiis infantibus illud porrigant. Ordinem ergo naturæ violant opulentæ Matres, quæ cum abundant lacte, ne molestiam illam subeant, dant aliis Filios Nutricibus alendos. Ex quò aberrare incipiunt a prima puerorum educatione Parentes. Plurima enim cum pravo nutricum lacte hauriunt detrimenta Infantes. Ad Patrem utique spectat monere Uxorem de hoc officio suo. Aliqua sunt *Uxoribus* respectu *Viri*. Uxor sequitur dignitatem Viri, etsi disparis conditionis; nisi aliud in pacto sit. Rursus Uxor sequitur domicilium, & forum Mariti: Si verò Uxor nubat inferiori, reipsa non amittit prærogativas sibi connatas, uti est nobilitas, ac illustris conditio; sed illas tantum participatas a Patre, uti est dignitas Consulis, Consiliarii &c. qua fulget ipsius Pater (1). Communiter verò inter nobiles non reputatur. Generatim Uxor ratione subjectionis conjugalis tenetur ad omnia obsequia Marito exhibenda, quæ nimirum ad legem conjugii, & familiæ bonum spectant. Siquidem ex societate domestica Jus est acquisitum Viro in Uxorem quoad Jura familiæ: Utrique in ceteros ejusdem familiæ. Consideranda enim est Familia, instar Corporis, & cuique membro certus competit ordo, & proprium Jus, & cujusque officium a natura definitum est. Erit ergo in bona constitutione Corpus, si membra omnia suo muneri satisfaciant: & pari modo erit optimè constituta Familia, si quælibet pars officii proprii leges sanctè servaverit. *Pax namque est tranquillitas Ordinis* ex Augustino. Quare malè ominari licebit de Familia quæpiam, ubi ipsius membra ordinem suum facilè transgrediuntur.

VI. Aliqua respiciunt *utrumque Parentem* respectu *Filiorum*,

Q. 9. 2

(1) Vid. Schmalzgrueber Tit. 2. l. 4. §. 3.

liorum. Etenim, spectato Jure naturæ, potestas Patria non est penes alterutrum, sed penes utrumque simpliciter. U-
sus verò, & exercitium hujus potestatis vel pendet a pa-
cto, vel independenter ab hoc, principaliter competit Pa-
tri. Constitutâ autem Civitate, *Patris* potissimum Jus est:
extra Civitatem *Matris*. Sic opinatur Hertius cum aliis.
Jus Parentum in Liberos, quæ est Potestas patria respicit
actiones ipsorum quoad vitam *honestè*, ac *feliciter* transi-
gendam.

Origo patriæ potestatis ex Grotio (1), atque aliis pro-
venit ex *generatione*. Hoc ejus est argumentum: *Genui, er-
go impero*. Argumentum autem hoc multiplici ex capite
infirmum esse, contendunt alii. Et omisso Hobbesio, qui (2)
sustinet, eum esse Infantis Dominum, qui primus illum in
lucem ortum habuit: proindeque Matrem esse. Contra quem
scribit Hertius, eumque ex contradictione urget: nam Hob-
bes vult, omnes homines nasci liberos: non ergo sub ma-
tris potestate. At ex ejus argumento potius Obstetrici jus
competeret, quæ infantem primum excipit præ Matre. Eo,
inquam, omisso, Puffendorfius (3) sustinet: *Sola genera-
tio non videtur sufficere ad titulum imperii in Sobolem hu-
manam constituendi*. Requirit præterea *educationem*: quin,
ait, *hanc esse causam proximam potestatis paternæ*. Ratio
ejus hæc est: quia Jus Parentum in Liberos duplici in ti-
tulo fundatur: 1. *In cura eos educandi*. II. In Liberos
ipsorum *præsumpto consensu*, adeoque *pacto tacito*. Quod
ad primum attinet: ait, *non potest illa cura rectè exer-
ceri, nisi potestatem habuerint Parentes, Liberos actiones
dirigendi ad horum salutem*. Igitur eo ipso a natura
injungitur Parentibus, ut imperium utique in Liberos exer-
ceant, quantum ad istum finem sufficit. De secundo autem

no-

(1) Lib. 2. c. 5. §. 1.

(2) De Civ. c. 9. §. 1.

(3) Lib. VI. c. 2. §. 4.

notat Hertius, posse utique præsumi consensum futurum Infantis, sed pactum tacitum fingi omnino non posse. Equidem illorum subscribo sententiæ, quam Hertius tuetur, nempe *Educationem simul cum Generatione* fundamentum esse ex J. N. Patriæ Potestatis.

Potestas hæc *Patris* quâ *talis* tanta est, quanta sufficit ad finem assequendum, nempe *ut Liberos commodè educet*, idest nutriat, & rectè gubernet, donec evadant membra Societatis, & sibi prospiciant. Grotius (1), & post eum Puffendorfius (2) tria distinguit tempora in Liberis I. Imperfecti judicii II. Perfecti judicii, quando est pars familiæ III. Familia egressi, & aliam familiam constituentis. Jamvero pro triplici diverso hoc Liberorum statu diversa competunt officia Parentibus. In I. illo statu omnes Liberorum actiones directioni Parentum subjacent. Æquum enim est, ut qui seipsum regere non potest, aliunde regatur, & naturaliter a Parentibus magis, quàm ab aliis. Rursus quidquid acquirit Puer in ea ætate *de suamet industria*, cedit Patri, qui æquo jure percipit educationis fructum. Quidquid verò *ex aliorum liberalitate* Filio obvenit, etiam requirit acceptionem utique Patris, qui Filii nomine accipiat propter defectum rationis in illo. Pater deinde uti frui potest re illà donatà, & Filium alere: dominium verò est penes Filium, in quem fuit a Donante translatum. Quamvis autem Parentes tenentur curam Liberorum gerere, ut diximus: possunt tamen vel ob utilitatem Proles, vel ob necessitatem alteri Filii curam demandare; atque huic officium paternum eo ipso transfertur.

Verùm in Puerorum institutione quantum communiter peccatur a Parentibus? Ethnicum hominem volo Parentibus Christianis præceptorem hac de re exhibere: Senecam nempe, qui (3) hæc habet: *Plurimum, inquam. prode-*

(1) Lib. 2. c. 5. §. 2.

(2) Lib. c. §. 7. seq.

(3) Lib. 1. de Ira c. 21.

proderit, Pueros statim salubriter institui. Difficile autem regimen est: quia dare debemus operam, ne aut iram in illis nutriamus, aut indolem retundamus. Diligenti observatione res indiget. Utrumque enim & quod extollendum, & quod deprimendum est, similibus alitur. Facile autem etiam attendentem similia decipiunt. Crescit licentiâ spiritus, servitute comminuitur; assurgit, si laudatur, & in spem sui bonam adducitur: sed eadem ista insolentiam, & iracundiam generant. Sic itaque inter utrumque regendus est, ut modò frânis utamur, modò stimulis: nihil humile, nihil servile patiat. Nunquam illi necesse sit rogere suppliciter: nec profit rogâsse. Potius causæ suæ, & prioribus factis, & bonis in futurum promissis donetur. In certaminibus æqualium nec vinci illum patiamur, nec irasci; demus operam, ut familiaris sit his, cum quibus contendere solet: ut in certamine assuescat non nocere velle, sed vincere. Quoties superaverit, & dignum aliquid laude fecerit, attolli, non gestire patiamur. Gaudium enim exultatio, exultationem tumor, & nimia æstimatio sussequitur. Dabimus aliquod laxamentum: in desidiâ verò, otiumque non resolvemus, & procul a contactu deliciarum retinebimus. Nihil enim magis facit iracundos, quàm educatio mollis & blanda. Ideo unicis quò plus indulgetur, pupillisque quò plus licet, corruptior animus est. Non resistet offensis, cui nihil unquam negatum est, cui lacrimas sollicita semper Mater abstersit, cui de Pædagogo satisfactum est... Longè ab assentatione Pueritia removenda est. Audiat verum, & timeat: interim vereatur: semper majoribus assurgat. Nihil per iracundiam exoret. Quod flenti negatum fuerat, quieto offeratur, & divitias Parentum in conspectu habeat non in usu, Exprobrentur illi perperam facta. Hæc Seneca, cujus verbis Christiani Parentes erubescunt quamplures. Hic autem non incongruum reputo de Liberos institutione, unde potissimum & Familiarum, & Rei-

& Reipublicæ totius pendet felicitas, aliquanto fufius ratiocinari; non excedendo interim rationis meæ, *Juris naturæ* videlicet limites.

Illud in primis est ante oculos habendum, oportere, in ipsis Infantium animis laudabiles quosdam habitus veluti instillare, antequam ratio ipsa de pravis vitiorum effectibus valeat judicare. Illos idcirco docere expediet amoris ductu magis, quam præceptorum vi optima quæque Religionis officia. Puerilis siquidem ætas leges utcunque sanctas haudquaquam assequitur; nec animo complecti potest; quin & verendum est, ne tædio affectus ea, quæ ad Religionem spectant, oneris loco habeat Puer. Inde fiet sanè, ut cum adolescat, & necessaria, atque etiam utilia condiscat morum præcepta, nihil sibi difficile, ac non usitatum experietur, sed prono omnia, ac lubenti animo perficiet. Sic ante omnia Deum amare, vereri, ac ritè colere, tum divinam Matrem, Sanctosque ceteros Dei famulos venerari sciat. Hæc sint prima rectæ institutionis in Christiano Puerio fundamenta, nequicquam oblatrante Ruffoo.

In Puerio insinuetur erga alios sibi æquales pueros vel inter lusos ipsos veritatis, justitiæ, ac benevolentiam amor: integritas pariter, ac liberalitas erga omnes: benigna erga egenos miseratio. Nimirum hæc bonarum Virtutum semina, citra perfectum rationis usum in Puerorum animis jacta, optimam cursu temporis, ac bono Reipublicæ proficuum segetem parient.

Ubi verò a Puerio excessimus, & Adolescentem habemus: tunc profectò curandum est, ne imparatum, vacuumque animum foeda voluptas rapiat. Litteris idcirco, liberalibusque disciplinis mens præveniatur, ubi res domestica, & animi dotes patiantur: secus verò artibus mechanicis applicetur: ut a vitiis, quoad fieri potest, removeatur, & quoquo modo valeat familiæ, & reipublicæ prodesse.

Feme.

Femellis pariter consulendum est, ut a teneris operi, ac censo absolvendo assuescant, & modestiam in re quacunque servant: nec alia de dote, atque ornamento magis gloriantur, & gaudeant, quàm de verecundia, observantia, & fuga frequentia. Si otiosa erit Puella, secessum cane pejus, & angue averfabitur; & ubi videre, & videri in deliciis habeat, de Puellæ moribus conclamatum esse, dices. Quin & ex hujusmodi Puellis bonas in Familiis Matres frustra sibi Respublica pollicebitur.

Pro ea ætate, ubi ratio explicare se cæperit: Juris naturæ præcepta vel a Parentibus, vel a Pædagogo erunt explicanda. Idcirco opus est, ea omnia Parentes, ac Pædagogos optimè nôsse. Et quoniam plura ad *Deum* spectantia ex Fide accepimus, ad Jus etiam naturæ spectat, ea in Adolescentium animis sentim, ac paulatim infundere. Inde etiam, quæcunque ad rectam Religionem in vera, atque unica Christi Ecclesia sunt instituta; ex jure etiam naturæ debet addiscere. Juris enim naturæ est, mentem nostram, ac voluntatem perficere; nec, nisi veri cognitione, ac boni assecutione, perfectio haberi potest. Id sibi persuasum habeat Adolescens, *Deum esse rerum omnium Dominum, ejusque Providentiâ Mundum regi, ab eoque in nos bonorum omnium originem derivare, eumque tandem nostrorum actuum inspectorem, ac judicem esse; & pro actuum diversitate vel præmia, vel pœnas post hanc vitam impartire.* Hanc primam esse, ac potissimam inter omnes leges, asserit Tullius (1).

Quapropter ingenuo Adolescenti est quàm maximè cavendum ab illorum colloquiis, qui vel Religionis officia parvipendunt; vel, quæ ad Fidem spectant, amore libertatis, exiguo rationis humanæ modulo metiri audent. Et enim contra legem naturæ agitur, ubi Deo quæsitum jus auferitur.

Quæ

(1) Lib. de Legib.

Quæ deinde sibimetipsi Officia debentur, quæque aliis : enucleat deinde Pater, vel morum Magister. Optimum ex iis, quæ dedimus, & ex iis, quæ dabimus, Officiorum schema habebit quicumque, si volet. Atque hæc ad primum Liberorum statum spectant, & etiam ad secundum, de quo alia mox subdam.

In secundo statu rectè statuit Puffendorfius (1) : *Patres obtinere aliquod imperium, quatenus sunt capita suarum Familiarum*. Et ante ipsum Grotius l. c. asseruerat : *In 2. tempore cum jam iudicium ætate maturuit, subesse Parentum imperiis non alias actiones, quam quæ ad familiæ paternæ, aut maternæ statum aliquid momenti habent : cum æquum sit, ut pars conveniat cum ratione integri. In ceteris autem actionibus habere Liberos æquæ, seu facultatem moralem agendi ; ita tamen ut teneantur semper curare, quo Parentibus placeant : non tamen irritas eorumdem actiones, siquid contra fecerint*. Hæc Grotius. Ex his utique vera Filiis, & Familiæ felicitas, qui Juris naturæ finis est, apprimè comparatur. Datur etiam ad eundem finem Parentibus potestas correctionis, quæ non se extendit ad *Jus vitæ, & necis* ratione delicti, uti malè asserit Thomasius, & alii ; sed ad eorum perfectam educationem. Advertit Puffendorfius l. c. *Æquum est, ut, si quidem Liberi velint Patri, bonis sustentari, inque illa deinceps succedere, voluntati Patris obtemperent, quatenus illa nihil absurdi, aut incongrui continet. Cui si citra sufficientes causas relaxati fuerint, deprecari non poterunt, quominus Parentes officio educationis nihil præterea superaddant, eosque exheredes esse jubeant . . . Sic in genere Pater pro suis facultatibus tenetur Liberos formare, ut idonea civilis societatis membra fiant. Optima complexio, si ritè explicetur, quid in se claudat, esse idoneum civilis societatis membrum. Optima rursus est Puffendorfius ibidem*

Tom. II,

R r

admo-

(1) L. c. §. x.

admonitio, *solidum tamen, simul & iniquum, invitos Liberos compellere ad genus vitæ, a quo ipsorum genius abhorret.*

Sed multo melius a Seneca edocemur de boni Parentis officio erga Filium (1); ubi Principem instruit, sic scribit: *Quod ergo officium ejus est? Quod bonorum Parentum: qui objurgare Liberos nonnunquam blandè, nonnunquam minaciter solent, aliquando admonere etiam verberibus. Nunquid aliquis sanus Filium ad primam offensam exheredat? Nisi magnæ, & multæ injuriæ patientiam eviderint, nisi plus est, quod timet, quàm quod damnat, non accedit ad decretorium stilum. Multa antè tentat, quibus dubiam indolem, & pejore loco jam positam revocet: simul deplorata est; ultima experitur. Nemo ad supplicia exigenda pervenit, nisi qui remedia consumpsit. Alia in hanc rem, ubi de Principis potestate, adducentur. Hic autem ante oculos habere oportet Apostoli Pauli verba divinæ utique auctoritatis: *Patres nolite ad iracundiam provocare Filios vestros; sed educate illos in disciplina, & correptione Domini scilicet sanctissime, ac mitissime* (2).*

In tertio statu, quando Filius familiam paternam excessit, patriam est potestate solutus, & in omnibus suis libertatis, sui que juris est, manente tamen semper pietatis, & observantiæ debito. Hæc enim perpetua manet, fundatur enim in antea actis Parentum erga Filios meritis. Queritur a Seneca (3): *An aliquando Liberi majora beneficia dare Parentibus suis possint, quàm acceperint?* Pro parte negante illud facere videtur, quod sic exprimit Seneca ibidem: *Quidquid est, quod dat Patri Filius, utique minus est: quia hanc ipsam dandi facultatem Patrâ debet. Ita nunquam beneficio ejus vincitur, cujus beneficium est ipsum, quod vincitur.* Sed nihilominus (4) fusè probat, posse a Filio

(1) L. 1. de Clem. c. 14.

(2) Eph. 6.

(3) L. 3. de Benef. c. 19.

(4) A cap. 19. ad c. 38.

Filio vinci beneficiis beneficia Parentum . Interea tamen Liberorum animos excitat , ut curent Parentibus beneficia semper majora , & ampliora conferre . *Hoc agite optimi Juvenes : posita est inter Parentes , ac Liberos honesta contentio , dederint majora , an receperint . Non ideo vicerunt , quia occupaverant . Sumite modò animum , qualem decet , & deficere nolitis , ut vincatis optantes* : Hujusmodi tamen Parentum erga Liberos merita , & maxima horum erga Parentes veneratio ad scelus vel imperandum , vel exequendum valere non possunt . Longè major est , quæ Deo honesta imperanti debetur , reverentia , & amor . Contingere etiam potest inter illos , qui in Civitatibus degunt , ut propter publicum ministerium Patet Filio reverentiam exhibere debeat , salvâ tamen Patris inter privatos lares prærogativâ , ut advertit Puffendorfius (1) . Sic ipse Fabius Cunctator probavit Filii consulis factum , quod ipsum sibi obvium equo descendere jussisset .

Filiorum partes correlativæ sunt erga Parentes : nempe Observantia , Amor , gratus Animus , &c. In concursu Patris , & Filii in extrema necessitate præferendus est Pater : gravior est enim impietas , Patrem interficere , quàm Filium . In concursu verò Patris , & Matris , præferendus est Pater ; cui major debetur honor , quàm Matri . Rursus præferendus est Pater Conjugi , ut probat Suarezius (2) , cum D. Thoma . Ac tandem præferendus est Pater utcumque improbus cuilibet Viro sanctissimo tum quoad temporalem necessitatem , tum quoad spiritualem . Atque ad Filios dirigit quoque Apostolus divina præcepta nimirum : *Filii obedite Parentibus vestris in Domino ; hoc enim justum est . Honora Patrem tuam , & Matrem tuam : quod est mandatum primum in promissione : ut bene sit tibi , & sis longævus super terram* (3) .

R r 2

Non

(1) L. c. §. 12.

(3) Eph. 6.

(2) De Carit. disp. 9. n. 16.

Non est prætereundum, quod scribit Epicætetus (1): *Omnia Officia mutuis relationibus sunt metienda. Pater est: Præcipitur, curam ejus agendam; cedendum ei in omnibus. Si convicietur, si verberet, ferendum esse. At Pater malus est. Nunquid naturâ cum bono Patre conjunctus es? non; sed cum Patre. Tu ergo munus tuum erga eum tuere, nec, quid ille agat, considera, sed quibus rebus agendis tuum institutum naturæ futurum sit consentaneum. Sic Vicini, sic Civis, sic Imperatoris officium invenies, si mutuas relationes spectare consueveris.*

Ex debito filialis observantiæ non nisi cum bona venia Patris in aliam familiam transibit Filius: quemadmodum Pater non debet nisi ex gravissimis causis Filium e familia ejicere. Quare juxta ipsum Puffendorffium (2) *Officium pietatis exigit, ut (pro contrahendis nuptiis) adhibeatur consilium Parentum, nec reluctetur eorum voluntati.* Sed, quid juris sit Patri *ut capiti familiæ*, subdit, *pendere a legibus peculiaribus civitatum, citra quas haudquidquam Patrifamilias jus videtur esse prohibendi, aut rescindendi matrimonia suorum Liberatorum, quæ nullo alio vitio laborant: si modò isti parati sint familiam paternam facessere.* Nonnulla alia hac super re addentur (3) infra.

VII. Ad Familiæ complementum assumuntur *Famuli*, quibus respondet *Dominus*. Sanè, ait Puffendorffius (4), *Dominus adjungit sibi Servos præcipuè propter commodum, ut rem domesticam commodius, & copiosius eorum operâ curet.* Duo autem distinguenda sunt *servitutis* genera, alterum *imperfectum*, quod est ex Grotio (5), *aut in diem, aut sub conditione, aut ad res certas*: Hanc alii appellant *servitutem pactitiam ex contractu*, & dicitur *famulatus*; & a Puffendorffio (6) hujusmodi servi dicuntur

Mer-

(1) Iu Enchir. c. 37.

(2) L. c. §. 14.

(3) In Dissert. ultima Tit. 9.

(4) l. 3. c. 3.

(5) L. 2. c. 9. §. 30.

(6) L. de off. h. & Civ. l. 1. c. 4 §. 1.

Mercenarii temporarii. Servitus hæc pactitia, seu famulatus originem trahit *remotam* ex inæqualitate conditionis post divisionem bonorum: *proximam* verò haurit ex pacto *spontaneo*. Quare rectè notat Puffendorsius l. c. *Mercenario temporario Dominus conventam mercedem: iste huic vicissim conventam operam debet*. Sunt itaque quoad hanc partem æqualis oneris pacta. Sed nihilominus subdit idem auctor: *Et quia in eo contractu Domini melior est conditio, ideo etiam ejusmodi Minister Domino pro ratione dignitatis reverentiam exhibere tenetur: & ubi malitiosè, aut negligenter opus fecerit, ejusdem coercitioni est obnoxius*. Officia igitur *Famuli mercenarii* sunt, *justè, ac justa præcipienti Domino obtemperare, fidelitatem servare, convenientem Domino reverentiam exhibere*: quod si deliquerit, ad reparationem damni, vel culpæ teneri. Officia Domini erga hujusmodi Famulum sunt: *imperio pactis, & viribus accommodare, nil contra leges divinas, aut civiles jubere, illum non tanquam jumentum, sed tanquam hominem tractare, nempe in natura sui similem; si puniri oporteat, non gravi corporis afflictione, multo minus morte propriâ auctoritate illum plectere, sed in statu civili Magistratûs arbitrio illum relinquere*.

Altera Servitus dicitur *perfecta* ex Grotio l. c. Hic tamen, advertente Henrico Coccejio, non rectè descripsit servitutem *coactam, legalem, seu mancipatam*, prout oportebat. Sic enim definiit servitutem perfectam: *quæ perpetuas operas debet pro alimentis, & aliis, quæ vitæ necessitas exigit*. Coccejus hic notat, descriptionem hanc omnibus *Mercenariis* perpetuis congruere posse. Sanè *promissione operarum libertas non minuitur, nedum non tollitur; sed potius debentur alimenta vi libertatis, quia cuique hominum jus competit disponendi de juribus suis*. Et subdit: *Servitus verò (perfecta) est privatio libertatis, qua homo desinit esse membrum Societatis humanæ: qua extingui-*

guitur facultas agendi, quod sibi lubet: ita ut servus fiat merum instrumentum Domini.

Servi igitur hujusmodi illi dicuntur homines, qui contra naturalem libertatem, quam omnibus indulgit natura, Jure Gentium alieno dominio subijciuntur. *Talis servus*, ait Coccejus l. c., *nullam rem sibi acquirere potest, nec operam sibi præstare, sed ex quolibet facto acquirit Domino, quasi hic ipse fecisset. Hæc servitus Jure Gentium secundario introducta est in bellis, seu captivitate.* Dicuntur idcirco *Servi*, quasi *Servati*: cum jure potuissent occidi; & *mancipia* quasi *manu capti*. Efficiuntur etiam *servi* ex *nativitate* nempe ex *Matre serva*: partus enim sequitur ventrem. Coccejus l. c. addit: ita *introducta* (servitus) *constituitur etiam aliis modis: uti in pœnam §. 4. eod.* (Inst. de Jur. pers.) *Si pretii participandi causa venundari se passus sit. §. 4.* Sed de hisce *servis* infra.

Servis æquè, ac Dominis mandata sua expressit Apostolus Paulus (1): *Servi obedite Dominis carnalibus cum timore, & tremore, in simplicitate cordis vestri, sicut Christo: non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes, sed ut servi Christi facientes voluntatem Dei ex animo, cum bona voluntate servientes sicut Domino, & non hominibus: scientes, quoniam unusquisque quodcumque fecerit bonum, hoc recipiet a Domino sive servus, sive liber.* Hæc ad servos; tum ad Dominos verba convertit: *Et vos Domini eadem facite illis, remittentes minas; scientes, quia & illorum, & vester Dominus est in Cœlis: & personarum acceptio non est apud eum.* Pulcherrima sanè, atque omni humanitate plena præcepta, quibus ritè intellectis nihil est, quod addas, nihil est, quod demas. Quàm malè hac super re Ethnici omnes, etiam Philosophi ratiocinati sunt! Quàm acerbè erga servos sævire eos novimus! Horret animus, exemplum illud supplicii apud Apulejum (2) sive verum, sive

(1) Eph. 6.

(2) De As. Aur. l. 8.

sive ad veritatem confictum delinquenti Servulo inflicti, legere: *Arreptum Servulum ejus, qui causam tanti sceleris luxuria sua praestiterat, nudum, ac totum melle perlitum firmiter alligavit arbori ficulnea, cujus in ipso cariioso stipite inhabitantium formicarum nidificia bulliebant, & utro citroque commeabant multivagæ scaturigine: quæ simul dulcem, ac mellitum corporis nidorem persentiscunt, parvis quidem, sed numerosis, & continuis morsunculis penitus inherentes per longi temporis cruciatum, ita carnibus, atque ipsis visceribus adestis, homine consumpto, membra nudarunt, ut ossa tantum viduata pulpis, nitore nimio candentia funestæ cohererent robori.* Hæc Apulejus de infelicis Servuli atrocissima nece. Augusti clementiâ factum esse, refert Seneca, (1) ut quidam Servus a sæva, cui addictus fuerat, a Vedio Pollione ejus Domino, morte liberaretur. Sic apud ipsum l. c. *Fregerat unus ex Servis ejus crystallinum. Rapi eum Vedius jussit, nec vulgari quidem periturum morte: murænis obijci jubebatur, quas ingens piscina continebat. Quis non hoc illum putaret luxuria causâ facere? Sævitia erat. Evasit e manibus puer, & confugit ad Cæsaris pedes: (qui apud Vedium cæneabat) nihil aliud petiturus, quàm ut aliter periret, nec esca fieret. Motus est novitate crudelitatis Cæsar, & illum quidem mitti, crystallinæ autem omnia coram se frangi jussit, complerique piscinam. Fuit Cæsari sic castigandus Amicus: bene usus est viribus suis.* Hujusmodi poenas vel ipsi heterodoxi J. N. Scriptores improbant; modum in puniendo servare jubent: *Si porro servus lasciviâ Domini iram provocet, ab eoque plagis mulsetur, licitè id fieri, si modus servetur* (2).

VIII. Aliquid etiam nunc addamus de *composita societate*, explicaturi reliqua in sequenti dissertatione. Composita

(1) De Ira l. 3. c. 40.

(2) Ap. Cocceii Henr. l. c.

posita societas in Civitate consideratur, *Ex pluribus familiis oritur Civitas*, ait Cicero (1). Modus autem, quo Civitates coaluerunt, esse potuit admodum vulgaris. Familia, seu Societas domestica Viri cum Uxore est societatis totius humanæ principium: ex ea procedunt Liberi: hi suas uxores ducendo novam constituunt familiam: pluribus familiis, invicem conjunctis, juris tuendi causâ, constituitur Civitas. Potest igitur ex Henrico Coccejio (2) describi Civitas: *Cætus perfectus juris tuendi gratiâ compositus*: Et infra (3): *Civitas est Cætus perfectus liberorum hominum, juris fruendi, & communis utilitatis causâ sociatus*. Ex hac consociatione, qua multi Patres familiarum in unum Populum, ac Civitatem coeunt, maximum datur Jus Corpori in partes: hæc enim est perfectissima Societas. Omnis idcirco externa actio hominis ad hanc Societatem aut per se spectat, aut ex circumstantiis spectare potest. Sic utique ratiocinatur Grotius (4).

Verùm exterior sociatio familiarum nihil omnino prodesset, nisi familiæ omnes in unum consentirent finem, nempe *boni communis*. Profectò Puffendorpius (5) advertit, quòd: *Genuina, & princeps causa, quare Patres familias, desertà naturali libertate, ad civitates constituendas descenderint, fuit, ut præsidia sibi circumponerent contra mala, quæ homini ab homine imminet*. En primum, & optabile bonum ex illa societate, nempe *Præsidium contra mala*. Accedit cognitio propriæ infirmitatis, quæ est *caput indigentia*. Optimè Lactantius: (6) *Homo si haberet ad propulsanda pericula suppetens robur, nec ullius alterius auxilio indigeret, quæ societas esset? quæ reverentia inter se? quis ordo? Quæ ratio? Quæ humanitas? aut quid esset deterius homine? Quid efferatius? Quid immanius? Sed quoniam*

(1) L. 1. de Off. c. 54.

(2) In Grot. l. 2. c. 5. §. 8.

(3) §. 23.

(4) L. 2. c. 5. §. 23.

(5) L. VII. c. 1. §. 7.

(6) De Opit. Dei c. 4.

niam imbecillis est, nec per se potest sine homine vivere; societatem appetit, ut vita communis & ornatio fiat, & tutior. Idcirco agebat Cicero, (1) Civitatem esse multitudinem juris consensu, & utilitatis communione societatem.

Ad prædictos fines obtinendos requiritur unio quædam voluntatum, & virium. Quare optimè intelligi potest, quo sensu accipiatur nomen illud, quod in omnium præcipuè Eruditorum ore resonat, nempe *Patrium studium*, & uno vocabulo *Patriotismus*. Duo dicit ex conceptu suo *Patriotismus*, videlicet *Patriam amare*, & *Patriæ utilem operam præbere*. Amor erga Patriam propriè internus est, effecta tamen exterius manifestantur, quæ in Patriæ subsidio, & adjumento consistunt. Ex hac unione voluntatum, & virium respectu boni communis surgit benè ordinata Civitas. Quicumque ergo duplici hac virtute gaudet, *bonus civis*, Patriæque bene addictus censeretur debet. Atque in hanc explicationem conveniunt fermè omnes etiam ex Protestantibus J. N. Scriptoribus. Sic Puffendorus (2): *Istæ voluntatum, atque virium unio ubi facta fuerit, tunc demum Civitas, validissima Societatum, & Personarum moralium inde emergit*. Idem habet Burlamaqui, (3) atque alii.

IX. Inde sequitur evidenti quadam illatione, *probum Civem* pluris facere debere Patriam, quàm seipsum, *bonum enim commune*, cui probus Civis studet maximoperè, prævalet bono particulari sui ipsius. Quare pro bono communi Patriæ spernenda sunt propria emolumenta, quin & vita ipsa negligenda est. Hæc autem omnia coherent optimè lumini naturali rationis, & sanctissimis Religionis Christianæ principiis. A vero igitur aberrat, ut in aliis rebus, sic etiam hac in re Rousseau, ubi & in Emilio, (4) & in Contractu Sociali apertè asserit, *non posse Christianum es-*

Tom. II.

(1) Lib. 3. de rep.

(2) Lib. 7. c. 2. §. 5.

(3) Princ. nat. tp. 2. c. 4.

(4) Tom. 1. c. 10. §. 10.

se verum patriæ suæ Amatorem: quia lex christiana amare omnes indiscriminatim homines jubet. Insanam ratiocinationem! Lex christiana æquè, ac lex naturalis amorem erga omnes omnino homines præcipit: Exhibentur enim & a recta ratione, & a Christiana Religione solidissima ad hunc amorem iucitamenta. Jus naturæ amorem erga alios homines dicat, prout ostendimus: & lex christiana nova profert ex Fide & quidem graviora ad eundem amorem motiva: nempe Deum esse unum omnium Creatorem, ac Patrem, & Christum Dominum pro omnium salute seipsum immolâsse. Non est Judæus, neque Græcus: non est servus, neque liber: non est masculus, neque femina. Omnes enim vos unum estis in Christo Jesu: ait Apostolus (1).

Verùm & naturalis ipsa ratio, & lex ipsa Christianorum in amore isto ordinem quemdam disposuit. Ex lumine enim naturali quisque dignoscit, Patrem a Filio, Filium a Patre, Amicum ab Amico, potiores in amore partes obtinere. Et pari ratione Patriam respectu aliarum regionum pluris esse a bono Cive faciendam. Idem utique ordo ex Christiana lege servandus est. Lex enim divinitus revelata a lege naturali non discrepat; & Deus Populo suo præcepit, ut Civitatem illam, in qua exulabat, præ cæteris coleret: *Querite pacem Civitatis, ad quam transmigrare vos feci, & orate pro illa, quia in pace illius erit pax vestra* (2). Profectò officia omnia, quæ erga Patriam exhibent Christiani, majorem multò efficacitatem ex Religione hauriunt, quàm ex mera naturali ratione. Paucis ante annis Vir egregius dissertationem typis vulgavit, cujus erat argumentum pariter, ac titulus: *Vir litteratus bonus Civis*. Equidem non inficior, litteratum quemlibet, si nolit animi facultatibus abuti, Patriæ suæ esse debere addictissimum. Sed multò esset solidior propositio: *Vir Christianus bonus Civis*. Siquidem in aliquibus cir-

(1) Ad Gal. 3. 28.

(2) Jerem. 6. 29. 74

circumstantiis, ubi agitur de *summa rei domesticæ*, de *Liberis*, de *Vita* ratio naturalis infirmissima est, & planè unà cum Patria succumbit. At vires ibi exerit maximas Religio, Civi Christiano repræsentans, amorem Patriæ inter virtutes accenseri, Deo justo remuneratori esse acceptum, ab eoque æternis præmiis fore cohonestandum.

Sed urget Ruffous, conaturque ostendere, in Christiana Religione verum Patriæ amorem dari non posse. Sic ex ipsamet Religionis perfectione argumentum sumit (1): *Religio Christiana non modò non adnedit statui, ac Patriæ corda Civium; sed citiùs ab omni terrena re eorum animos abstrahit. Et paulò inferiùs: Christianismus est Religio prorsus spiritualis, additæ unicè cœlestibus mysteriis. Christiani hominis Patria non est de mundo hoc: implet ipse officii sui partes, sed indifferens est de bono, vel sinistro rei exitu. Nullius rei sollicitus est, nisi ut officio suo non desit. Latari non audet de felici Patriæ statu, ne superbire sibi videatur de Civitatis suæ gloria: in Patriæ ipsius infortunio unicè Deum in Cives animadvertentem reveretur, ac benedicit.* Hæc Ruffous subdolè congerit, ut hominum animos, (quod impii hominis est) obliquè a Christiana Religione avertat: sed re ipsa, quod intendit, minimè allequitur, & vaserrimi hominis effata in Religionis ipsius commendationem eximiam cedant. Etenim si ritè omnia ea explicentur, indicant planè, Christiani hominis animum in Deo tandem quiescere, felicitatemque suam extra hujus vitæ limites, & in æterna, cœlestique regione esse constitutum. Interea tamen terrenæ se addictum Patriæ, temporariæ quidem, agnoscit, quam amare, cuique servire sibi convenit ex Dei ipsius præcepto. Exinde nihil esse potest, quod ipsum remoretur, quodque spernere reformidet, ut debita Patriæ officia admissim exequatur. Hæc utique cum ita sint: uter censendus est majori vi erga

S I 2

Pa-

(1) In contractu sociali c. 8.

Patriam moveri, qui ex æterna beatitate capit incitamenta, an qui ex vanæ, futilisque gloriæ tantum, alteriusve inferioris boni motivo? Certè Vir ille, qui non fugacibus, sed æternis, perpetuisque rationibus consolidatur. Inde planè fiet, ut Christianus in Patriæ suæ emolumentum nullo parcat labori, quamvis nihil inde humanæ mercedis sit consequuturus. Haud ita Philosophus, qui solo rationis naturalis lumine actus Patriæ suæ magno cum sui dispendio non consulat; imò & fortè contra eam conspirabit, si non exiguus inde sibi quæstus obveniet: ut veterum Ethnicorum probant exempla.

Quid ergo bono Patriæ referat, an Cives de exitu rerum *solicite* augantur; an verò a Dei nutu omnia disponente cum tranquillitate exitum felicem expectent: modò partium suarum, prout oportet, satagant, nec otiosè vivant? Ceterùm lex Christiana non prohibet, Cives de Patriæ prosperitatibus lætari, de infortuniis moereri; illud jubet unum, nempe in illis Deo largitori gratias agere, & in istis Deum vindicem piaculorum agnoscere, eumque sincerà scelerum poenentiâ placare.

Pergit Ruffous, asseritque, Civitatem ex solis Civibus Christianis, seu juxta Religionis Christianæ principia viventibus, coalescentem, non posse diu subsistere, sive *interiùs* spectetur, sive *exteriùs*. Propositionem probat sic: *Hujusmodi Populus erit legibus obsequentissimus, in eo Capita justè imperabunt, & moderatè, Magistratus erunt integerrimi, & corruptionis expertes, Milites mortem aspernantes, nullibi aut ostentatio, aut lùxus conspicietur.* Tum subdit: *At ponamus, fortè fortunâ inter hos inveniri, (quod non est difficile) unum aliquem ambitiosum, aut hypocritam, Catilinam puta, Cromwellum: homo hic certissimè tutus procedat suos inter pios populares, ac Cives. Caritas enim Christiana vetat, posse malum aliquod suspicari de Proximo. Si poterit callidus hic pravus artibus, ac technis*
aucto-

auctoritate publica potiri; en hominem in dignitate constitutum Deus jubet revereri; hujus hominis potestati Deus jubet obtemperari. Si potestate sua abutetur: Dei manum suos filios flagellantem in illo dignoscunt Cives. Religioni sibi vertent, Usurpatorem expellere: turbanda enim esset publica quies, adhibenda vis, & violentia, fundendus sanguis: quæ omnia minimè consonant cum Christianna lenitate. Præterea Cristiano quid refert, sit ne liber, an servus hac in valle miseriarum? unum præstat, Paradiso potiri cujus obtinendi medium aptissimum est, Dei nutu acquiescere.

Hæc habet Russous, ut ostendat, *societatem hujusmodi ex intimis suis non posse subsistere.* At egregiè hallucinatur, & in suis ratiocinationibus evanescit, & fallitur generis Civis. Equidem illud nego in primis, hominem iniquum, ac pessimum Civem, Catilinam nempe, aut Cromvellum, inter perfectos Christianos liberè posse res suas agere. Do utique, Christianos adversum hominem istiusmodi non usos violento quodam remedio, puta necis insidiosæ, aut occulti veneni; procul a Christianis hæc arma: illis tamen utentur, quæ Leges exhibent, & a Principibus Civium bono præscribuntur. Hæc satis erunt ad frændos pro eo statu primos iniqui illius Civis impetus. Christiana caritas rigorem exerit aliquando, ubi opus est, & eo in casu non permetteret modò seditiosi Civis exterminium, sed juberet. Quare Christiani omnes Cives contra scelus illud indignatione pleni, & funesta præsentientes consecraria, uno veluti agmine ad boni communis tutelam conspirantes sub ipsa iuitia pestem illam opprimerent.

Progreditur ultra Russous ibidem, & ex *circumstantiis externis* conatur idem ostendere de Civitate ex solis, probrisque Christianis composita. Ponit, *bellum ab externo hoste indici Civibus*: eo in rerum articulo, non negat Russous, imò ultrò affirmat, *Cives exire lubenter ad pugnam, neminem ex ipsis fugam intendere, atque adeo velle omnes officio*

ficio suo fungi. Verùm , subdit , hæc omnia agentur ullo sine affectu ad victoriam : quinimò nôrum mori citius , quàm vincere . At ineptissimi hominis demiror audaciam in hisce enunciandis propositionibus . Profectò istiusmodi Cives & mori pro tuenda Patria , & simul nôrum vincere , si in militari disciplina sint exerciti , si fuerint necessariis armis instructi , si Duces habeant in arte bellica peritos . Ait Ruffous : *Concurrant cum prædictis Civibus alii Cives generosi , quos ardens gloriæ , patriæque amor incendit ; ponamus , Christianam hanc Rempublicam cum Spurtana , aut Romana suas acies conferre : proculdubio pii Christiani se fusos , dispersos , profligatos , dissipatos conspicient , ferè antequam ad pugnam ipsam advertant .* Commendat paulò post *jusjurandum* , quo se obstrinxerunt Fabii Milites , nempe *reversuros se victores e bello : quo sanè juramento* , subdit , *Christiani nunquam se obligassent , verentes tali pacto , ne Deum tentarent .*

Equidem in toto hoc Ruffoi exaggerato , amplificatoque sermone nihil nisi turgida verba , nullo innixa fundamento concipio . Possent quidem , (nec inficior) quæ armorum fors est , Christianorum illiusmodi agmina debellari ; at non nisi stultum est , opinari virtutem christianam in dictæ cladis causa fuisse ; quin asseri potest , ceteris paribus , sapiùs debere a pugna victores Christianos redire , quàm victos . Urgent enim christianos animos Patriæ ipsius legitimus amor , & Patriæ leges , a Deo etiam auctore naturæ confirmatæ ; quæ sanè non minus corda Militum accendunt , *ac futillis amor gloriæ* . Exemplo sint in sacris Litteris Judæ Machabei Milites (1) qui , quamvis nullo obstricti ad vincendum sacramento , *ut Fabiani illi* , (meritò enim temerarium illud jusjurandum respuissent , quod Ruffous pulcherrimum nominat) ; nihilominus adversus viginti millia bellatorum dūce Nicanore , *adjuncto ei* & Gor-

(1) 2. Mach. 8.

Gorgia viro militari, & in bellicis rebus experientissimo, ipsi tantum ad septem millia plenam consequuti sunt victoriam. Rem narrat Historicus sic: Convocatis Machabeus septem millibus.... Ante oculos habentes contumeliam, quæ loco sancto ab his injustè esset illata, itemque & ludibrio habitæ civitatis injuria, adhuc etiam veterum instituta convulsa.... his verbis constantes effecti sunt, & pro Legibus, & Patria mori parati, pugnam commissam, interfecerunt super novem millia hominum: majorem autem partem exercitus Nicanoris (qui certam sibi pollicebat victoriam) vulneribus debilem factam fugere compulerunt. Quid ultra Fabiani illi Milites agere potuissent? Et christiani Milites præclaram hanc de hostibus victoriam cur sibi pariter non possent polliceri?

Sed multò est deformius, quod contra christianam Societatem addit. Sunt ejus verba ibi. *At equidem fallor, dum Rempublicam christianam dico: altera ex his vocibus alteram excludit. Christiana lex non aliud resonat nisi servitutem, ac dependentiam. Legis hujus spiritus favet nimium tyrannidi, quæ in dies augetur. Veri Christiani Servi ex professo constituti sunt: hæc eorum conditio ipsis innotescit, nec quidquam commoventur: brevis hic vitæ cursus parvi apud eos penditur. Ergo ex hujus sylvestri hominis opinione Lex christiana perfectam Civitatis societatem excludit adeo, ut contradictoriè illi opponatur? Quare? An quia Lex christiana jubet debitam Magistratibus legitimis dependentiam usque adeo, ut conscientie onus iniiciat, quamvis nulla sit externa pœnarum vis, aut præmiorum spes? Hoc utique verissimum est, & a primis Ecclesiæ temporibus fuit semper omnibus indictum. Verùm Lex hæc humanæ Societati, ac Patriæ cuivis favet quàm maximè, nullo tamen pacto vel fovet, vel approbat tyrannidem, imò & modis omnibus illam detestatur: etsi contrà nec seditiones, nec apertas rebelliones opponet Christiana Religio. Ita ex suomet* Legisla-

gislatore fuit constituta, ut nulla ex parte jus publicum nationum læderet: quodcunque regiminis ritè constituti genus amplectatur; sive de cetero Monarchicum illud sit, sive Aristocraticum, sive Democraticum: modò Legibus constet, ac Magistratu. Supremam potestatem revereri jubet; quocunque modo sit disposita; & si fortè turbari, aut mutari continget; nil sibi tribuit, nisi preces apud Deum pro bono Patriæ, pro civium moribus fundere. Iniqua est Genevensis Russo calumnia: *Christianos esse ex professione Servos*. Sive intelligi velit de stricta, ac rigorosa servitute, quam Lex christiana ab animis suorum apud cultas nationes expunxit; sive de voluntaria, quæ longè turpior est. Utcunque vitæ brevitatem concipiant Christiani, alteriusque vitæ status eos alliciat, nihil tamen vile, aut indignum vel apud ipsos Reges moliuntur, ut eorum vitiis blandiantur, aut pravis eorum affectibus serviant. Obedire Principi jubenti, & injustè etiam vexanti, Christianorum est. Obedientia autem hæc, quam christiana Religio præcipit, viam injustis oppressionibus non aperit: quemadmodum amor, quem erga inimicos præcipit lex eadem, audaciores non facit homines, ut injuriis nos cumuleat.

DE SUPREMA POTESTATE.

DISSERTATIO XIII.

Necessitas supremæ Potestatis. Quid ea sit? Et quotuplex? Quænam emolumenta, & quæ detrimenta sint in unaquaque? Quo jure fuerit constituta supremæ Potestas? Expenduntur sententiæ Puffendorffii, & aliorum. Fusè examinatur opinio, & systema Ruffoi. Quod dirigenda sit supremæ Potestas? Ubi de Principis supremi æquæ, ac Patris partibus. Differitur latè de Pœna mortis. Ubi expenditur, quidquid in contrarium profertur in libro de Delictis, & Pœnis. Qui auctoritate Viri clarissimi etiam impugnatur. De Potestate Principis supremi in res sacras contra Protestantes. De Principis supremi dominio in bona subditorum. Ubi de commercio, & usu eudendæ pecuniæ. De Jure Belli in Principe supremo. Ubi de bella causa religionis. Et de justis belli effectibus. De Jure Fœderum, & Pacis, quod Principi supremo competit.

I. **Q**uemadmodum omnia Corporis membra finem suum minimè assequerentur sine capite dirigente: haud aliter familiæ omnes in unam coëuntes Civitatem finem à natura intentum, nempe bonum publicum, pacem, ac tranquillitatem non obtinerent sine supremâ quadam Potestate, cui omnes parerent, quæque omnes familias in officio contineret. Inde est sanè, ut Civitas quælibet dissolvi penitùs intelligatur, non modò si consociatio ipsa resolvitur, verùm etiam si Jure summo exiit. Nullo enim fræno coerceri possent eo in casu scelesti homines, quin ad enormia perpetranda faciùora advolarent. Sextus Empiricus (1) narrat, antiquos Persas consuevisse, mortuo Rege, per quinque ipsos dies in absoluta anarchia

Tom. II.

T t

per-

(1) Lib. 2. adversus Math. §. 3.

permanere: ut, expensis pro eo anarchiæ statu ingentibus detrimentis in homicidiis, rapinis, aliisque excessibus, Cives lubentius Regis alterius successoris imperio se subicerent. Ut autem ordine quodam hac de re differamus: Quid sit summum Imperium, seu suprema Potestas, quomplex sit, quomodo acquiratur, ad quæ se extendat, quæ sint supremi Principis officia, & Subditorum: quomodo cesset suprema Potestas, atque alia ex his consecutaria, expendemus.

II. Summum Imperium describi optimè potest: *Jus præcipiendi usque ad extrema in societate civili, quod ejusdem societatis membra uni Personæ detulerint, ad veram subditorum felicitatem procurandam.* Huic descriptioni subscribit Burlamaquius (1). Profectò sine Jure præcipiendi, quidquid bono communi congruit, frustra expectabitur finis tranquillitatis publicæ. Atqui aliquando expediet præcipere, quod extremum malorum est uni, vel alteri, ut bonum publicum & commune vel acquiratur, vel fervetur. Est autem Jus hoc in statu civitatis, quò Familiæ convenerunt eo fine, ut mutuo adjuvarentur ad felicitatem consequendam: quod sanè Jus communi Familiarum consensu *uni Personæ*, sive unitate *physica*, sive *moralis*, delatum est: nec alium ob finem, nisi ob publicam, & communem omnium felicitatem, qui est naturæ rationalis finis, ut dictum est.

Supremi hujus Imperii tres sunt regulariter formæ, ut Puffendorfius adnotavit (2): *Civitatis regularis tres duntaxat dantur formæ: quæ resultant ex subjecto proprio summi imperii, prout illud est vel una Persona simplex, vel unum Concilium ex paucis, aut universis constans.* Jamverò quando in unum hominem summum Imperium deferretur, dicitur *Monarchia*. Si verò Optimates aliquot regunt, dicitur *Aristocratia*. Ubi tandem Populus in communi consulit,

(1) Princ. Jur. nat. to. 2. c. 4.

(2) Lib. 7. c. 5. §. 3.

folit, nullumque supra se Principem agnoscit, *Democratia* dicitur. *Mixta* est, cum Senatus, Princeps, & reliqui Cives aliquid ad gubernationem reipublicæ conferunt. Sic *Monarchico - Aristocratia* est, ubi Princeps cum Senatu, & aliquot Nobilibus consultat: qualis censetur esse *Polonorum*. *Monarchico - aristo - democratia* est, ubi concurrit etiam Populus.

Puffendorfius (1) opinatur, Democratiam plerasque inter Gentes antiquissimam esse. Sed Hertius contradicit, opponendo auctoritatem Ciceronis (2), ubi dicitur: *Omnes antiquæ gentes Regibus quondam paruerunt*. Et Pausaniæ (3) loquentis de Græcis: *In Regum & hos fuisse præscis temporibus imperio, satis constat. Tota enim Græcia olim Regibus paruit, cum nondum Respublicæ institutæ fuissent*. Alii in eandem sententiam accedunt. Quin & sacræ Litteræ, instaurato post diluvium Orbe, de compluribus Regibus, ac Regnis mentionem faciunt: statum verò popularis vix in uno, aut altero Populo fit mentio. Burlamaquius (4) expendit, quæ dari possunt incommoda in Imperio monarchico absoluto, & in democratico: & præfert imperium mixtum, ubi supremi Imperantis potestas coarctetur Consilio, sive Parlamento. In hoc casu Populus erit in statu libertatis perfectæ (scilicet ad normam legum): Princeps erit in necessitate explendi officia sua. Imperium aristocraticum degenerare potest in vim injustam aliquorum Magnatum. Affert exempla Spartanorum, Romanorum, & in præsentem Anglorum. Subdit tamen, non quamlibet imperii speciem convenire cuicumque nationi; pro diversis moribus placere diversa regimina, atque adeo prodesse.

Antequam ulterius expendamus diversorum regiminum emolumenta, ac detrimenta; consideremus, quid in unoquoque horum requirunt J. N. Scriptores. Illud in univer-

T t 2

sum

(1) L. c. §. 4.

(3) Lib. 9.

(2) Lib. 3. de Leg.

(4) L. c. part. 2. c. 1.

sum dici potest cum Hooke (1) : *Ut felix sit Reipublicæ status, quatuor hisce in omni politia prospiciendum : ut scilicet Imperatoribus adsit Prudentia optima quæque prospiciens ; deinde ut adsit Fides, communi consulens prosperitati ; tum ut conferuetur Concordia ; denique ut Reipublicæ negotia & celeriter, & secretò possint expediri . Ubi de his satis est cautum, non melius communi Civitatum prosperitati per politiam consuli poterit : eritque illa politicæ forma præstantior, quæ horum quatuor spem majorem dabit .*

Ut autem de particulari regiminis forma loquamur : Puffendorfius (2) duo requirit in *Democratia* i. ut certus locus, certumque tempus constituatur conventibus, ubi super summa rerum sit deliberandum, & statuendum . ii. ut majoris partis suffragia valeant pro universis . Ad *Aristocratiam* deinde eadem duo requirit . Et infra ait : *Monarchia denique constituitur, quando in unum hominem summum Imperium constituitur .* Deinde objicienti, penes Populum jus esse debere ; eligendi meliorem in *Monarcham*, & removendi alium antea electum ; respondet : *non Monarcham (tali pacto) fuisse constitutum, sed eminentem magistratum, qui a mobili Plebis aura dependet : adeoque summum Imperium non accepisse .* Optima quidem propositio, & ad impugnamdam *Russoi in contractu sociuli* opinionem aptissima . Sed de hac re infra .

III. In quacunque regiminis forma sua sunt emolumenta, sua etiam detrimenta . Illud Popii effatum approbo : *Illam esse regiminis meliorem formam, quæ ceteris melius administratur .* Quod quidem cum relata Hookii sententia congruit . Idcirco & in libera Republica Cives, & Cives etiam in statu Monarchico felices esse ambo possunt, si in utroque regimine leges vigeant, prout oportet .

Sanè in *Democratia* felicem reputare se poterit Civis quili-

(1) In relig. nat. & revel. princ. to. 1. p. 3. c. 3. at. 2.

(2) L. 2. c. 9. §. 7.

quilibet, dum supra se nil nisi leges spectat. Quæ certè, si *naturales* sunt, æquè omnes pulsant; si *civiles*, non ab uno quopiam, invitis reliquis, latæ sunt; sed jus cuiusque in legibus ipsis est, & in ipsis suum quoque suffragium Civis quilibet agnoscit: paret idcirco aliquo modo sibi ipsi. Æqualitas, quæ Cives omnes consociat, ad amorem Patriæ confert quàm maximè. Quare necessariae sunt leges, quæ divitum luxuriam frænent; & magistratus ipsi exiguo tempore durent. Dum enim Civis democraticus Civem supra se conspicit in magistratu collocatum, sic secum: *elapso magistratûs anno erit denuo inter turbam cum populo confundendus*. Quare non Perionam supra se reveretur, sed Magistratum. Pro statu *democratico*, advertunt sapienter Auctores, & præsertim De Sonnesfels (1), apud quem plura in hanc rem pulcherrima legi possunt; avertenda modis omnibus bella, & convenientem ut maximè esse *Pacem*. Siquidem in disciplina militari necessaria est exacta obedientia, cui ægrè subditur Democraticus civis, qui vellet ad trutinam revocare Ducis iussa etiam coram hoste. At, qui suis velit uti ratiocinationibus, pessimus est Miles, ut patet. In Democratia ergo, si bellum erit inevitabile, curandum est, ut & ipsum cesset quantocyus: ne fortè ex diuturna, ac necessaria erga militares Duces obedientia Civis assuescat alieno imperio parere, & *democraticus* status mutetur.

In *Aristocratia* popularis Civis emolumenta sua nanciscitur in eo, quòd sine suo labore vigentem conspicit ordinem, securitatem, & abundantiam rerum. E binis illis partibus, quæ tribui humanæ vitæ solent, *quiete* nimirum, ac *labore*, advertit, sibi datas gratissimo sortis munere primas *quietis*, alteras *laboris* forte datas Patriiis. Dignitatum publicarum munia non nisi gravissima esse onera, judicat; nec primoribus Urbis externam illam invidet pompam,

(1) In Tract. de amore Patrio.

pam, quæ Magistratui convenit. In hoc rerum statu Nobilibus Viris a superfluo, immoderatoque luxu temperandum est; & affabilitate captandus est Plebis animus; abstinendum quoque, quoad ejus fieri potest, ab usu privilegiorum, nisi ubi officii publici dignitas postulet; uno verbo coram Populo celanda studiosè est propriæ nobilitatis magnitudo. Potissimum verò in Plebis nefaria facinora animadvertendum eo pœnæ rigore, qui in omnium oculos incurrat, animosque concutiat. Ita sanè fiet, advertente hoc pariter *Sonnefels* l. c., ut Nobilitatis corpus nullam in ea infligenda pœna partem habuisse videatur. Officia publica sine stipendiis administrari oportet, ut, quam Populus habet, oneris idea in Magistratu diutius perseveret. Cavendum idcirco, ne publica Magistratûs munia in una quapiam familia nimium protrahantur: ut tali pacto æquilibrium Autoritatis inter nobiles familias conservetur. In publicis necessitatibus Nobiles semper in se sumant majores, potioresque onerum partes, inspectante Populo, & gaudente, se a Nobilibus non modica ex parte sublevari. In utroque Civium ordine procul esse debet animi tumor, & superbia: in Plebe nimirum, ut ingentem placidè ferat Dominorum, ac Superiorum turbam: in Nobilibus verò, ne intoleranda Populo fiat tanta Superiorum copia. Populi Aristocratici vox hæc est: *Equidem liber sum, quoniam a publicis negotiis vaco*. Nobilium: *Equidem liberi sumus, quoniam respublica studiis nostris administratur*. Inde est, ut Populus in Patria feliciter vivat, curante publicam felicitatem Nobilitate: & Nobiles feliciter vivant, tribuente ei publicos honores Populo.

In statu *Monarchico* Cives felicitatem suam in uno veluti centro, in quo potestatis summa residet, collocant. Sanè *Monarchia* media est inter Aristocratiam, ac Democratiam. Etenim in eo statu Cives obediunt, & simul agunt; nec omnino quiescunt. Cives ordinis inferioris

ris non grave sibi ducunt, Uni tantum parere, dum ceteros vident & generis, & dignitatis conditione sibi longè præstantes eidem pariter obedire. In hoc rerum statu splendor generis viam sternit ad Magistratus, sed non idcirco excluduntur omnino abjecti generis Cives; animi dotes jus istis præbent: atque ita fit, ut omnis a Nobilibus invidia arceatur, nobilitas enim alios ignobiles non excludit. In hoc statu Civis sive nobilis sit, sive ignobilis, sive negotiosus illè sit, sive uni sibi vivat, rem suam agere liquidò potest. Non hinc, ut in Democratia, Nobilis cum vili plebejo assidere cogitur, frui ille potest tutò divitiis suis, famam sibi, ac publicam benevolentiam conciliare, quin ex acquisito *justi*, ac *benevoli* nomine Ostracismum sibi metuat. Hinc Nobiles felices dicuntur, & Ignobiles illorum antecessorem sine invidia spectant: suum in illis Dominum non agnoscunt: qui curru vehitur famulis stipatus, subditus est æquè, ac sunt pedites ignobiles. Datur Ignobili, fastum, ac superbiam Nobilis cujuslibet demirari, ac negligere: nihilque cum illo agere, dum nihil contra sua jura Nobilis attentet. Siquid autem a Nobili injuriæ patitur Ignobilis: coram Judice illum in jus vocat, quemadmodum plebejus quivis citari consuevit. Præterea virtuti patet ad honores etiam amplissimos aditus, & Cuicumque abjecti generis insignia eximii decoris conferri possunt, modò meritis excellat: & celebrari multo potest magis in hominum ore, præ illis, qui Avorum suorum splendore clarescere contenti, nihil ex se præclari agunt. Deinde qui sibi vivere gaudet, ac ruri vitam, ut prisca gens mortaliū, agere; non ab aratro ad ducendum exercitum vi trahitur; quique nolit publicis se negotiis immisceri, privatus rem suam domesticam tueri, suamque familiam curare optimè potest, sibi, suisque vacans omni procul a tumultu. In statu monarchico non magis summi viri tranquillè vivunt, quàm infimi: omnes enim amorem, ac vo-

ta

ta sua uni tantum Personæ devovent : ac felicitatem suam ex optimi Principis regimine repetunt . Amant idcirco Monarcham revera , non Monarchiam : nec vellent unquam , illius imperium cessare , a quo felicitatem certò consequuntur , verentes , ne bono Principi alius minimè bonus succedat . Princeps ille utique bonus , qui Civis esse gaudet in throno , gloriamque suam in Subditorum felicitate reponit . Æquæ leges , Justitiæ amor , Principis exemplum , & vera Pax publicam constituunt felicitatem . Ea sanè omnia in statu monarchico obtineri possunt : à ceteris etiam regiminum formis non abhorrent .

Quare sua cuique regimini bona sunt , ut & sua mala . Sed illud adnotat docti complures cum Hookio , l. c. nimirum : *Magna imperia non aliâ regiminis formâ , nisi monarchicâ posse benè administrari .*

IV. Sed expendamus nunc , quo jure supremum Imperium , (quodcunque illud sit) fuerit constitutum ? Profectò , si præscindamus a modo , & forma regiminis , suprema Potestas est reipsa de J. N. & naturaliter in humana Natura resultat , (ubi homines liberè in humanam communitatem perfectam congregantur , & politicè uniuntur) dirigente eam Auctore Naturæ ratione suæ Providentiæ . Idcirco Potestas suprema dicitur immediatè collata a Deo . De hoc nulla esse potest solida difficultas . Illud autem ulterius est examinandum , quam ratione ex hominum communitate , penes quam ea suprema Potestas residebat , in hominem aliquem , vel in hominum Cœtum illa devenerit ?

Puffendorfius (1) ait : *Summum Imperium resultavit ex pactis , quibus Civitas coaluit .* Rem ita explicat : *Positâ quippe in uno submissione , & in altero submissionis acceptatione , statim provenit in hoc jus isti injungendi , seu imperium .* Non excludit tamen , quòd summum imperium sit revera a Deo tanquam legis naturalis auctore , sic (2) : Cùm homines

(1) L. 7. c. 3.

(2) Loc. cit. §. 2.

nes adverterent, ductu sanæ rationis non posse legem naturalem exercere citra imperium civile: hinc dici debet, Deum, qui illam præcepit, & hoc utique præcepisse. Patet autem ex Scripturis, Deum a fundamentis extruxisse Hebræorum Rempublicam, & sanctissimis legibus exornasse. In eandem sententiam fermè omnes consentiunt: & Burlamaquius (1) asserit, fundamentum supremi Imperii proximum, & immediatum, quod nempe ad formam spectat regiminis, esse ex *conventionibus*: nam a Natura datur æqualitas inter omnes, & nulla subiectio nisi Deo.

Verùm hoc non obstat, quominus verè dicatur, summi Imperii potestatem esse a Deo. Deus enim, qui Providentiâ suâ regit humana omnia, vult, tranquillitatem, ac felicitatem in hominibus existere: adeoque vult media ad hunc finem necessaria. Hæc autem haberi unicè possunt ex Potestate suprema, quæ unicè apta est ad finem illum procurandum. Optimè hoc expressit Tullius (2): *Nihil est enim illi Principi Deo, qui omnem hunc Mundum regit, quod quidem in terris fiat, acceptius, quàm concilia, cætusque hominum, jure sociati, quæ Civitates appellantur: harum Rectores, & Conservatores hinc profecti; huc revertuntur.* Idcirco summi Imperantes dici consueverunt *Locumtenentes Dei*, ut nimirum propter auctoritatem supremam illis collatam a Populis, procurarent ordinem, pacem, ac felicitatem, quam jubet Deus. Inde est, ut respiciatur tanquam quid sacrum origo summi Imperii, utque omnimoda detur subordinatio Personæ summè imperanti. Ac tali pacto explicatâ supremâ Potestate, omnia exactè congruunt, & loca Scripturarum optimè explicantur.

Non placet autem, quod habet (3) Hobbes, nimirum, non requiri ex parte supremi Imperantis conventio-

Tom. II.

V v

nem

(1) L. c. to. 2. c. 6.

(2) In Somn. Scip. c. 3.

(3) Lib. de Cive c. 5. §. 6.

nem de communi felicitate, sed sufficere conventionem Multitudinis subditorum inter se, volentium deferre alicui summum Imperium. Etenim in constituendo supremo Imperante certissimè necessaria fuit unio voluntatum, ac virium Populi; sed ex parte Imperantis accessit obligatio invigilandi *Securitati*, atque *Utilitati* eorum, qui se illius imperio subdiderunt. Utriusque partis conventiones auctoritate divinâ, & interpositâ juramenti religione firmatæ sunt. Ille enim finis publicæ nimirum felicitatis extitit, Juri naturæ maximè necessarius, tum respectu Populi se subjicientis, tum respectu Personæ imperium acceptantis. Deinde ex Hobbesii sententia, ut notat Burlamaquius, non satis bene consultum summo Imperanti foret: quia si una Populi pars deficeret ab obedientia, altera in obedientia persistere non teneretur.

V. Multo autem minus nonnulla arident, quæ (1) fusè tradit Ruffous, quæque hic placet breviter recensere. Ex hominum conventionem putat utique ortas quasunque Societates; & ex conventionem ortum pariter Jus legitimum præcipiendi, & obligandi: cum omnes ex natura sint æquales. Conventiones rursus initas bono eorum, qui in Societatem coeunt. Hæc utique cum ceteris Auctoribus communia sunt. At verò Ruffous, utpote Libertatis nimium amator (2), exponit hoc problema, nempe: *Excogitare Societatis formam, qua simul possit quilibet socius, ejusque bona defendi contra alienas vires: & nihilominus nulli nisi sibi ipsi subdatur, ut pareat: proindeque liber ut antea permoneat.* Hujusmodi autem problema excogitato suo contractu sociali conatur resolvere. Ex vi enim *contractus socialis*, (quo sanè consociantur homines, & virium unio fit ad se mutuò conservandos contra alienos impetus): *quisque a se omnia jura sua abdicat, & Communitati committit. Fit inde summa Virium in tota Communitate.* *Æ-*
qua

(1) In contractu sociali.

(2) Lib. 1. c. 6.

qua est singulorum sociorum conditio . Ubi quilibet se dat omnibus in communi, nulli se dat, subditur sibi ipsi tanquam Communitatis membro . Acquirit eo ipso majores vires ad sui, suorumque bonorum conservationem . Ratione hujus contractus socialis oritur corpus quoddam morale ex omnibus Sociis : quod diversa pro diverso respectu sortitur nomina : Dicitur aut *Civitas*, aut *Respublica*, aut *Corpus politicum* ; quodque rursus ratione partium suarum, sive membrorum pro statu passivo dicitur *Status* ; pro statu activo dicitur *Potestas suprema* : respectu sociorum dicitur *Populus* ; & *Cives*, prout a Potestate suprema participant aliquid ; & tandem *Subditi*, prout legibus Status subjiciuntur .

His jactis fundamentis, opinatur Ruffous : *supremam Potestatem esse penes totam societatis Communitatem, ac supremum Principem esse Ens collectivum* . Adeoque potestatem legislativam residere in toto Corpore politico : *executivam consistere in diverso regimine, ad quod spectat, ut leges serventur* . Membra regiminis esse *Magistratus*, vel *Reges* pro diversa forma regiminis . Quare *Populus non se subdit istis : sunt enim Ministri Principis exercentes potestatem nomine Principis ; sunt veluti depositarii dictæ potestatis, quam Princeps potest limitare, moderari, sibi repetere, ubi primum placuerit* . Siquidem hujus Juris alienatio nequit componi cum natura Corporis socialis, & est fini societatis opposita (1) . Et paulò post ait : *Regimen supremum est exercitium legitimum potestatis executive : Rex, aut Magistratus est Homo aliquis, aut Corpus, cui tale regimen committitur* . Ex hac utriusque potestatis divisione, ait, oriri optimum Ordinem in societate . Etenim : *Si supremus Princeps velit ipse regere : aut si Magistratus velit leges condere : aut si Subditi parere recusent : perturbaretur Ordo, & dissolveretur Status, qui rueret in Despotismum, aut Anarchiam* .

V v 2

Multo

(1) Lib. 3. c. 1.

Multo autem clariùs Ib. (1) distinguit *Regimen*, & *Principem*: & deinde, ait: *Principem posse committere regimen vel singulis Civibus, ut in Democratia; vel paucioribus, ut in Aristocratia; vel uni tantùm, ut in Monarchia*. Subditque, *pro aliquibus Statibus esse meliorem unam, aliam pro aliis; & suprâ ostendit, pro Statu amplissimo meliorem esse Monarchiam*. Putat, *Formam veræ Democratia nunquam existisse, nec futuram unquam*. Est enim, ait, *contra ordinem naturæ, ut nempe major numerus regat, minor regatur*. Nec rursus fieri potest, *ut Populus perpetuò coactus persistat, ut publicis negotiis vacet*. Alia rursus absurda in hoc regimine profert, concluditque: *Si daretur Deorum Populus, optimè regeretur democraticè*. Ibid. (2):

In *Aristocratia considerantur binæ Voluntates generales, altera Magistratùs, altera supremi Principis, seu totius Populi*. *Primæ Societates, & Familiæ aristocraticè regebantur*. *Patrum familias erat regere, qui simul consultabant, & Juvenum erat parere*. Inde nomen *Senatùs, Patrum &c*. Deinde *Aristocratia in divitibus, & potentibus resedit, & facta est electiva, præferendo divitias, & potentiam ætati*. Tandem facta est *hæreditaria in familiis patritiis*. Hoc tertium genus pejus omnibus est: *secundum est melius*. Commendat maximè hanc regiminis formam, tum quia ita dividitur duplex potestas, tum quia eligi possunt probatiores Viri in experientia, bono nomine, famâ &c. tum denique quia faciliùs cogi possunt *Conventus, expendi, & expediri negotia etiam cum majori diligentia*. Ordo pariter melior est: nam *Natura dicitur, Sapientiores regere, Multitudinem regi* (3).

De *Monarchia* loquitur infra (4) aitque: *Potestatem executive legum in hac regiminis forma committi a Principe*
supre-

(1) C. 2.
 (2) Cap. 4.

(3) Ibid. c. 5.
 (4) Ibid. c. 6.

supremo uni Personæ , quæ habeat jus disponendi juxta leges ; diciturque Rex , vel Monarcha . Comparat Regem , e suo conclavi regentem amplissimos Status , Archimedi e litto-
re deducenti ingentem navim in aquas ope ergatæ leniter agitatae . Concedit , in *Monarchia* dari majores vires ad regendos Populos . Sed animadvertit , *Voluntatem particularem Monarchæ magis vigere supra Voluntatem generalem supremi Principis : in eo enim unirentur binæ Voluntates , sua nempe particularis quâ homo ; & alia , quæ est Corporis magistratûs seu regiminis : si accederet rursus potestas legislativa , essent in uno tres simul Voluntates : ex quo fieret , ut Voluntas generalis Principis supremi parùm , aut nihil ageret .* Illæ tamen tres Voluntates in unam coeuntes Personam facile efficerent , ut particularis illius Voluntas prævaleret , & a rectitudine defleceret . In unum enim finem omnia tenderent utique ; sed ille finis non esset publicæ felicitatis , unde vis ipsa regiminis cederet in Status detrimentum . Ita ratiocinatur Ruffous (1) .

Plura deinde addit adversus regimen *monarchicum* , si-
ve ubi Monarcha *electivus* , sive ubi est *hereditarius* . In-
primis ait : *Si ampliora regna de se difficilè regi bene possunt : multò difficiliùs bene regi ab uno homine : & omnes nôrunt , quot mala eveniant regno , ubi Reges sibi Administratos adsciscunt .* Sistamus hic parumper . Hoc certè ad regimen *Monarchicum* generatim sumptum spectat . Pro qua re illud de Octaviano Augusto , quod narrat Suetonius (2) , juvat referre : *summi ornamenti loco apposuit , quòd nonnisi idoneos Magistratus pro Romæ gubernatione seligeret : publica officia hominibus , non divitiis danda esse professus .* Factâ optimorum Administrorum electione , detrimenta , quæ exprimit Ruffous , Regnum , & Populi non experientur . Huc etiam conducit , quòd Tiberius Cæsar decernere con-
sue-

(1) Ib. c. 2. & c. 6.

(2) C. 28.

sueverat , ut refert idem Suetonius (1) : *Perpetuos amabat Magistratus , quibus , si boni essent , temporis diuturnitas rerum gerendarum usum sufficeret : si mali , hos multo sanguine Subditorum exhausto , hirudinum , ac muscarum instar quiescere : recentium contra morsus semper acerrimos fore .* Sed redeamus ad Rulloum .

In Regno *electivo* (ait) non eodem modo res agitur , ac in *Republica* , ubi sæpissimè Viri assumuntur ad supremos magistratus clarissimi , & probatissimi ; sed in Regem sæpè sæpiùs eligitur aliquis fraudum machinator , exigui pro rebus maximis ingenii , qui statim ostendit exiguitatem suam electus ad regnum . Ait , *faciliùs acquiri potest regnum , quàm moderari . Modicæ vectis præsidio Mundus potest concuti , at sustineri non nisi herculeis humeris potest .* In Regno *hereditario* deinde expendit , quæ sint mala ex *Regente* pro Rege *Puero* . Atque hinc plura adversus pravam Regis pueri institutionem . Alia etiam mala ex inconstantia regiminis pro diversitate mentis , ac voluntatis Regum . Ait , *esse sophisma politicum , & errorem jamdiu confutatam : Comparare regimen civile regimini domestico familiarum , & Regem Patrifamilias .* Sophisma illud inde oriri putat , quòd Scriptores *dent liberaliter Regi virtutes illas , quæ necessariae sunt bono Regi ; & supponunt , eum esse ejusmodi , qualem oporteret esse . Ex qua ratiocinatione arbitraria inferunt , regimen monarchicum esse ceteris præferendum , utpote melius , & fortius .* Citat in hanc rem Platonis sententiam : *Regem naturà talem admodum rarum esse . Multo autem rarior erit , qui sit pariter tum ex natura , tum ex fortuna Rex . Unde addit : Ut dignoscatur , quid sit in se regimen ipsum , oportet illud considerare sub Principe bebeti , aut scelesto : nam vel hujusmodi ad thronum evehuntur ; vel thronus tales efficiet . Tandem irridet illorum responsa , qui subdunt : Unicum remedium sub Rege iniquo esse , pa-*
tere

(1) C. 27.

rere absque querimonia. Deum dare pravos Reges in ira sua: ferendos esse, uti feruntur supplicia, & pœna de Cœlo. Aitque: Sic ratiocinantes virtutis speciem dare; optimos esse sermones istiusmodi in palpitis, minimè tamen in libris. Quid dices de Medico, prodigia curationum promittente, cujus deinde ars tota in exhortando Aegrotum ad patientiam resolvatur?

Hæc sunt potissima Russoi effata in toto systemate hoc suo adeò famoso de *Contractu Sociali*. Ubi, prolixior ne sim, de eo judico satis, pronunciando totum fuisse potiùs ingenii exercendi causâ excogitatum, & ferè poëticum, quàm reale. Sunt utique in eo nonnullæ propositiones veræ. At quid inde? Etiam in figmentis poëticis sunt aliqua veritati admodum conformia. In primis *illa*, (quod caput est operis) *libertas optima*, quam Russous firmam omnino vult in Societate, seu in *Voluntate quadam generali Societatis*, est purum, putumque figmentum, quemadmodum commentitia est *Voluntas ipsa generalis*, ut consideranti patet. Contendit, homines non posse a se abdicare *libertatem*, *ni velint exuere humanitatem*. Si de actuum internorum libertate sermo sit, verissimum est Russoi dictum: sed parùm ad rem. Si de libertate quoad actus externos, quos moderari oportet legibus civilibus: malè asserit, ac ratiocinatur Russous. Qui enim ex conventionem legibus in Civitate, vel Regno constitutis se subdunt: liberè in primis se subdunt, possunt enim liberè inde discedere. Rursus libertatem moralem sibi restringunt, ut alia majora bona consequantur. Semper tamen liberi permanent in actibus internis, libertate physica, & naturali, quæ est *hominum propria*.

Pro qualibet ergo Regiminis forma sic est res practicè consideranda, ut Suprema Potestas resideat in uno coetu, vel in uno homine, prout exigit regimen ipsum. Sic in Democratia est penes Populum, in Aristocratia penes Optimates

mates, in Monarchia penes Unum, Regem. Ridicula profus est imago illa, atque omnino idealis de *Supremo Principe*, (qui sit *Voluntas generalis totius Populi, sive totius Regni*) committente *potestatem merè exequutivam Corpori magistratùs, vel Regi*. Quod ut clarius fiat, ponamus, Regem aliquem (nam ipsum Russoi systema viderur magis urgere Monarchiam) evadere, qualem ipse (1) tñgit, nempe *Despotam*, usurpantem nimirum potestatem supremam ultra leges ipsas. Jam hìc esset locus experiundæ utilitatis practicæ, si qua daretur, de prædicato Russoi systemate. Quid factò opus esset? Rex hic in dicto systemate merus est Minister Supremæ Potestatis. Hic rursus Minister limites suos prætergressus est. Ut ergo ad officium redeat, *Principe supremo* opus est. Qui alius non est nisi Populus universus, seu *Voluntas generalis Populi totius Regni*. Siquidem in toto regno potestatem exequutivam sibi commissam exercet Rex. Cedat modò Russous sylvicola in primis, quam ratione innotescere nobis poterit vastissimi Regni *Voluntas generalis*, in qua collocatam vult *Supremam Potestatem, Supremum Principem?*

Anne per *Comitia*? Sed quàm difficile est, cogi ex omnibus Regni Familiis *Comitia*! Non dissimulat hoc Auctor (2). Sed nihilominus ea vult; & (3) exponit *propositiones* expendendas in *Comitiis*, quæ tamen esse debent ex *omnibus omnino familiis* regni totius (4). Qui novit, *Comitia* unius Civitatis quid negotii sint, cognoscere poterit, quò fieri re ipsa possint totius regni, prout vult Russous, *Comitia*? *Propositiones* deinde satis ostendunt, Russoum hæc omnia fingere, non docere: I. *propositio*: *Num placeat supremo Principi (nempe Voluntati generali totius regni) servare præsentem regiminis formam?* II. *Num placeat Populo administrationem diutiùs permittere iis, qui acta eam gerunt?*

(1) Lib. 3. c. 10.

(3) Ita c. 18.

(2) C. 13.

(4) Ita c. 13.

gerunt? Peto a Ruffo? Fieri ne debent propositiones istæ in Comitibus Regni, ubi adest Monarcha potestatem exercens? An in Comitibus Planeticolarum, vel in intermundiis Epicuri? Satis apparet, Genevensem Civem in sylvis diù, in Regno aliquo vixisse nunquam, adeoque nihil ad rem appositè proposuisse. Quare restat, ut arbitrarium hoc dici possit revera commentum: quemadmodum complura alia ejusdem sunt etiam Auctoris. Illud autem miror, a cordatis Viris commendari *contractum hunc socialem*, qui meâ quidem sententiâ novitatis amore, vel ingenii abnormi intemperie, vel, ut aliis placet, misanthropiæ causa a Genevensi Cive conscriptus est. Relicto itaque Ruffo; ad alia progrediamur, quæ supremo dominio competunt.

Quamvis suprema auctoritas in omnium hominum voluntate, (si originem spectemus) fundetur: eam nihilominus dicere debemus ab hominum ipsorum voluntate permanere *independentem*: secùs non posset concipi *suprema*. Idcirco *semel* collata Alicui non potest ampliùs ab illo auferri. Si enim posset, haberet alium supra se. Jamvero implicat contradictionem, dari aliquem superiorem illi, qui supremam habet auctoritatem, ut clarissimè patet.

Inde infertur, *non teneri* supremum Dominantem rationem alicui reddere, nec pœnam subire ex parte hominum: utrumque enim supponit Superiorem: licèt possit rationem reddere de facto suo alteri tanquam æquali; ut ab isto approbetur. Non est tamen, quod Supremus Princeps legibus divinis sive naturalibus, sive positivis non substat: *Reges in ipsos imperium est Jovis*. Ait Horatius. Et in Scripturis (1): *Et nunc Reges intelligite, erudimini, qui judicatis terram. Servite Domino in timore, & exaltate ei cum tremore*. Et multo clariùs alibi (2): *Andite ergo Reges, & intelligite, discite judices terræ. Præbete aures vos, qui continetis mul-*

Tom. II.

X x

titu-

(1) Psalm. 2.

(2) Sapientiæ c. 6. 2.

titudines, & placetis vobis in turbis nationum: quoniam data est a Domino potestas vobis, & virtus ab Altissimo, qui interrogabit opera vestra, & cogitationes scrutabitur: quoniam cum essetis Ministri Regni illius, non rectè judicatis, nec custodistis legem Justitiæ, neque secundum voluntatem Dei ambulastis. Horrendè, & citò apparebit vobis: quoniam judicium durissimum his, qui præsumunt, fiet. Exiguo enim conceditur misericordia: Potentes autem potenter tormenta patientur. Non enim subtrahet Personam cujusquam Deus, nec verebitur magnitudinem cujusquam: quoniam Pupillum, & Magnum ipse fecit, & æqualiter cura est illi de omnibus. Fortioribus autem fortior instat cruciatus. Ad vos ergo, Reges, sunt hi sermones mei, ut discatis sapientiam, & non excidatis. Hæc utique sunt divina erga Supremam Potestatem effata: ex quibus & Subditis erga Supremos Principes debita indicitur veneratio, atque observantia; & Principum ipsorum erga Subditos potestas coarctatur. Ita nempe disponente cuncta divino, supremoque omnium imperio. Videri etiam potest, quid præceperit Deus Regibus a Populo suo eligendis (1).

Idcirco errat Burlamaquius (qui tamen de Suprema Potestate in pluribus nobiscum sentit), ubi hæc asserit (2): *Negari nequit, ubi fingatur, Supremum Imperantem proculcare has leges (divinas naturales, sive positivas); eo ipso Supremam Potestatem in Populum redire.* Esset enim in eo casu Regis Judex Populus, unde & Regi ipsi Superior dari deberet, vel Populus, vel Alius quicumque contra statutam Supremam Potestatem. Deus interrogabit opera Regum, & cogitationes scrutabitur: Scripturæ loquuntur, etiam in eo casu, quod non rectè judicaverint, nec custodierint legem Justitiæ, neque secundum voluntatem Dei ambulaverint (3). Deo igitur judicare Reges unice reservatur: Non ergo

(1) Deuter. 17.

(3) Loc. cit.

(2) Tom. 2. c. 6.

ergo propriæ Populorum partes istæ sunt. Suprema ergo Potestas, siue personalis sit, siue realis, siue executiva, siue legislativa, quæ ab hominibus liberè collata fuit Regi, tota penes Regem indipendenter a quocunque hominum refidet. Optima est Taciti sententia in hanc rem: *Quomodo sterilitatem, aut nimios imbres, & cetera natura mala, ita luxum, & avaritiam Dominantium tolerate. Vitia erunt, donec homines: sed neque hæc continua, & meliorum interventu pensantur.* Optima, inquam, quidquid in oppositum inclamet Ruffous.

VI. Atque hinc gradum facimus ad examinandum, quò sit dirigenda Suprema Potestas? Quandoquidem Supremæ Potestatis institutum, ac finis est invigilare Paci, ac Tranquillitati *internæ*, atque *externæ* Populi sibi commissi: idcirco ea omnia ex J. N. præstare debet, quæ hujusmodi fini acquirendo, conservandoque sunt necessaria.

Atque ut de Pace, ac Tranquillitate *interna* priùs loquar. Supremo Principi ea propter potestatem *legislativam* competit, ut nempe Pacem Populo pariat, ac servet. De hac Potestate loquuti sumus *tom. 1.* ubi *De Legis natura, & proprietatibus.* Potestati *legislativæ* adjungi oportet Potestatem *coactivam*: nisi enim timore adigerentur plerique hominum, frustra leges indicerentur; & Boni omnes a perverfis, facinorosisque Civibus sibi metuerent; unde tranquillitas interna deficeret, & societas omnis turbaretur. Jus ergo infligendi poenas in Reis datur Principi ex illo Jure, quod quilibet *in statu naturæ* habet, exigendi poenas pro delictis contra se, & contra societatem admittis: quod Jus *in statu civili* Principi delatum est. Ergo Jus *ulciscendi* injurias, & Jus *belli* est in Principe naturale. *Pœna* defini potest: *Malum, quo Princeps Subditos terret, ne leges violent: quodque infligit Reis cum debita proportione, etiam sine reparatione damni, pro bono futuro ad securitatem, &*

tranquillitatem societatis. Ita Burlamaquius (1). *Revera Bonum publicum* esse debet scopus, & mensura poenarum: idcirco in aliquibus circumstantiis opus est Clementiâ, in aliis Justitiæ rigore: habito nimirum ad bonum publicum respectu. Rursus quemadmodum contra Stoicos *non omnia delicta sunt paria*: ita nec *pari modo* sunt punienda. Sic habenda est ratio. i. Enormitati delicti in se. ii. Personæ offensæ; nempe si sit malum toti Societati, an verò unâ tantum Personæ. iii. Personæ peccanti, ex capite causæ *impellentis*, & ex capite *dignitatis* juxta illud Juvenalis (2):

Omne animi vitium tanto conspectius in se

Crimen habet, quanto major, qui peccat, habetur.

Et illud: *Principes nunquam soli peccant*. iv. tandem Circumstantiis temporis, loci &c. & *habitu*s pro hujusmodi delictis contracti.

Si idem effectus certò obtineri posset poenâ mitiori: poena gravior non esset proportionata, sed diceretur nimia. *Æqualitas* servanda est ita, ut pro pari delicto juxta modò dicta, par sit poena infligenda. Diversa poena debetur primo Auctori, ac alteri Socio, & Complici in delicto. Ubi plures peccârunt, restringenda est poena primoribus, sic poscente ratione statûs, & humanitatis. Idcirco olim usurpata est decimatio. Illa statui debet ex J. N. regula: *Neminem puniendum propter alterius crimen, cui non accesserit*. Ratio evidenter id ostendit: Etenim *meritum*, ac *demeritum*, cui respondet præmium, & poena, est omnino *personale*. Atque in hoc consentiunt omnes J. N. Scriptores etiam Protestantes cum Burlamaquio (3). Verùm distinguendum est inter *pœnam*, & *detrimentum*: hoc utique subire potest Innocens ex accidenti; sic enim *ferunt res humanæ*: illam verò non nisi *Reus*.

Ita

(1) Tom. 2. p. 3. c. 4.

(2) Sat. 8.

(3) Loc. cit.

In puniendis Subditis ita se gerere debet Princeps Supremus, uti Pater in plectendis Filiis: *inclinatus ad mitiora*, ait Seneca (1), *etiamsi ex usu est, animadvertere: ostendens, qudm inuitus aspero remedio manus admoveat; in cuius animo nihil hostile, nihil efferum est. Qui potentiam suam placidè, ac salutariter exercet, approbare imperia sua Civibus cupiens: felix abundè sibi visus, si fortunam suam publicaverit; sermone affabilis, accessuque facilis, vultu, qui maximè Populos demeretur, amabilis, æquis desiderii propensus, & iniquis acerbus, a tota Civitate ametur, defendatur, colatur. Eodem de illo secretò loquantur homines, quæ palam.* Deinde (2) sic idem Seneca exorditur de Principe loquens: *Quod ergo officium ejus est? quod bonorum Parentum.* Tum subdit ea, quæ suprà, ubi de Parentum officiis loquuti sumus, protulimus: & concludit: *Hoc, quod Parenti, etiam Principi faciendum est; quem appellavimus Patrem Patriæ non adulatione vanà adducti. Patrem quidem Patriæ appellavimus, ut sciret datam sibi potestatem Patriam, quæ est temperatissima, Liberris consulens, suaque post illos ponens.* Atque in hæc sententia persequitur ethnicus hic Philosophus, describens æconomicam illam Potestatem, quæ Patri, ac Principi Supremo unicè competit.

Sed infrà (3) exemplum profert Seneca T. Arii, Filium in parricidio deprehensum damnantis, aitque: *Hoc ipso exemplo dabo, quem compares bono Patri bonum Principem.* Exemplum autem est hujusmodi, in quo sanè, quæ ex J. N. fieri debent, accensentur: *Cogniturus de Filio T. Arius advocavit in consilium Casarem Augustum. Venit in privatos penates, affedit, pars alieni consilii fuit. . . . Audità causâ, (hoc primum ex J. N.) excussisque omnibus, & his, quæ Adolescens pro se dixerat, & his, quibus ar-*
gue-

(1) De Clem. l. 1. c. 10.

(2) Cap. 14.

(3) Cap. 15.

guebatur (hoc alterum ex J. N.); petit, ut sententiam suam quisque scriberet, ne ea omnium fieret, quæ Cæsaris fuisset... (hoc etiam ad Jus Naturæ spectat, nempe libertas in ferenda sententia) dixit (Cæsar) relegandum, quod Patri videretur. Non culleum, non serpentes, non carcerem decrevit: memor non de quo censeret, sed cui in consilio esset (nempe Patri). Mollissimo genere pœnæ contentum esse, debere Patrem, dixit (hoc ex J. N. in Patre, æquè ac in Principe supremo) in Filio adolescentulo, impulso in id scelus, in quo se, quod proximum erat ab innocentia, timidè gessisset: debere illum ab urbe, & a Parentis oculis submoveri. Oh! dignum, quem in consilium Patres advocarent! Oh! dignum, quem cohæredem innocentibus liberis scriberent! Hæc clementia Principem decet, ut, quocumque venerit, mansuetiora omnia faceret. Nemo Regi tam vilis sit, ut illum perire non sentiat. Qualiscunque, pars imperii est. Hæc Seneca ad Principem suum erudiendum optimè scribebat, quæ Christiano Principe dignissima sunt.

Hæc utique nobis sub romano Pontifice PIO VI. Principe optimo, Patreque benemerentissimo degentibus experiri largissimè datur. Prima Supremo nostro Principi, Summoque Sacerdoti laus cordi fuit Clementia. Ejus initia gratiorem oculis omnium Reipublicæ statum, pulchrioremque illic exhibuere, sereno veluti, & puro Cœlo: ajente Seneca: *Non alia facies est quieti, moderatique imperii, quàm sereni Cœli, & nitentis* (1). Eandem hanc Clementiam regiminis sui PIVS VI. noster perpetuam veluti sociam adoptavit: nec a se unquam discedere passus est. At Clementiæ partem esse novimus, Improbos modis omnibus vel coercere, vel plectere. Ita planè, quoties id fieri, publica utilitas persuadet. Et nostri pariter Principis animus bono huic publico optimè prospexit. Quæ Seneca naturali lumine ductus clementissimo suo Principi in plectendis Improbis præscri-

(1) De Clem. Cap. 7.

scripsit, hæc supernâ imbutus sapientiâ præstat per incorruptos, vigilesque suos Administros PIUS VI. *Hæc tria lex secuta est*, ait Seneca, (1) *quæ Princeps quoque sequi debet: aut ut eum, quem punit, emendet; aut ut pœna ejus ceteros meliores reddat; aut ut, sublatis Malis, securiores Ceteri vivant*. Sub optimo hoc Principe, & verè Clemente quis non libentissimè vivat? quis non tanto Principi & annos plurimos, & fausta omnia non ominetur?

VII. Superest hic consideranda *pœna mortis*, de qua nimium differitur nostra hac tempestate: Utrum a Principe Supremo possit aliquando ea infligi? Auctor libri *De Delictis, & Pœnis*, qui fertur esse Marchio Cæsar *Beccaria Benesana* regius professor Mediolani, multus est in excluenda pœna mortis a Reo quocunq̃ue: & quamvis per leges romanorum ea pœna delictis decernatur, Auctor putat, leges illas *inhumanas* esse, ac *barbaras*, utpote humanitatem violantes, ac systema politicum; additque: *Supremos Principes humanitati maximè faventes in hoc Secula non alia de causa iisdem legibus insistere*, (nempe de pœna mortis) *nisi quia difficillimum putant, eas antiquitate venerandas delere*. Nonnulla exponere liceat, & absque partium præjudicio rationum fundamenta examinare.

In dicto libro Auctor agit *de Pœna mortis*. In primis negat, dari *Jus infligendæ pœnæ mortis*, neque in *Supremo Principe*. Etenim ait: *Jus in Principe oritur ex aggregato particularium libertatum cujusque: atqui nemo habet jus occidendi seipsum: neque ergo censendum est alteri dedisse*. Quare deducit, hoc non esse Jus sed: *bellum Nationis cum particulari ex eo, quoddam putetur necessaria, aut utilis ejus mors*.

Pergit deinde ad ostendendam *necessitatem* mortis alicujus hominis in duplici tantum casu. 1. quando is sit homo, qui licet omni privetur libertate, adhuc tamen in

ma-

(1) Lib. 1. de Clem. cap. 22.

ximum discrimen adducat nationem, si ulterius vivat, nempe ex periculosa quadam Seditioe. II. quando ejus mors sit *unicum* frænum ad coërcenda aliorum delicta. De primo parùm loquitur, tribuitque potiùs legum defectui, quàm legibus ipsis. De secundo fusè. Omitto autem, quæ ad eruditionem Auctor congerit, rationum momenta expendam.

Statuit: *Non esse intensiorem pœnæ, sed citius pœnæ extensionem, quæ majorem pariat effectum in Animis hominum. Siquidem organa nostra majorem recipiunt vim a minimis iteratis ictibus, quàm a momentaneo vebementi impulsu. Habitus omni arte sensibili magis prævalet: Sic ratione habitus homo ambulat, loquitur, & sibi necessaria parat: haud dissimili ratione ideæ morales in mente alius imprimuntur ex permanentibus repetitis impressiõibus. Quo jacto principio, infert: Validius frænum contra delicta, non esse spectaculum quoddam horrendum quidem, sed transiens, mortis nempe Rei alicujus: at potiùs diuturnum exemplum hominis libertate carentis instar belluæ, ad servitutem damnati, puta ad triremes, & Societati, quam læserat, laboribus suis satisfaciens. Quilibet ad hanc imaginem secum ipse reputans, hæc repetit identidem: Hanc ego conditionem subibo, si eadem patravero delicta. Jamverdò quid hac repetitâ voce validius? Est planè multò, quàm idea mortis in hominum mente admodum remotæ, efficacius. Inde profectò concludit, mortis pœnam non esse necessariam. Ast hic statim opponere est locus: De nefario isto homine morti non adjudicato, sed adhuc vivo, ubivis gentium auditur. At unum hoc maximè facit ad minuendam debitæ delictis pœnæ opinionem. Quàm paucis deinde datur, hominem prædictum in eo servitutis statu etiam molestissimo oculis propriis intueri? Calculus ergo non est ritè institutus.*

Subdit, *nec esse utilem pœnam mortis. Plura congerit*

rit in hanc rem . Ait , *mortis pœnam esse plerunque spectaculum miserationis simul , & indignationis : utroque hoc affectu animos intuentium occupari magis , quàm salutariter terrore a lege intento ,* Pergit : *Leges veras , atque utiles illas esse , quæ uniformes sunt partibus , & conditionibus , quas Natura citra omne partium præjudicium proponit servanda . Jam in mortis pœna naturâ ipsâ contra Carnificem , innocuum cædis ministrum indignamur . Est igitur naturâ insitum hoc , nequicquam repugnante ratione , non esse in alicujus hominis potestate præter casum justæ necessitatis , vitam alterius profunderere .* Tum per quamdam hypothyposin exhibet animos hominum , intuentium summam indifferentiam , ac tranquillitatem Judicum , & Magistratum damnantium ad furcas Reum , atque inter extremos hominis miserabilis augores Judicem repræsentat firmum , & indolentem , ac prope gaudentem de sua potestate . Inde ad voces hominum descendit obloquentium contra leges , *quæ homines reddunt victimas insatiabili despotismo .* Quin & *ab eorum exemplo , ait , excitari citius homines ad patranda facinora , quæ tandem opperientur mortem momentaneam . Et Religione ipsâ abutentes in scelera corrunt .*

Hæc sunt potiora hujus Auctoris argumenta adversus pœnam mortis : quæ nullatenus evincunt , quod utique deberent , nempe ad tranquillitatem Reipublicæ , & Bonorum omnium securitatem non expedire aliquando , Improbos homines e medio tollere . Quæ sanè est optima ratio , quam vel ipse Seneca , ubi summam clementiam commendat , pluri facit , ut suprâ retulimus ; & Legislatores præ oculis habent .

Sed præterea in multis Auctor hic deficit : atque in primis illud minimè ferendum in Auctore hoc reputo , quod , ubi de legibus pœnam mortis constituentibus agit , nullam faciat mentionem Legis divinæ pluribus in locis , & in Deuteronomio expressè , Populo hæbræorum latæ , ubi sic : *Si-*

quis autem odio habens Proximum suum, insidiatus fuerit vitæ ejus, surgensque percusserit illum, & mortuus fuerit, fugeritque ad unam de supradictis urbibus: mittent Seniores civitatis illius, & arripiant eum de loco effugii, tradentque in manu Proximi, cujus sanguis effusus est, & morietur (1)

Quantâ autem temeritate præditum esse oportet Auctorem libri illius, si legem hanc sciens non prætermiserit modò, sed & in illa proruperit verba: *Si mihi objicerentur omnium sæculorum exempla, & omnium fermè Nationum constituentium pœnam mortis aliquibus delictis* (hic certè est adnumeranda divina lex): *respondebo, hujusmodi exempla evanescere coram veritate* (nempè opinionis suæ), *adversus quam nulla militat præscriptio*. Erit ergo fallax divina illa, quam dedimus, Lex, & a veritate aliena. Et subdit statim: *Hominum historias exhibere immensum pelagus errorum, quos inter pauca admodum, & confusu, & inter se longis intervallis diffusa vera supernatant*. Jam si legis a Deo traditæ de supplicio mortis notionem habebat, excusari ne poterit a detestabili impudentia, atque audacia Auctor ille? Si verò legem illam omnino ignoraverit, summæ illum incitiæ suæ pudere, opus erit.

Ceterùm & Naturæ ipsius vocem in primo a sacris Literis exposito hominis improbi, ac fratricidæ exemplo dignoscere fas sit, in Caino videlicet, qui post cæsum fratrem novit, hanc sibi pœnam adedè deberi, ut dixerit: *Omnis igitur, qui invenerit me, occidet me* (2). Quam tamen mortis pœnam injustè irrogari Caino a quoquam, arbitrato nempè suo, Deus edixit: *nequaquam ita fiet, sed omnis, qui occiderit Cain, septuplum punietur*. Atque ut, ne Cain ab aliquo ex Filiis Abel morte plecteretur, advertit Scriptura, quòd: *Posuit Dominus Cain signum, ut non interficeret eum omnis, qui invenisset eum*. Nec idcirco tutum se reputavit Cain, quin & in remotas abiit regiones,

ut

(1) Cap. 19. 11. 12.

(2) Gen. 4. 14.

ut vitæ suæ consulere. *Egressusque Cain à facie Domini, habitavit profugus in terra ad occidentalem plagam Eden.* Hæ sunt profectò veræ voces Naturæ in suo statu constitutæ: has consulere oportebat, non illas ortas ex depravato ingenio, & novitatis amore.

At mihi libri hujus Auctorem exagitare placet, quantum ad caput hoc spectat, ornatissimi, atque eruditissimi Viri verbis, ac solidissimis rationibus; ipsumque reputo Marchionem Beccariam decori sibi vertere, opinionis suæ oppugnatorem nancisci Aloysium Principem Gonzagam, qui sanguinis claritate æquè, ac ingenii, & omnimodæ litteraturæ præstantiâ eminent; epistolâ ad amicum scriptâ, & publici juris factâ a sapientibus romanorum ephemeridum Scrip- toribus; articulum libri prædicti *de Pœna mortis* expendendum sumit: quàmque rectè, & appositè Princeps Gonzaga ratiocinetur, ex iis, quæ subjiciam, fiet manifestum.

Illam primo loco veluti fundamentum statuit propositionem: *Absonam esse legislationem, quæ non in ordinario naturæ cursu, sed in peccaliaribus, exceptisque casibus in- nitatur.* Tum subdit: *omnium omnino hominum, quibus una, eademque corporis, animique constitutio habetur; una rursus, eademque sententia est, vitam nempe maximi boni loco habendam esse.* Inde planè consequitur, *maximi esse mali vitæ propriæ destructionem.* Quare fiet evidenter, *ut pœna mortis, positâ hac rerum naturâ, maximum esse debeat ad reprimenda, arcendaque delicta remedium, a Legislatoribus præ ceteris humana sensibilitati propositum.* Deinde egregiè diluit illam Beccariæ futilem quidem ex physico motu depromptam rationem, *de modicis repetitis ictibus, quæ morali hominum operandi consuetudini immeritò nimis aptetur: Homines, ait, ubi vehementibus quibusdam, ac propè tumultuantibus affectibus impetuntur, inepti omnino sunt ad calculos illos ineundos, (quos jure optimè frigidus appellat); sed ad summum validissimis nonnullis momentaneis animi considerationibus coercentur.*

Pari modo aliam Beccariæ ratiocinationem ad trutinam revocat Gonzaga, nempe de *Extensione pœnæ*, ac de *Intensione*, quam primo loco posuimus; atque, *Beccariam ad stupidos, hebetesque voluisse verba illa dirigere. Quid? extensio quædam pœnæ, relinquentis homini quod ipsi maximum esse potest bonum, nempe vitam, cum dulci ea spe, quæ nunquam perit, fore, ut aliquando ex illo subtrahat se supplicio: majori cum vi manum improbi, sceleratique hominis compescet, quàm horribile mortis, nimiumque sensibile spectaculum? Qui sic ratiocinatur, humanam naturam studet ab hominibus expellere, ut paradoxo cujusdam famuletur vanitati; homines, non ut vulgo sunt, sed fictos, & commentitios exhibet: quamvis aliquis extiterit, ut ipse Beccaria adnotat, qui ex vanitate, vel citiùs ex furiosa quadam mentis pervicacia mortem impavido vultu spectaverit, ac tranquillo. Syllogismum Auctoris Beccariæ irridet, qui est hujusmodi: *Pœna mortis non est infligenda, nisi utilis ea sit, & necessaria. Atqui neutra. Ergo. Si in minore propositione perperam ratiocinatus sim, non læsæ majestatis erit crimen, sed læsæ logicæ.* Huic argumento sic Gonzaga: *Utique, rem ipsam loqueris, Beccaria. Absona quæque factis enormia ab Impostoribus proposita, si analyticè considerentur, nihil nisi in Logicam peccata sunt: quæ sanè, ubi de rebus ad bonum publicum minimè spectantibus agitur, deridiculo habentur: si verò publicam societatis securitatem offendant, legislationis potestatem imminuant, ac prævios hominum mores promoveant: eo ipso objecta fiunt publicæ indignationis, atque Auctori boni Civis nomen jure est denegandum.**

Tandem ad illam articuli partem descendit, ubi Beccaria *Jus esse negat in Republica, hominem atcunque reum interficere. Cui doctissimus Gonzaga: Sunt ne hujusmodi effata Viri sapientis, & in Jure publico versati; an hominis equestris ab ipso politices tramite aberrantis? Fieri ne potest,*

potest, ut Itala gens tantum æstimationis tribuerit homini, elementa ipsa Juris Naturæ, ac Gentium ignorant? Equis nesciat, Jus illud, residens in supremo societatis Capite, infligendi mortis pœnam, in eo inniti jure, quod propriam spectat conservationem? Darique perfectam, mutuatque congruentiam hæc inter duo: Jus nempe, & obligationem: pœnamque mortis, ad aliorum exemplum inflictam, spectare ad societatis formam, naturæ juri omnino extrinsecam? Dicam equidem Auctori: conventionem socialem vires addere juri conservationis inter contrabentes; & si rectè attendatur, in hoc casu non de propriæ vitæ dispendio, sed de conservatione agi revera. Quæ sanè doctissimi Viri verba huc recidunt: Jus conservationis propriæ vitæ, quod ex J. N. quisque habet, in itâ societate, in Reipublicæ caput ab unoquoque transmitti. Quemadmodum ergo Jus unicuique est, seipsum, suaque servandi ab injusto Aggressore cum istius etiam morte: ita pariformiter Jus in Reipublicæ capite residet, morte affiendi Improbum, qui alium summo vitæ jure, injustè occidendo, privavit: ut, ne pari modo aliis noceat, quos reddere securos oportet: utque vesanos homines a simili maleficio, proposito extremo malo, coërceat. Hactenus egregius Princeps, cui & annos plurimos, & plurima hujusmodi clarissimi ingenii, bonoque reipublicæ intenti, monumenta ominor lubentissimè.

VIII. Ad conservandam pacem, ac tranquillitatem internam sustinent communiter Protestantes, debere supremum Principem jus etiam habere *in res sacras*. Ajunt enim, si Princeps in *Subditorum Religionem* non eandem haberet potestatem, ac in reliquam publicam politiam: non posset dici absolutè supremus Princeps. Repugnat autem dari geminam potestatem in uno statu supremam, essetque, sic dicendo, *Status in Statu*. Hæc est potissima eorum ratio, ut videre licet apud Burlamaquium (1), & apud Russoum *in contractu sociali*; aliosque.

Ve-

(1) Loc. cit. c. 8.

Verùm Auctores isti miserè hallucinantur , & præposterè ratiocinantur , in opponendo Catholicis hæc absurda. Omnia egregiè conciliantur , modò rectè explicentur , quin & inter ipsos Protestantes nonnulli veritatem fateri non dissimulant : sic Hornius (1), Grotius (2), Bohemerus , & alii . Explicatur autem tali pacto : Binæ potestates , quas Catholici admittimus , inter se nec adversæ sunt , nec æmulæ : & ad eundem finem , collatis studiis , tendunt . Sanè Potestas spiritalis nihil agit omnino in iis , quæ ad libertatem , ad bona , ad vitam ipsam , statumque externum , & politicum Civium spectant . Inde ergo Princeps supremus nihil ab illa Religione timet , quæ dominii suis ipsius integritatem minimè lædit , quæque non nisi in Populorum conscientias potestatem exercet , quò planè Supremi Principis dominium non se extendit . Tantum ergo distat , ut exiude aliquid detrimenti oriri suspicetur Princeps in suamet potestatem : ut citius ex potestate illa spiritali distincta firmitatem hauriat maximam suamet potestas . Etenim in primis qui potestati spiritali subiecti sunt in omni Civitate , nihilo minùs veri , ac proprii sunt Cives , & membra Statùs : sunt idcirco supremæ civili potestati obnoxii , nec ratione privilegiorum , (unde unde in eos deriventur ista) evadunt omnino independentes : quinimò & jurejurando fidem suam Principi supremo obstrinxerunt ; unde non minùs , legibus civilibus , & politicis parent , quatenus ipsorum ministeriis non opponantur , ac legibus sacris parere debent . Deinde illi ipsi , qui spiritalem potestatem exercent , nil magis student , quàm aliis exemplo præire in recta erga Principem observantia . Princeps ergo supremus potestati spiritali , quam a Deo constitutam novit , se , suosque subditos subjiciens , nihil de suis juribus , quæ civilem Reipublicæ administrationem respiciunt , amittit : hæc enim facta

(1) De Civ. l. 2. c. 7.

(2) In spec. tract. de Imp. sum. potest. circa Sacra c. 2. §. 8.

ta & tecta manent tum circa Cives, tum circa eorum bona, ut dictum est hæcenus.

Quare evidens est, *Statum* revera unicum esse omnino: nec ex duplici potestate aut dividi, aut duplicari. Utriusque enim Potestatis *objecta*, licet naturâ suâ distincta, adhuc perfectè admodum consonant. Publici regiminis cura penes Unum, nempe supremum Principem perseverat; atque adeo utriusque potestatis *leges* inter se minimè opponuntur. Etenim, quas profert *leges* Ecclesia, Religionem dumtaxat respiciunt: iisdemque legibus Ecclesia obedientiam præcipit, ac venerationem erga Principem, ejusque *leges*. Siquid vetat Ecclesia, quod ad externum regimen spectat, id fit semper cum plena Principis consensione, ac voluntate: ab eoque *leges* civiles emanant, quæ tamen conformes etiam sunt Ecclesiæ votis, quibus semper ille patrocinator. Neque obstat, quòd aliquando exortæ sint suspiciones, & non rarò etiam aperta dissidia inter utramque Potestatem. Etenim mala, quæ sequuntur, non sunt semper pravi principii indicia: cum ex qualibet optima constitutione possint homines pessima eruere consecutaria. Ridendus planè esset politicus ille, qui, ut ebrietatem impediret, atque ab hominibus amandaret, vineas omnes jubere ret esse eradicandas. Quid? erunt ne miscenda sacra profanis, & jura omnia simul confundenda, atque in unam Personam conferenda omnia ministeria, ut discordiarum occasio eripiatur? Quod si fieret: certè frustra, qui speratur effectus, expectabitur. Patet experientiâ illorum Statuum, ubi una Principis supremi manus humana, divinaque omnia regit. Innumera ibi occurrunt paribus ex capitibus obvenientia incommoda, quæ non vacat hic periculis; & ratio ipsa naturalis persuadet. Profectò quî fieri potest, ut incommoda quælibet evitentur, utque omnis præcludatur aditus querimoniis, tricis, obloquutionibus, quæ ex humanis depravatis affectibus necessariò procedunt? Idcirco

circo satis erit , hujusmodi malis , aliisque similibus prudenti aliquo modo providere ; puta , ut sui designentur limites utrique Potestati ; & , ubi alterutra limites excesserit , ea adhibeantur remedia , quæ sint loco , tempori , ac Personis accommodata .

Pessimè autem a Voltairio (1) exempla proponuntur Senatùs Romani , exercentis uno , eodemque tempore & *Imperatoris* , & *Sacerdotis* officia . Pessimè rursus a Ruffoo (2) Mahumedis leges tanquam Statui utiliores proponuntur , quibus nempè uni , eidemque Personæ & politicam potestatem , & religiosam ille commisit : audetque genevensis hic audacissimus Scriptor , Mahumedem divino Legislatori Christo Domino stultissimâ ratiocinatione præferre . Si enim cetera deessent , unum illud satis esset superque ad hominum arrogantium linguam , mentemque frenandam : nimirum *Christianam Religionem auctorem habere Deum , quem aliæ Religiones a Voltairio , & Ruffoo productæ neutiquam habent* . Præpostera jam est a falsis , profanisque religionibus , ad divinitus institutam illatio . Qui ergo verè Christianum se esse profitetur , Auctorum istorum audaciam , temeritatemque contemnat . Argumenti deinde vis deficit , ubi ab unis ad alia tempora , vel ab uno ad alium Populum fiet transitus : multo ergo magis si ab una ad aliam religionem ducatur argumentum . Quare insani consilii est , humanæ subicere potestati Christianam Religionem , quemadmodum apud veteres Romanos Religio subjicebatur . Etenim in eo casu constantia illa , quam Christiana Religio profitetur , prorsus deficeret : esset enim , non minùs ac res aliæ civiles , mutationibus obnoxia ; ac proinde uni Statui una , altera alteri Statui Religio decerneretur . Tot ergo essent Religiones saltem , quot Status . Ubi ergo tunc in Christiana Religione unitas Fidei , Sacramentorum , publici privatique Cultùs ? Hæc utique , quæ Christianæ divinæ Religioni absurda sunt

enor-

(1) In suo Henriadis poemate . (2) In contractu sociali .

enormia, ex illis Protestantium ratiocinationibus evidenti illatione deducuntur.

IX. Principi supremo jus etiam competit exigendi *tributa*. Jus hoc & Christi Domini auctoritate firmatum est: *reddite ergo, quæ sunt Cæsaris, Cæsari*. Et Apostoli Pauli testimonio comprobatum: *Cui tributum, tributum*. Ratio autem in eo stat, quòd qui ad conservandam Reipublicæ pacem, ac tranquillitatem invigilat, jure exigit a Populis, quibus præest, tributa, & subsidia, quæ ad bonum publicum necessaria sunt. Illud Tiberii Imperatoris effatum nulloatenus est prætereundum: refert Suetonius (1), cum nova quædam tributa abrogâsse, dicere solitum: *boni Pastoris esse tondere pecus, non deglubere*.

Hic autem expendunt AA. *jus, & dominium* Principis supremi super bonis singulorum Subditorum. Burlamaquinus (2) opinionem illorum confutat, qui sustinent, penes Principem esse dominium proprietatis in bona Subditorum. Sanè ante constitutum Principatum penes singulos certissimè erat dominium proprietatis: non constat autem, Populos in conferendo Principi supremo potestatem legislativam, coactivam, & judicariam, spectantes ad tranquillitatem internam, quibus sua ipsorum libertas, ut patet, maximè restringeretur: voluisse conferre ipsi dominium pariter proprietatis in suamet bona. Nihil ergo sibi reservarentur Populi; unde & inutilis esset pax, & tranquillitas interna, quæ necessaria est potissimum propter Civium discordias in bonis suis.

Videtur autem oppositum posse colligi ex iis, quæ in sacris Libris legimus (3): ubi hebræorum Populo petenti sibi Regem, Deus Samuelem jussit prædicere *Jus Regis: Prædic eis jus Regis, qui regnaturus est super eos*. Samuel deinde publicè pronuntiavit: *Hoc erit Jus Regis, qui imperaturus est vobis*.

Tom. II.

Z z

vobis.

(1) L. 3. c. 27.

(3) 1. Reg. 8.

(2) L. c. c. 5.

vobis . Atque enumerans plura , subdit : *Agros quoque vestros , & vineas , & oliveta optima tollet , & dabit servis suis . Sed & segetes vestras , & vinearum redditus adducimabit , ut det Eunuchis , & Famulis suis . Servos etiam vestros , & Ancillas , & Juvenes optimos , & asinos auferet , & ponet in opere suo .* Quæ omnia indicant dominium proprietatis .

Verùm in primis Vox illa *Jus* in hebraica radice (ut hic advertit Calmet) æquè significat *judicium , consuetudinem , usum , modum* , quo exercetur eorum imperium . Deinde clarum est , Prophetæ mentem fuisse , deterrere Populum ab imprudenti petitione : idcirco prædixisse simpliciter , quæ essent ipsi obventura sub Regis potestate , quin approbaret quidquam ex ipsis . Tandem celebris est in sacris Litteris historia Acabi Regis cum Naboth negante illi vineam : quæ autem ibi narrantur (1) , probant satis , non dari *Jus proprietatis Regi in bona Subditorum* .

Non est tamen , quòd Principi supremo pro aliquibus circumstantiis dominium in bona Subditorum non competat . Sunt autem hæ circumstantiæ *bonum publicum* respicientes . Populi enim simul coeuntes , & potestatem supremam constituentes , ut bono eorum communi provideret ; censendi sunt tacito quodam consensu voluisse , ut Princeps , ubi expediens judicaverit bono publico vel conservando , vel augendo , posset de Subditorum bonis jure disponere . Tria considerat objecta ad bonum publicum Burlamaquius (2) , pro quibus Principi competit jus in bona Subditorum . I. pro moderando usu bonorum , habitâ ratione bono privato , nedum publico . II. pro exigendis contributionibus . III. pro recto usu sui domini eminentis . In I. casu sunt leges moderantes *luxum* , & promoventes *rectam oconomiam* , & proficuum *laborem* . De luxu aliquid dicam , valdè enim Statui noxius est , quidquid nostrorum temporum Philosophi debla-

(1) 3. Reg. 21.

(2) L. c.

deblaterent. Luxus, (qui certè in excessu sive sumptuum, sive deliciarum consistit) contrarius est artibus quibusque duris, ac laboriosis, utcunque utilibus, & necessariis; & promovet modis omnibus artes vanas, ac peregrinas: agros vastat, & incultos reddit, unde Agriculturæ detrimenta, & Statùs consequentur: Personarum conditiones confundit, non enim alia inducitur mensura nisi divitiarum, non verò generis, aut dignitatis: exitium parit familiis primoribus Statùs, quæ, ut in eodem conserventur decore, media aliquando parùm honesta adhibent: curiù temporis cupiditati omnia servire facit, non honori, aut bono publico: bonos mores Juventutis corrumpit, ac Feminarum præfertim. Ex luxu fit, ut pecunia ad exterarum Nationum immoderatè effluat: ex luxu impediuntur Matrimonia propter ingentes expensas, quibus nec satis est, quidquid ex dote confertur. Augustus rem hæc animadvertens binas simul tempore tulit leges, alteram *sumptuariam* contra luxum: alteram *de contrahendis nuptiis*. Ad primum caput etiam spectant leges contra *Ludos*, contra *Prodigos*, contra *Otiosos*, & *Mendicos* &c.

Pro ii. capite patet, a Principe exigenda aliqua ve-
tigalia etiam ad conservationem, & defensionem sui Statùs: pro qua re necessarii sunt Ministri. Unde datur Jus exigendi a Subditis expensas: quare injustæ sunt Populorum querelæ contra hæc contributiones. Hæc tamen esse debent, habitâ ratione proventuum singulorum: & spectat ad Principem Exactorum rectitudini invigilare.

Pro iii. casu, ratio dominii eminentis in Principe dat illi Jus exigendi a Subditis de eorum bonis, quantum pro aliqua urgente causa opus sit. Afferuntur casus aliqui, puta, ut si pro constructione arcis alicujus demoliri expediat domus, pomœria &c. Æquum tamen esset, ut Privati damnum illud ferentes pro bono publico, habeant a reliquis Civibus, corrogantibus pro rata pecuniam, emolumentum.

In communi caritate annonæ Princeps jure suo Privatorum horrea aperit, ac venum exponit, invitis etiam Dominis. Atque alia hujusmodi.

Præter hæc competunt Principi aliqua bona ad sui, suæque Familiæ condignam conservationem: dicuntur autem hæc *Bona Fiscî, vel Domanii regii*. Hisce Bonis potest Princeps uti frui pro libito. Quod quidem agere non potest de Bonis, quæ conservationi Statûs inserviunt; in quibus gerere se debet ut Administrator, attendens bono publico cum ea diligentia, & cura, quam Tutor adhibet Pupillo suo.

Competit etiam Principi cura Ditionis suæ, ut nempe magis magisque efflorescat, quemadmodum Patri cura datur de suamet Familia, ut commodius vivat. Obtinetur illud a Principe *ope Commercii*: quod utique definiri potest: *Commutatio superflui cum necessario*. Sive fiat inter merces, & merces; sive inter pecuniam, & merces. Jamverò id in omni Statu curandum est, ut, quod in propria ditione magis abundat, ad exterarum commigret nationes, & ab his vel pecunia, vel merces aliæ, quibus ejus Ditio indiget, introducantur. Sanè libertas commercii relicta a Principe suis Subditis, ut experientia docet, multum confert ad augendas Ditionis, vel Statûs divitias. Testis est (ut alios Status omittam) Etruria, ubi aliquot annos immorari mihi datum est, quæ post concessam a supremo Principe, magno Etruriæ Archiduce, PETRO LEOPOLDO unicuique liberi commercii facultatem, majorem rerum copiam Status experitur, & longè pluribus divitiis Cives omnes abundant; agrorum cultura, unde Statui opes promanant, visa est nimium quantum excrescere, Artificum industriæ, ac labores augeri; & pecunia, quam Aratores ex agrorum fructu colligunt, in Cives perenni fluxu erogari, conspicitur.

Inde etiam apertè confutatur Recentiorum Deistarum calu-

calumnia adversus Catholicam Religionem rejicientem *Tolerantismum*: ac si tali pacto Commercia impedirentur. Si quidem apud Catholicos distingui oportet *tolerantiam*, ut dicunt, *religiosam*, & *tolerantiam civilem*. Primam illam averfatur Catholica Religio, minimè ferens approbari mutationem ullam in Fide, reliquisque ad Fidem spectantibus: secundam verò, quæ jubet, Cives omnes in unam Ditionem legitimè coeuntes debere invicem officia convenientia exhibere, in quibuslibet vel emptionis, vel venditionis negotiis fidem servare, commutando merces, pacta custodire, aliaque hujus generis complura, quæ a particularibus Fidei divinæ articulis omnino præscindunt: hanc, dico, tolerantiam Catholica Religio non respuit. Nec audiendus est Russous (1), ubi asserit, *vanam esse distinctionem inter utramque tolerantiam, theologicam nempe, & civilem, cum dari nequeat pax inter homines, qui tanquam inimici Dei conspiciuntur*. Errat, ac fallitur genevensis Civis, ejusque errorem apertissimè demonstrat historia a primis Ecclesiæ Catholicæ initiis, ubi Christiani cum Paganis negotia agebant civilia, & in præsentì civilia habentur commercia cum Hebræis, aliisque diversæ Religionis hominibus, & pacificè omnia conficiuntur.

Princeps denique meritò sibi jus reservat *cadendæ pecuniæ*, quæ pro facili rerum commutatione inducta est. In pecunia enim fides Principis obligatur de metalli qualitate, quæ in suomet Statu liberè excurrit ad res commodius curandas, quibus ad victum, vel vestitum indigemus; & in exteris Ditionibus admitti potest, taxato ejus valore. Profectò sub initium ea, quæ quis labore suo comparaverat, sibi que fuerant superflua, poterant cum alio genere cibi, & potùs, vel etiam cum aliqua parte metalli, aut rei hujusmodi commutari. Cursu temporis ad majus harum rerum, & commodius commercium communi consensu

(1) Emil. tom. III. pag. 172.

sensu inducta est *metalli cusi*, & *pecunia* usus: cùm ceteroqui inutilis sit ad hominem vestiendum, vel sustentandam. Quare, quæ sub initium mundi dominia solus labor, & industria dedit, modò dat cusi, signatque metalli consuetudo, & commutatio.

X. Tranquillitatis etiam externæ curam habere debet Supremus Princeps: unde profectò oriuntur *Jura belli*, & *pacis*, *fœderum* &c.

Bellum, ex iis, quæ habet Tullius (1): *Cùm sint duo genera decertandi, alterum per disceptationem, alterum per vim*, definitur a Grotio (2): *Status per vim certantium, quæ tales sunt*. Alio modo definiri posset: *Publicorum armorum justa contentio*. Sic Albericus Gentilis (3). Sanè definitio illa Grotii æquè competit bello, ac latrocinio, & injustæ aggressioni. Malè etiam dicitur *status*, cùm non sit ratio per se stabilis vivendi, quæ ad statum intelligentiam requiritur. Illa verò Alberici non nisi justo bello competere potest. Meliùs autem sic: *Armorum publicorum contentio a Potestate summa contra hostem publicum inita* Bellum justum est: *legitimè, ac pacis causâ suscepta contentio*: Bellum injustum est, *vel a Persona non legitima, vel ob causus non legitimas, vel modo, & intentione non legitimâ suscepta contentio*.

Distinguunt etiam AA. cum Grotio (4) plura Bello- rum genera, quæ breviter hic indicabimus. Bellum *solemne* I. geri debet a Summa Potestate. II. præcedere debet belli denuntiatio. *Minus solemne*, vel quod non sit denuntiatum, vel quod inter Privatos geratur. Bellum *defensivum*, quod injustam invasionem contra propria jura, vel bona repellit: *offensivum*, seu *aggressivum*, seu *vindicativum* in hostem fit sive juris vindicandi, sive damni reparandi causâ. Jamverò ex J. N. in bello *offensivo* requiritur *denuntiatio*, ut parti alteri suppetat tempus vel satisfactionis præ-
stan-

(1) I. de offic. II.

(3) De Jure belli I. 2.

(2) L. I. c. I. §. 2.

(4) L. c. c. 3.

staudæ, vel tentandi belli. Non ita verò in *defensivo*, cum hoc juxta Platonem indicatur a Natura ipsa.

Utrum sit ex J. N. licitum bellum; controversum, olim fuit; & negantem sententiam sequuti sunt Manichæi, ut notat S. Augustinus (1). Alii etiam dixerunt, non esse licitum Christianis bellum gerere, sic Anabaptistæ cum Erasmo Rotterodamo (2); & Martinus Lutherus publicè docuit, non licere Christianis bellum adversus Turcas moyere, ut patet ex damnata propositione a Leone X. Verùm & ex J. N. licitum est bellum sub debitis conditionibus, & Christianis eodem modo non est prohibitum. Conditiones, quæ in utroque Jure pro bello licito requiruntur, a D. Thoma (3) tres recensentur. Sunt nimirum 1. *Legitima Auctoritas illud indicendi*, quæ est *Suprema Potestas*, ut diximus. II. *Justa causa*: quæ ex Augustino (4) est *injuria reparanda, vel vindicanda, vel repellenda*. Idcirco, oblata ab hoste plenà satisfactione, nulla superest injuria, bello reparanda; cessat enim ea, quæ arma permoverat; cessat ergo titulus bellum prosequendi. Hujusmodi autem *causa justa* debet etiam esse *gravis*, ne plus detrimenti ferat bellum, quàm sit emolumenti spes.

Debet rursus esse *certa*, quia bellum est actus *Justitiæ punitivæ*: At verò injustum est, punire aliquem *causâ* nondum *liquidâ, & probatâ*. Principis autem est, expendere hoc, Militibus tantùm parere necesse est ex *justâ, certâque causæ præsumptione*. Præcessisse enim censenda sunt Prudentum Virorum, ac Theologorum consilia, maturo judicio, & remoto quovis partium affectu omnia expendentium, ac simul causam *justi illius belli omnino certam discernentium*. Esset, qui secus ageret, homicidii reus non unius,

(1) Lib. 22. contra Faustum c. 74.

(2) In annot. ad c. 3. & 22. Lucæ.

(3) 2. 2. q. 40. ar. 1.

(4) In caut. Dominus 23. q. 2.

unius, aut alterius, sed tot hominum, quot in bello miserè cadunt; effertur ad quolibet resarcienda damna obstrictus pari modo. Atque hæc omnia ex Jure naturæ, ut patet. Urias non Davidis manu, sed hostium gladio occisus, Nathanis voce Davidem homicidam accusat (1). Errant verò, qui ex belli prospero, vel adverso eventu volunt justam belli causam dignoscere: *Careat successibus, opto, quisquis ab eventu facta notanda putet* (2) III. *Conditio est debita intentio, nimirum non ex dominandi libidine, non ex privata vindicta, non ex vana ostentatione virium, & potentia: sed potius ad pacem, & publicam tranquillitatem obtinendam, & ad Justitiam exercendam, injurias vindicando, aut amissa recuperando. Augustinus (3) egregiè hoc expressit: Nocendi cupiditas, ulciscendi crudelitas, impacatus, atque implacabilis animus, feritas rebellandi, libido dominandi, & siqua similia, hæc sunt, quæ in bellis jure culpantur. Puffendorfius (4), alique justis belli causas ad duo capita referunt I. ad defensionem sui, suorum, regionis, reipublicæ &c. II. ad vindicationem sui, suorum, regionis, reipublicæ &c. Illa facit, ut quisque retineat, quæ sua sunt: hæc facit, ut recuperet sua, quæ injustè ablata sunt. Idem habet Grotius (5).*

Injusta est belli causa *levis injuria* ex iis, quæ diximus. Injusta est belli causa *Jus, seu Ratio Armorum*: Etenim reduci potest ad *Jus Potentioris*, quod sanè illegitimum est Jus: durat enim jus hoc in aliquo, donec duret esse potentior; ubi primùm desinit esse fortior, cessat in eo Jus, & oritur in illo, qui fortior evasit; uno verbo, ubi impunè detrectatur imperium, jure detrectatur. At quale Jus est, quod perit, ubi perit vis? Jus ergo non est ex fortiori, nec dari potest Jus hoc præcisè *ex Armis*. Est vera

(1) 2. Reg. 12.

(2) Ovid. heroid.

(3) L. 22. cont. Faust. c. 74. & 75.

(4) l. 3. c. 1. §. 1.

(5) L. 2. c. 1. §. 2. O. 1.

vera dominandi libido , ambitio parandi nominis , cupido ampliandi imperii . Aliquando etiam vindictæ cupiditas , libertatis amor , atque alia hujusmodi . Injusta etiam est belli causa illa , quæ dicitur *Ratio Status* , quam perfidus Machiavellus promovit , nempe *metus vicinæ Potentiæ* , nimirum augmentis vires suas , *æquilibrium potentiæ inter Vicinos* , *titulus quilibet acquirendi dominii* , quin respiciatur Jus ipsum vel Naturæ , vel Gentium . Augustus , narrante Suetonio , (1) belli Ducibus id inculcabat , *ut festinarent lentè* , nec bellum susciperent , nisi cùm major emolumentis spes , quàm damni metus ostenderetur : *nam minima commoda non minore sectantes discrimine , aureo hamo piscantibus non absimiles pronuntiabat , cujus abrupti jacturam vix parva præda pensaret .*

Rursus non erit justa belli causa , *hostilis animus tantum prævisus* , si offeratur *debita cautio* de non offendendo . Neque *negatus transitus militaris* : utcuque enim dicatur *innocius* , potest ita dici theoreticè tantum , non practicè , ut docet experientia . De quo transitu loquuti sumus *in diff. XI.* propè finem .

Utrùm sit justa belli causa *Religio* ; esset disquirendum . At de hac re pauca . Bellum *defensivum* in causa veræ Religionis licitum est etiam de Jure naturæ : licet enim ex J. N. repellere vim injustam veræ Religionis . Addere etiam debemus : Orthodoxos Principes ratione supremæ Protectionis teneri etiam armis defendere Fidem , ac veram Religionem : atque ad hoc juramento se obstringunt .

De bello autem *offensivo* , si sermo sit adversus Turcas , aliosque iniquos Usurpatores ditiorum , quæ ad Christianos olim spectabant : licitum utique est hujusmodi bellum . Siquidem bellum justum *offensivum* geritur pro recuperanda re sui juris , quæ injustè ablata est , & pacificè reddi recusat . Idcirco damnata est Lutheri propositio su-

prà citata . Si verò sermo sit de bello *offensivo* contra alios Infideles , utpote qui verè Domini sunt suarum regionum : Pro his dicimus 1. solam Religionis propagationem non esse legitimam belli causam , Paganis ratione infidelitatis inferendi . Ratio est , quia lex Evangelii non aufert jus iis , qui jure aliquo fruantur : & ratio infidelitatis simpliciter non reddit Infideles juris alicujus incapaces ; neque eorum Infidelitas est *injuriosa* Christianis ; aut est *delictum* , quod puniri possit a Christianis : cum illi sint extra Ecclesiæ jurisdictionem ex Paulo (1) : *Quid enim mihi de his , qui foris sunt , judicare ?* Ergo ex nullo capite apparet , quomodo possit ratione Evangelicæ prædicationis inferri bellum Infidelibus , & auferri jus proprietatis ab iisdem . Deinde Christus contulit Apostolis , & Ecclesiæ suæ jus prædicandi Evangelium : *Prædicate Evangelium omni Creature* . Ex quo inferitur , Infideles posse , ac debere liberè ad Fidem accedere , post acceptam veritatis notitiam .

Unicus ergo casus inferendi bellum Infidelibus esset , si isti vel impedirent Christianos Prædicatores , ne Christi Fidem annuntiarent , vel Subditos a suscipienda vera Fide terrerent : ad utrumque enim datur verum Jus . Injuria ergo irrogaretur ab Infidelibus ; contra quam Christianis Principibus , ad quos spectat Religionis Christianæ tutela , & Innocentium defensio , onus incumbit agere bello , ut reparetur . Quare minimè approbamus , (quod malè , & per calumniam Catholicis impingunt heterodoxi Protestantes , atque alicubi sub prætextu defendendæ Religionis fortè actum est) ut legitimi Reges solio deturbentur , eorum bona diripiantur , & ditiones usurpentur . Catholica Religio vim , & violentiam Infidelibus injustè illatam detestatur , utpote christianæ mitissimæ Legi oppositam , & ad gignendos veros Dei cultores ineptam . Idcirco omnem potestatis abusum rejicimus ad fovendam ambitionem , & ex-

Cir-

(1) 1. ad Cor. 5. v. 12.

Circa Subditos verò Infideles, sive Judæi sint, sive etiam Hæretici; illud mihi probandum videtur: nempe vi & armis *directè* non esse eos cogendos ad veram Fidem amplectendam. Fides enim actus esse debet omnino liber. Sed *indirectè* posse allici, nimirum *privilegiis, relaxatione debitorum, officiis &c.*

XI. Expendamus hic etiam belli justii effectus. Primus & quidem in genere, relatè ad *hostem*, est *Jus occidendi hostem*, qui *verus hostis* sit. Sanè *veri* hostes sunt, qui actu *in armis* sunt, & Statum hostilem *defendunt*. Alterutrâ ex his conditionibus deficiente, non datur hoc Jus occidendi. Sic *imbelles*, ut infantes, *imbecilles*, ut feminæ, (nisi & hæ in armis sint): Personæ etiam *sacræ*, & qui utiles sunt universitati, ut *mercatores, agricola, & similes*: hi inter hostes veros non accensentur. Pari modo, qui *arma deponunt, vel dedunt se victori; sævum enim esset*, ait Tacitus (1), *hujusmodi occidere*. Omnes siquidem relati, alii-que ejus generis *veri hostes* non sunt, & idcirco non est Jus occidendi istos. Prædicto autem jure uti debet hostis *modis habitibus, ac legitimis*. Esset enim contra Jus belli *immittere Sicarios, corruptâ illorum fide: immittere Satellites*, quod quidem aliqui ex Jure Gentium repetunt, non autem vetari putant Jure belli, & probant exemplo Scevolæ: at *veneno imbuta arma adhibere*, contra Jus belli esse, certum omnino est.

Alter effectus pariter in genere respectu *hostis*, est *Jus in bona hostilia*, adhibitis tamen quibusdam limitibus. Sic non licet *ultra necessitatem* res, agrosque corrumpere, aut devastare. Rursus, per se loquendo, tale jus non extenditur *ad loca sacræ, neque ad res sacræ, & bona Ecclesiæ*: quidquid in contrarium asserant Protestantes, cum Grotio, Puffendorffio, utroque Coccejo, aliisque. Ut enim ostendimus contra ipsos, *Ecclesia* nequit inter *veros hostes* accenseri, neque in partem Reipublicæ, bellum gerentis

(1) Annal. 12. 17. 2.

connumerari, saltem *quâ talis est*. Non est ergo, cur damnâ belli debeat jure subire. Nisi fortè Ecclesiastici sese bello immisceant, vel Tempa essent castrorum more munita, contrâ ac statuunt Ecclesiæ leges.

Effectus belli justî respectu *Victoris* est: ut justè acquisita, spectatâ belli naturâ, *primariò* cedant Principi; ejusque arbitrio pendeat, quidquid in excursionibus, & in depredationibus licitè, ac propriè a Privatis acquiritur. Respectu autem *Victorum* communiter esse dicitur: *Jus in Captivos cum dominio ex parte Cipientis, & servitute ex parte Capti, suo modo etiam cum jure in vitam*, saltem abstrahendo a Lege Christiana. Hæc est plurium opinio. Verùm in aliorum descendo sententiam, qui negant *verum Jus servitutis* ex Jure belli; & quidem contra Grotium, aliosque J. N. Scriptores. Putat enim Grotius, *dari jus in Victore occidendi Victum*: quare Victus vitam redimit impendio libertatis; quæ sanè videtur legitima conventio, utrique parti proficua. At, spectato Jure naturæ, neque ratione *belli* ipsius, neque ratione *acquisitionis* oriri existimò jus prædictum in Victore respectu Victi. Et primò quidem *non ratione belli*: Siquidem homines de se nequeunt esse *naturaliter* hostes, seu in *statu belli*. Quare status ipse belli, etiam ut vult Grotius, non ad Personas relationem habet, sed ad res, & per accidens ad Personas. Unde hostes sunt, non quâ homines, non quâ cives, sed quâ milites. Rursus *fi. is belli* dirigitur adversus Statum hostilem: datur ergo jus occidendi Defensores Status hostilis, dum habent arma: ubi ergo primùm arma deponunt, non ampliùs hostes sunt, sed meri homines sunt: unde cessat omnino jus in vitam istorum. Neque enim *Bellum* conferre potest *jus aliud* præter illud omne, quod sit necessarium ad finem. Jus deinde *acquisitionis*, præsertim respectu Personarum, est *jus potentioris*, de quo supra, quod revera non est legitimum Jus; adeoque producere

cere nequit jus *servitutis* legitimum . Optima moderatio-
nis hac in re exempla exhibuere Americani cum Anglis ,
quos bello vicerant , contrà ac exhibuerunt Angli respectu
Americanorum , quos in bello ceperant ; nempè con-
formius ad Jus naturale operatos esse Americanos præ An-
glis, ferunt notitiæ universales (1): si vera sunt, quæ feruntur.

Effectus belli iusti *respectu Subditorum* est Jus conscri-
bendi Milites . Hoc autem Jus se extendit intra territorii
fines ; potest idcirco cogere Subditos : siquidem bellum ju-
stum est ad publicum bonum directum . Datur ergo Jus in
Principe cogendi Subditos ad defendendam bonum commu-
ne; & hi tenentur obedire . Hoc autem posito , Principi
datur jus exigendi sumptus pro Milite alendo , jus parandi
arma , atque alia hujusmodi . Quemadmodum enim datur
in Milite obligatio *servitii militaris*: ita & in Principe da-
tur obligatio *solvendi stipendia* .

Ex parte Subditorum nulla est obligatio examinandi
belli justitiam , ubi a legitimo Principe ad bellum vocan-
tur . Si verò publicus , & communis famæ rumor belli in-
justitiam proclamet , tenetur quisque , pro deponendo du-
bio , veritatem indagare , & certior fieri . Sub dubio enim
illicitæ operationis nemini licet operari . Si post adhibitam
diligentiam adhuc dubium permanet , licitum est Militibus
bellare , judicando Principem habere rationem aliquam ip-
sis incognitam . Quare vi hujus judicii dubium illud deponet ,
& Principi suo obedient , ubi non constet certò de peccato .

Injusti belli autem Auctor tenetur ex J. N. damna
omnia reparare , ut suprâ dictum est , quorum ipse vel cau-
sa fuit *principalis* , vel causa *movens*: damna nempè , quæ
prævidere oportebat : & reddere Deo , expendenti facta
Principum , rationem .

Huc etiam reduci potest *Jus Represaliarum* . Est autem
hoc

(1) Vulgò *Gazzetta Universale* sub die 10. Junii an. 1777. num. 46.
pag. 365.

hoc Jus, quo Princeps in casu denegatæ ab externo Principe justitiæ ob illatam ab ipso injuriam vindicat sive se, sive suos. Profectò Represaliæ locum habent, cùm aliqua Gens, Princeps, aut Civitas statuit jus quoddam aliis grave: & alia Gens, Civitas, vel Princeps vicissim ejusmodi juribus contra eam utitur. Jus hoc Represaliarum fundari utique potest in J. N. nimirum, in eo, quòd *naturâ omnes Gentes sunt æquales inter se*. Quare ubi citra ipsarum consensum introducitur inæqualitas: naturale jus permittit reductionem æqualitatis. Verùm consensu Gentium factum est, ut ad id, quòd Respublica debet sive *pro se*, sive *pro suis*, in casu denegatæ Justitiæ, Subditorum bona veluti oppignorata habeantur.

Ut autem hæ Represaliæ licitæ sint, plura requiruntur. i. ut constet de injuria, & quidem gravi. ii. ut admoneantur Delinquentes. iii. ut constet, eos culpabiliter nolle satisfacere. iv. debent præcipi à Principe habente potestatem indicendi bellum. v. ut non plus damni inferatur, quàm justæ satisfactioni debeatur. vi. ut non concedantur contra Personas ex jure Civili, vel ex legibus Ecclesiæ exemptas.

XII. Ad Supremos Principes spectat inire *Fœdera*, quæ sunt *Conventiones publicæ a Personis supremâ potestate præditis legitimè initæ, communis commodi gratiâ*. Fœderum materia esse debet *honestâ*, ac *licita*. Sit præ oculis illud Psalm. (1) *Adstiterunt Reges Terræ, & Principes convenerunt in unum, adversus Dominum, & adversus Christum ejus*. In hoc enim casu Fœdera essent vincula iniquitatis; ac tunc cessaret omnis obligatio servandi hujusmodi inhonestâ fœdera: Secus obligatio fœderum est maxima tam jure naturali, quàm positivo. Requiritur forma aliqua externa, nimirum *tabulæ*, vel aliud instrumentum juxta nationis ritum, quo nempe Conventionis animus manifestetur juridicè. Iniquum est ergo illud Machiavelli princi-

(1) 2. 2.

pium:

pium : Fœdera nonnisi privatâ utilitate metienda esse , ac tamdiu observanda , quamdiu manent proficua . Contrâ verò optimum est hoc Christianæ Politicæ axioma : Fœdera sanctè esse ineunda : ac sanctè inita sanctè custodienda .

De ineundis fœderibus a Christiano , vel Catholico Principe cum Infidelibus , vel Hæreticis dicendum est . i. Illicitum esse Catholico Principi inire fœdera cum Infidelibus , aliisque Fidei hostibus *in grave , ac directum Religionis nostræ præjudicium* : tenderent enim in rem apertè illicitam . ii. Contrâ verò licitum est , inire fœdera *meri Commercii* pro utilitate publica , absque detrimento Fidei . iii. Licitum pariter est eidem Catholico Principi , fœdera cum quibusque Infidelibus inire in bello *apertè justo* : secluso periculo Religionis Catholicæ . Etenim hujusmodi fœdera sunt media Jure naturæ licita , & tantùm ex accidenti possunt evadere illicita ratione periculi Religionis . Si ergo hoc periculum abfuerit , nihil obstat , quominus ea iniri possint .

Quemadmodum de Jure supremi Principatûs est , movere bellum , ut diximus : pari ratione ad eundem spectat *Pacem* firmare . Est Pax : *Transactio publica de bello absolute tollendo , inter hostes legitime conclusa* . Idcirco Pax esse debet *publica , & absoluta quies ab armis , inter eos , qui hostes erant , conventa* . Pax in se spectata est de J. N. , imò , ut ostendimus *in 1. Parte Principiorum* , est totius Juris naturæ finis ; in ea enim vera naturalis felicitas potest consistere . Pax vero , quæ e bello gignitur , habet plura attributa a *Jure Gentium* .

A Supremo Principe *Pax* firmatur , potest tamen ab eodem Principe alteri delegari Jus hoc ; & ideo dici solent *Legati* ad hoc specialiter electi . Quando Princeps est immaturæ ætatis , aut amens , aut furiosus , habet Jus impeditum , & spectat ad Tutores , & Regni Curatores firmare pacem : quam servare tenetur Princeps etiam in se reversus , & adultus . Pari modo si Rex sit captivus ; quamvis

in

in hoc casu communiter admittitur, posse eum pacis articulos statuere: cum sit medium pro ejus liberatione. *Legati* verò a Principe electi admitti debent, & non sunt lædendi sive ex J. N. ut vult Puffendorfius (1), sive ex J. G. ut alii. Sic Livius refert, fuisse rejectos Legatos Carthaginiensium a Romanis contra Jus Gentium (2): *Legatos ab Sociis, & pro Sociis venientes bonus Imperator vester in castra non admisit, Jus Gentium sustulit.*

Pacis articuli ii esse debent, qui congruant æquitati, & honestati, exprimi debent clavis, propriisque verbis, ac idiomate utrique parti noto, debentque utrinque subscribi, ac subsignari. Primò autem firmari debet *amnistia*, seu oblitio perpetua illarum rerum, quæ, durante bello, patrata sunt, *hostilitatum, injuriarum &c.* Eò spectat i. restitutio *Personarum, rerum, jurium, bonorum &c.* durante bello occupatorum. ii. *Satisfactio, & compensatio* expensarum, ac damnorum tempore belli.

Tenentur de J. N. *servare pacta, & illa exequi*, tum Principes paciscentes, tum Ministri exequentes. De Pace extorta injusto medio illud dici ex J. N. videtur, nempe esse rescissioni obnoxiam. Ita opinatur Puffendorfius (3), impugnatque Grotium, contraria asserentem. Pro servanda Pace dari solent *Obsides*, in securitatem fidei publicæ traditi, ut, quamdiu fides non fuerit liberata, ibidem persistant. Aliquando dantur *Induciæ*, seu *Armistitium*, nempe *conventio, per quam, durante bello, hostiles actus ad certum tempus intermittuntur*. Obligant Induciæ ex J. G. quamvis in J. N. fundetur eorum obligatio saltem remota. *Deditio* est quid Paci proximum: esse potest *absoluta*, quando una pars impar est resistendo, & hostis Clementiæ, Fidei, Moderationi &c. se, suaque committit: *conditionata*, quando fit adjectis conditionibus, seu capitulationibus: in quo secu-

do

(1) L. 2. c. 3. §. 23.

(2) Dec. 3. l. 1. c. 3.

(3) L. 8. c. 8. §. 1.

do casu victoris Libertas restringitur etiam a pactis adjectis: in primo autem casu Jure suo utitur Victor. Suprà autem diximus aliquid circa *jus mortis*, aut *servitutis* in Victos se dedentes.

Hæc dixi de Supremi Principis juribus, quæ legi naturæ sunt consona: neque enim Principi Supremo Christiano adprobandum est, quod de Perfarum Regibus refert Herodotus (1): Aliquando, ait, a Cambyse Perfarum Rege in consilium advocatos Regni sui Primores, *ut de Matrimonio, quod inire cupiebat cum Sorore sua Cambyses, deliberarent; eosque respondisse: nullatenus id lege Principi licere; Verumtamen aliam esse Regibus peculiarem legem, qua ipsis permetteretur, quidquid libuerit, agere.*

Denique hæc, quæ de Juris Naturæ Officiis diximus, satis utique sunt, ut hominum quisque, quid sibi erga *Deum*, erga *Seipsum*, erga *Proximum* conveniat, optimè dignoscat, Officia pariter hæc Juris naturæ æquè spectant ad Hominem, quæ homo est; æquè ad Christianum, quæ homo Christianus est. Idcirco Juris nostri naturalis Officia, ratione utique cognoscenda, ad Fidei trutinam revocare conati sumus; ut eo pacto essemus ab errore tutissimi. Quod utrum simus assequuti, prudenti Catholicorum judicio remittimus.

Restat hic ad totius tractationis complementum agere de Officiorum inter se collisione; seu in concursu plurium, ac diversorum simul Officiorum, cuinam danda prælatio sit? Expediit id aliqua ratione dignosci, ut in ordine servando non peccetur. Sed hæc ex iis, quæ dicta sunt, intelligi possunt; & in fine sequentis dissertationis nonnullæ exhibentur veluti leges pro recta Officiorum dispositione.

(1) Lib. 3. c. 31.

DE JURE GENTIUM.

DISSERTATIO XIV.

Distinctio Juris Gentium. Negatur duplex Jus Gentium, & unicum asseritur ab aliquibus: & quænam eorum rationes? Satisfit illorum rationibus, & asseritur Jus Gentium liberum, præter aliud necessarium. A posteriori probatur hoc Jus Gentium liberum, ac voluntarium. Et discrimen exponitur inter Jus hoc Gentium, & Jus Naturæ. Iterum respondetur Negantium objectionibus. Regulæ tandem exponuntur in concursu, & collisione Officiorum.

I. **I**N Dissertatione XI. duplex statuimus Juris Gentium genus, alterum *necessarium*, quod nempe Juris naturalis Principia, & Officia claudat, applicata tamen hominibus, diversa Nationum corpora constituentibus: Principium idcirco cognoscitivum hujusmodi Juris Gentium necessarii idem omnino est, ac Principium cognoscitivum Juris ipsius naturalis. Alterum etiam posuimus Jus Gentium *voluntarium, liberum, arbitrarium* in quadam conventionum specie tacitâ fundatum. Hujus autem Juris Gentium Principium cognoscitivum statuimus esse: *Quod est aliquo modo conforme, aut disforme naturæ rationali; quodque aliquo modo conducit ad felicitatem, vel hanc turbat: est in Jure hoc Gentium vel præceptum, vel prohibitum.* De primo jam satis dedimus: demus nonnulla de hoc secundo.

II. Sunt, qui dari hoc secundum Jus Gentium negent modicus. Heineccius (1) ait: *Jus Gentium est ipsum Jus naturale integrarum Gentium negotiis, & causis applicatum.* Citatque Puffendorffium (2).

S2-

(1) Elem. J. G. tit. 2. l. 1. §. 41.

(2) L. 1. de J. N. & G. c. 3. §. 23.

Samuel de Cocceii (1) ait: *Ego omne Jus Gentium esse primævum, & ratione naturali constitutum existimo: adeoque Jus aliquod Gentium secundariam, quod scilicet omne humanum genus inter se ob mutuas necessitates constituerit, existere nego; & figmentum hoc ex errore Triboniani ortum esse, persuasum mihi habeo.* Tum subdit, Veteribus Jurisconsultis tale Jus cognitum non fuisse: sed nomine *Juris Gentium* intellexisse Jus, quod ex ratione naturali fluit, & quod ratio naturalis constituit, ut constat ex Gajo, Ulpiano, & aliis. In eandem descendit sententiam Barbeyracius, aliique plures.

Profectò rationes, unde moventur ad explodendum hoc Jus Gentium *voluntarium*, ac *liberum*, hæc potissimum sunt
 1. Jus hoc Gentium ex ratione naturali fluit. Est ergo Jus ipsum naturale. II. Si aliud esset, diversum à Jure naturali, deberet supponere, Gentes humanas inter se convenisse, & in bonum totius universitatis jura quædam constituisse: at hujusmodi consensus universalis Gentium nec exitit unquam, nec probari unquam poterit. Imò probari potest oppositum: etenim consensus hic vel dici debet *expressus*, vel *tacitus*. De primo consensu fatentur omnes, non exitisse. Ubinam enim fingi potest, Gentes tale consilium commune indixisse, & de statuendo eo jure universali deliberasse? Superest ergo, ut de secundo, seu de consensu tacito Jus illud firmatum sit. Et hic rursus consensus tacitus commentitius est: non enim ratio ulla suadet, exitisse consensum illum tacitum. Quinimò ratio suadet oppositum.

Etenim hic tacitus consensus de statuendo aliquo Jure, obligante omne genus humanum, duo necessariò requirit
 1. ut actus quidam inter omnes Gentes longo tempore, & frequenter, & nullo actu contrario interveniente, obtinuerint. II. ut obtinuerint tanquam Jus, ut Juristæ etiam

B b b 2

pro-

(1) Dissert. præm. 4. c. 2. §. 31.

probant. Talis autem observantia universalis in omni humano genere concipi omnino non potest: quia plurimæ sunt Gentes nobis vix solo nomine cognitæ, cum quibus nec commercium, nec societas nobis est. Cum istis ergo nullum esse potest Jus Gentium; quia actus ejusmodi, ex quibus tacitus consensus, ad constituendum Jus Gentium, necessarius inferri debet, non interfuerunt. *Universale* ergo Jus Gentium dari nequit, *liberum*, *arbitrarium*, ut diximus.

Sed neque Jus Gentium *particulare*, inter moratiores Gentes nempe receptum, probari potest: Ponamus enim, plures hujusmodi actus intervenisse, & Gentes actus illos admisisse. Nondum tamen inde constat, eos admisisse *animo se obligandi*. At verò ut Jus strictè tale constituatur *arbitrarium*, ac *liberum*, adesse debuit *animus se obligandi*. Plures enim actus liberè fiunt, sed citra intentionem contrahendi ad actus illos obligationem. Jus ergo, quod quæritur, inde minimè deducitur. Restat ergo unum tantummodo dari *Jus Gentium*, nempe *necessarium*, quod idem omnino sit cum *Jure naturali*.

Aliquod præterea fundamentum, ad prædictum Jus Gentium *liberum* negandum, in eo statuunt, quòd pariter negent dari actus per se, atque ex intrinsecis suis honestos, vel inhonestos. Hujusmodi autem fundamentum non subsistere, ostendimus *in Priore Parte Principiorum*: quare de hoc capite nihil hic addam.

Meâ tamen sententiâ admitti debet Jus Gentium *liberum*, atque *arbitrarium* distinctum a *Jure Gentium necessario*; quod ex dictis, & ex mox dicendis non obscurè constabit.

Ut autem intimè Jus hoc Gentium *liberum* perspiciamus, ac simul probabile exhibeamus: illud, quod primo loco objiciunt Adversarii, parumper consideremus, ut inde pateat, Adversarios in æquivocatione vocis laborare.

Sanè

Sanè negari minimè potest, imò & apertè asserendum est: *Jus hoc Gentium utcumque liberum in ratione naturali fundari*. Procedit enim ab Animæ rationalis actibus, qui a ratione utique diriguntur. Negamus tamen, inde inferri, esse unum, idemque cum Jure naturali. Satis enim discriminis ostendit vel ipsum Principium utriusque cognoscitivum: Jus enim naturale ea præcipit, quæ *necessaria* sunt ad felicitatem, nempe ad finem naturæ rationalis: Jus verò hoc Gentium præcipit, quæ *conformia* sunt, & aliquo modo conducunt ad generis humani felicitatem. Hæc autem debent a ratione dirigi. Habetis ergo caput præcipuum æquivocationis in iis, qui Jus hoc Gentium negant. Rursus Jus Gentium prædictum in pluribus cum Jure Naturali *consentit*, & in aliquibus *dissentit*. Consentit utique cum Jure Naturæ i. in eo, quòd utrumque sit aliquo modo commune tantùm hominibus. ii. quòd concurrat ratio naturalis ad constituendum hoc Jus: ratio siquidem indicare debet Naturæ humanæ utilitatem, & conformitatem ad prima universalia naturæ principia. Idcirco S. Thomas (1) appellavit *Juris Gentium præcepta, conclusiones aliquo modo deductas ex principiis Juris naturalis*. Quia ex vi naturalis discursus statim apparet convenientia, & moralis utilitas talium præceptorum. *Dissentit autem a Jure naturæ* i. quia Jus hoc Gentium non præcipit aliquod tanquam de se necessarium ad honestatem: nec prohibet aliquod, quod per se, & intrinsecè malum est. ii. quia Jus Gentium non est adeo immutabile, ut est Jus naturale. iii. quia Jus Gentium simpliciter humanum est, ac positivum: unde non est *ostensivum* malitiæ, sed *constitutivum* ex parte hominum.

III. Expendamus modò, quæ contra hoc Jus Gentium opponunt ulteriùs Auctores suprà citati. Ut autem sine multis ambagibus rem statuamus: Jus hoc Gentium potuit

(1) q. 95. ar. 4.

tuit optimè consensu mutuo introduci , & usu deinde , & consuetudine firmari . Profectò quod contingere videmus in Civitate respectu Civium , in Regno respectu Subditorum , potuit sub Mundi ipsius initium inter ipsas Gentes contingere . Possunt Civitates (nec ullus est , qui hoc neget) etiam usu , & consuetudine singulos ad ea , quæ toti Civitati utilia sunt , obligare : & Regnum ad ea , quæ toti regno conveniunt , Subditos pari ratione obligare . Potest igitur idem dici de omnibus respectu singulorum . Sub initium ergo Mundi potuerunt Homines ad aliqua se obligare , exercendo actus aliquos erga alias Gentes , & vicissim similes ab illis exigendo : voluntatem hanc suam deinde nutibus , verbis , usu , & moribus , aliisque signis explicare potuerunt , quando nimirum propter hominum paucitatem , & amorem mutuum facilè erat , omnes , aut majorem hominum partem in ea voluntate sensim , ac paulatim convenire , & aliquo modo eam promulgare , & consuetudine ipsâ denuntiare . Quare usu potuit , hoc Jus paulatim introduci , & per successionem , & imitationem mutuam populorum sine ullo speciali conventu , vel consensu omnium populorum uno tempore factò potuit obtinere . Est enim Jus hoc adeo propinquum naturæ , tamque Nationibus omnibus conveniens , earumque societati , & commercio expediens ; ut ferè naturaliter cum humano ipso genere fuerit propagatum ; ideo scriptum non est , quia a nullo Legislatore dictatum , sed usu convaluit .

Patet igitur , quàm futilis sit Auctorum negantium ratio , sive qua parte *consensum* omnium requirit , sive qua parte *animum se obligandi* postulat . Utrumque enim fieri potuit modo a nobis explicato . Verùm quidem est , plures actus a nobis fieri , quibus nulla sit intentio contrahendi obligationem . At ubi actus nonnulli utiles sunt societati hominum , & ab aliquibus erga alios exercentur : videntur illi pari ratione ab istis eisdem velle recipere , ac veluti ex-
posce-

poscere, ut inde parem consequantur utilitatem. Quid igitur impedire potuit, ut homines in eum se obligandi animum devenirent pro iis exercendis actibus, quæ bono omnium Gentium cederent? Inductum ergo Jus Gentium usu, & consuetudine, quod bono communi ceptum est.

IV. Sed a posteriori constat, dari plura in Jure hoc Gentium, quæ Juri naturali a nobis exposito, & fusè probato minimè competunt; & ab hominum placito, & voluntate, rationabili quidem; dependent. Sanè AA. compluribus exemplis Jus illud evincunt. i. Consuetudo recipiendi Legatos sub lege immunitatis, & securitatis, absolute spectata, non est de Jure naturali; potuisset enim unaquæque Communitas hominum non habere apud se Legatos alterius, nec velle illos admittere: nunc tamen admittere Legatos est de J. G., & illos repudiare esset signum hostilis animi, & violaretur Jus Gentium, ut notavimus suprâ ex Livio. Quare, licèt positâ Legatorum admissione sub pacto tacito, contra Jus naturale sit, non servare illis immunitatem: quia est contra Justitiam, & debitam fidelitatem: tamen illa suppositio, & pactum illud sub tali conditione Jure Gentium est introductum. ii. Patet in omni commercio, & contractu cum quolibet hominum genere: ubi tria debent distingui: unum est, particularis modus contrahendi, & spectat ad Jus civile; alterum est, observatio contractus jam consummati, & hoc est Juris naturalis; tertium est, libertas contrahendi cum hominibus non inimicis, vel non hostibus, & hoc est Juris Gentium. Quia Jus naturæ ad hoc non obligat, & una Respublica potuisset nolle commercium inire cum alia etiam non inimica: Jure Gentium sunt introducta commercia libera, violareturque Jus Gentium, si sine rationabili causa prohiberentur. iii. Cognoscitur in Jure belli, fundato nempe in potestate, quam una Respublica, vel Monarchia Suprema habet ad puniendam, vel vindicandam, aut reparandam injuriam ab alte-

altera illatam. Ex vi enim solius rationis naturalis non erat necessarium, ut hæc potestas esset in Republica offensa: potuissent enim homines instituere modum alium vindictæ, vel committere illam potestatem alteri Principi, & quasi Arbitro cum potestate coactiva. Verùm quia hic modus, qui nunc servatur, facilius est, magisque naturæ consentaneus, usu introductus est, & ita iustus, ut non possit illi jure resisti. Huc reduci possunt fœdera pacis, & induciarum, non quatenus servanda sint, postquam sunt inita: hoc enim ad Jus naturæ spectat; sed quatenus admittenda sint, & non neganda, quando debito modo, & rationaliter petuntur. Siquidem hoc, licet sit rationi naturali valdè consentaneum; tamen usu ipso, & Jure Gentium videtur magis firmatum, & sub majore obligatione constitutum.

V. Deinde Jus hoc Gentium non præcipit aliquid, tanquam *ex se necessarium* ad honestatem: nec prohibet aliquid, quod *per se & intrinsecè* malum est vel absolutè, vel etiam hypotheticè sub aliquo statu, & conditione rerum: sed præcipit aliqua introducta arbitrio, & consensu Gentium sive in tota hominum communitate, sive in majori parte. Humanum enim genus, quamvis in varios Populos, & Regna divisum sit, semper habet aliquam unitatem quasi politicam, & moralem, indicatam satis a naturali præcepto mutui amoris, & misericordiæ, quod ad omnes extenditur etiam extraneos, & cujuscunque nationis. Quare licet unaquæque Civitas, Respublica, aut Regnum sit in se communitas perfecta, & membris constans suis: adhuc quælibet illarum est etiam aliquo modo hujus Univerſi membrum, prout ad humanum genus spectat. Siquidem communitates illæ non sunt adeo sibi sufficientes, ut mutuo aliorum auxilio non indigeant, & aliorum societate, saltem ad majorem captandam utilitatem; & aliquando etiam ad necessitatem. Constat ergo, debuisse Jus aliquod constitui, quo illa-

illarum res dirigerentur, & rectè ordinarentur in eo communicationis, & societatis genere. Et quamvis magna ex parte id ratione naturali obtineatur, non tamen sufficienter, & immediatè quoad omnia: ideoque aliqua specialia jura potuerunt usu earumdem Gentium introduci. Unde optimè Justinianus (1) hæc habet: *Jus autem Gentium omnè humano generi commune est: nam usu exigente, & humanis necessitatibus, Gentes humana jura sibi quædam constituerunt.*

Jus etiam hoc Gentium aliquando permittit aliqua in se mala, seu non punit; ex eo nimirum, quòd putet, permissionem illam esse ad eò necessariam juxta hominum fragilitatem, & negotiorum conditionem, ut in ea concedenda omnes ferè Nationes concordent. Hujusmodi esse videtur permissio Meretricum, & permissio alicujus levis deceptionis in contractibus, ut communiter explicant illud in *Jure Civili*, (quod per convenientiam, & similitudinem dicitur etiam *Jus Gentium*) (2) sic in textu: *naturaliter licere Contrahentibus, se circumvenire in pretio emptionis, & venditionis.* Ubi Glossa: *naturaliter* idest de *Jure Gentium*: & *licere* nempe juxta *humanum judicium*, nempe *impunè fieri*. Sapiens (3) optimè rem hanc exponit: *Malum est, malum est, dicit omnis Emptor, & cùm recesserit, tunc gloriatur.* Verùm inhonesta res est in *Jure naturæ*, quam Tullius (4) inter plures hujusmodi questionum proponit: *Si vir bonus Alexandriam Rhodum magnum frumenti numerum advexerit in Rhodiorum inopia, & fame, summæque annonæ caritate: si idem sciatur, complures Mercatores Alexandriam solvisse, navesque in cursu frumento onustas petentes Rhodum viderit, dicturus ne sit id Rhodiis,*

Tom. II.

C c c

an

(1) In §. Jus autem Gentium.

(2) L. in causa §. idem Pomponius ff de Minor. adjuncta Glossa:

(3) In Proverbiis 20. 14.

(4) L. 3. de Ofic. c. 12.

an silentio suum quamplurimo venditurus? In hac autem quæstione binos inducit Philosophos pro alterutra parte pugnantes, Diogenem nempe Babylonium, magnum, & gravem Stoicum, & Antipatrum discipulum ejus, hominem acutissimum. Antipatro (videri) omnia patefacienda, ut nequid omnino, quod Venditor novit, Emptor ignoret: Diogeni, Venditorem, quatenus Jure Civili (nempe Gentium) constitutum sit, dicere vitia oportere: cetera sine insidiis agere; & quoniam vendat, velle quàm optimè vendere. Advexi, exposui, vendo meum non pluris quàm ceteri: fortasse etiam minoris, cum major est copia. Cui sit injuria? Antipatri autem rationes, non Jus Gentium oppugnari, sed jus naturæ lædi tali pacto, probant. Antipatri ratio ex altera parte. Quid ais? Tu cum hominibus consulere debeas, & servire humanæ societati, eaque lege natus sis, & ea habeas principia naturæ, quibus parere, & quæ sequi debeas, ut utilitas tua, communis utilitas sit: vicissimque communis utilitas, tua sit: celabis homines, quid iis adsit commoditatis, & copiarum? Ex quibus patet, utrumque recta protulisse; alterum, quòd ex Jure Gentium id liceat: alterum, quòd ex Jure naturæ id ipsum non liceat. Jus autem Gentium appellat Diogenes *Jus Civile*, lato scilicet sumpto vocabulo: utrumque enim ab hominibus positum est in ordine ad gubernationem purè politicam (1). Et Grotius (2): *Jamvero Jus Gentium eodem modo asseritur; ac Jus civile non scriptum.*

VI. Verùm quid ultra obijciunt Potestantes contra assertum Jus Gentium voluntarium? Conantur utique exempla omnia supra exposita Juris Gentium ad Jus Naturæ reducere. Sed quàm inani conatu! Heineccius (3) Jus Gentium a Jure naturali non distinguit, aitque (4): *quum præterea Jus naturæ eas complectatur leges, quæ universo generi*

(1) Ex Arist. 7. Ethic. c. 7.

(3) De J. N. & G. l. 1. §. 21. & 22.

(2) L. 1. c. 1. §. 14.

(4) §. 21.

neri humano per rectam rationem sunt promulgata, homines autem, vel singuli seorsum, vel prout in ceteras societates convaluerunt, considerari possint: Jus, quo singulorum actiones reguntur, naturale; quod, quid in societatibus, & inter eas justum, injustumque sit, præcipit, Jus Gentium vocamus: adeoque eadem Juris utriusque sunt præcepta, eadem leges: quinimmo Jus Gentium est ipsum Jus naturale Vitæ hominum sociali, negotiisque societatum, atque integrarum gentium adplicatum. In his Heineccii propositionibus nil nisi verba mera elucent, ratio nulla. Ceterum dici potest, loqui eum de Jure illo Gentium necessario, quod in superiori dissertatione a nobis fuit expositum. Ac revera de eo loquutum existimarem Heineccium, nisi (1) hæc alia subderet: *Ex quo colligitur, Jus Naturæ a Jure Gentium nec principio cognoscendi, nec ipsis regulis, sed solo objecto differre; adeoque rationem eos fugere, qui nescio quod Jus Gentium a Jure Naturæ diversum sibi fingunt. Jus Gentium positivum, vel secundarium, quod Veteres commenti sunt, propriè hoc non pertinet; cum nec a Deo constitutum, nec per rectam rationem promulgatum, nec universo generi humano commune, nec denique immutabile sit.*

Ex quibus Heineccii verbis colligi necesse erit, nullum ab eo admitti Jus Gentium, præter Jus Naturæ explicatum, prout antea dixerat (2). At idipsum est, quod ab aliis, & a nobis negatur. Dicimus proinde, Jus Gentium voluntarium differre a Jure naturæ & principio cognoscendi, & regulis ipsis. Sanè principium cognoscendi Juris naturæ fundatur in eo, quod necessarium sit ad felicitatem humani generis; principium verò cognoscendi Juris Gentium in eo, quod conforme sit felicitati humani generis. Regula pariter ipsæ in utroque genere differunt maximoperè: cum illæ ad Jus naturæ spectantes intrinsecam, ac necessariam

C c c 2

(1) §. 22.

(2) §. 21.

fariam actuum honestatem respiciant; vel a principiis ipsis Juris Naturæ immediatè, ac proximè & per evidentem illationem deducantur: illæ verò *Juris Gentium* non dirigant actus hujusmodi intrinsecè honestos, sed ipsæmet vel præcipiendo *honestos*, vel prohibendo *malos* constituent: & a principiis ipsis rationis naturalis non deducantur per evidentem, sed per probabilem quamdam illationem.

Quare quæ habent intrinsecam necessariam honestatem, vel inhonestatem, etiamsi per plures illationes deducantur, ad Jus naturæ spectant. Rursus quæ habent intrinsecam honestatem, vel inhonestatem, sub aliqua etiam suppositione se tenente tantùm ex parte materiæ præcepti, si illatio est evidens ex principiis per se notis: ad Jus naturæ pariter spectant. Exempla primi generis sunt de *amando Deo*, de *obsequendo Parentibus* &c. Exempla secundi generis sunt præcepta de *non furando*, de *servanda Justitia in contractibus*, quæ supponunt divisionem rerum, & commercia inter homines.

Alia verò, quæ protulimus exempla *Juris Gentium arbitrarii*, nec intrinsecam honestatem necessariam habent, nec per evidentem illationem a principiis Juris naturæ deducuntur, ut patet de *admissione Legatorum*, de *introductione commercii*, de *Juribus belli*, &c.

Fallitur itaque Heineccius, ubi nulla eos duci ratione asserit, qui Jus Gentium a Jure Naturæ diversum admittunt. De Jure autem *positivo*, vel *secundario*, quod ipsemet nihil hæsitando affirmat, *Veteres commentos fuisse*, si diversum aliud intelligat, ac a nobis expositum est: non jam cum ipso controversiam habere. Si hoc nostrum: ajo, audacter hoc asseri. Deinde nihil officit, quod non sit immediatè *a Deo constitutum*: dicimus enim, esse ab humana ratione constitutum. Multo autem audaciùs asseritur, quod non sit *per rectam rationem promulgatum*, (si sensus non sit de *immediata* promulgatione per rectam rationem, quæ

quæ Juri naturæ competit) quasi rectâ omni ratione destitutum sit ; nec sit universo generi humano constitutum (quod certè non opus est , ut omnes omnino homines in id consenserint , sed quòd omnes ferè gentes benè institutæ illo utantur) : Neque tandem quòd non sit immutabile ; hoc enim non obstat , cùm immutabilitas oriatur ex intrinseca necessaria honestate , vel inhonestate , que Juri Gentium prædicto non convenit , sed Juri Naturæ . Ceterùm utcunque admitti possit , ut Jus Gentium mutetur : adhuc mutari nequit I. quoad moralem potestatem , & usum hominum : II. in toto , ut nempe a toto humano genere auferantur præcepta omnia Juris Gentium ex hominum conventionione . Possunt autem ea , quæ sunt Juris Gentium , in una , vel altera parte diminui , quod Juri Naturæ non competit .

Expendimus hætenus , quæ Heineccius tum ex sua , tum ex aliorum Auctorum mente protulit contra Jus Gentium a Jure naturæ distinctum : expendamus modò , quid exemplis pro dicto Jure Gentium allatis respondeat ? Sanè ubi (1) loquitur de Jure mittendi Legatos , eorumque immunitate , ait , *Jus hoc spectare ad summos Imperantes* (quod quidem nemo negat) : & esse quid consequens ad *Jus pangendi federa* (neque hoc a nobis negatur) . Quid ultra ? Nihil omnino . Expectabam rationem aliquam , cur ex *Jure Naturæ* inferatur Jus illud mittendi , excipiendique Legatos . Spe deceptus sum . Est utique rationi valde conforme Jus prædictum in supremo Principe : nihilominus ex Jure naturæ non deducitur necessariò : poterat enim alio modo res constitui ; nec Heineccio , aliisque suis Auctoribus ingenio pollentibus innumeri alii modi deficerent ad finem illum obtinendum sine Legatorum missione , & admissione .

Ibidem (2) loquitur , asseritque , *ex Jure societatis inferri*

(1) Lib. Jur. Nat. & Gent. l. 2. §. 222.

(2) L. 1. §. 327.

ferrī commercia. Equidem do libenter Heineccio, ex dicto Jure societatis (quodcunque illud sit) deduci aliquod genus commercii, seu communicationis rerum, operumque necessariorum, atque utilium cum aliis, qui iis indigeant: superest adhuc expendenda libertas illa contrahendi cum externis non inimicis: quæ sanè ab ipsomet (1) ad Jus Imperantium refertur: hæc enimvero non nisi ad Jus Gentium referri debet. Nam si sine rationabili causa prohiberetur, violaretur Jus Gentium.

Tandem *Jus belli* ex Heineccio (2) etiam ad Jura Imperantium refertur. Optimè, si de ipsamet injuriæ reparatione, jurisque proprii vindicatione intelligatur. Verùm Jus belli potestatem supponit in Republica, seu Potestate Suprema ad sui juris restorationem: erat autem necessarium ex Jure naturæ, ut hæc potestas ita exerceretur ab Republica? Nonne potuisset modus alius vindictæ excogitari ad finem illum obtinendum? Nonne potuisset potestas illa Principi alteri tanquam arbitro committi, cujus decisioni obligaretur parere utraque pars? Scio, modum præsentem, nempè *belli*, esse faciliorem, magisque naturæ conformem, & usu introductum ita, ut in Jus evaserit, cui non possit pari jure ex altera parte resisti: sed hoc utique evincit Jus illud Gentium liberum, rationi maximè conforme, sed non absolutè necessarium, quod a nobis admittitur.

VII. Superest hic postremo loco, (expensis jam Officiis, quæ Juris Naturæ, ac Gentium sunt) ; quasdam veluti leges proponere, utique servandas in concursu, & collisione Officiorum: de qua re in fine præcedentis dissertationis diximus. Profectò concurrere in aliquo casu possunt diversa Officia, & ita invicem collidi, ut nequeat uni satisfieri, quin aliud omittatur. Dari ergo oportet quædam generalia seu monita, seu præcepta, ut Juri Naturæ obsecundetur.

Tria

(1) L. 2. §. 169. & §. 186.

(2) L. 2. §. 192.

Tria ex Aristotile in Topicis proponuntur, quæ optima sunt, & rebus ipsis aptantur:

I. Diuturniora quædam anteponenda sunt brevioribus: & quæ Prudentes anteponunt; aut quæ ii, qui in unoquoque genere scientes sunt; aut quæ Plures, aut etiam Omnes (1).

II. Ea, quæ per se sunt causæ malorum, postponantur iis, quæ casu, & fortuitò: ut Vitium fugiendum est potius, quàm Fortuna. Illud enim per se malorum causa est, hæc casu (2).

III. Quæ omnino bona sunt, iis anteponantur, quæ alicui bona sunt: ut valere, quàm secari magis optandum est: quoniam illud omnino bonum est; hoc alicui, qui sectione egeat. Innata, ac insita bona præferantur assumptis, & adventitiis, ut Justitia præferenda Viro Justo, quoniam illa insita est, & innata, istud adventitium. Quæ in re meliore insunt, & quæ justiore habent venerationem iis, quæ in deteriore; ut bona Dei, hominis bonis; & bona Animi, Corporis bonis sunt anteponenda. Quæ propria sunt melioris rei iis, quæ deterioris: ut Dei, quàm hominis (3).

In concursu Officiorum respectu Personarum. In omnibus semper præferendus est Deus. In concursu ergo amoris cujuslibet alterius objecti creati, super omnia amandus Deus. Prima siquidem hominis officia ex J. N. Deum Creatorem O. M. respicere debent: & Adam, si sine Uxore vixisset, & quamdiu fuit, officia erga Deum potiora habere debuit. Peccavit, ubi officium erga Deum officio erga Uxorem posthabuit.

In omnibus ergo officiis, ea quæ sunt Juris naturalis, ad Deum spectantia præferri debent aliis officiis ex recto ordine rationis. Sunt enim prima. Rursus in iisdem officiis erga Deum, ea, quæ majoris sunt obligationis, præferri debent iis, quæ minoris obligationis sunt.

Qua-

(1) L. 3. Topic. c. 1.

(2) Ibidem

(3) Id. l. 9. & seq.

Quare posthabenda sunt quælibet officia erga quemcunque Proximum, ne subeat periculum transgrediendi officia erga Deum. Idcirco quamvis Omnes communiter laudent Periclem, quòd ab amico rogatus, ut juramenti religione falsum aliquod assereret, responderit celebri illo effato: *Amicus usque ad aras*; nihilominus Plutarchi opinione (1) non est Pericles commendandus ex eo, quin citius vituperandus: Etenim ut amico obtemperaret, non eò usque progredi debuerat: *usque ad Aras, usque ad Aras*. Subdit enim: *nimis propè accesserat*. Adeoque longius a perjurii periculo sistendum illi fuisset. Tullius pariter hoc ipsum expressit (2): *At neque contra Rempublicam, neque contra jusjurandum, ac fidem, amici causâ, vir bonus faciet: ne si Judex quidem erit de ipso amico. Ponit enim Personam amici, cum induit Judicis*.

Præcepta Juris Naturæ quælibet sunt præferenda præceptis Ecclesiæ positivis.

Pari ratione Præcepta divina positiva præferenda sunt in concursu præceptis Ecclesiæ positivis.

In concursu officiorum erga Se, & Proximum: in *Pari* causa præferenda sunt officia erga Se, officiis Proximi. Quia amor erga se debet esse mensura amoris erga Proximum: prior ergo naturâ esse debet amor sui, quàm Proximi. Ergo multo magis, ubi causa propria *potior* est illâ Proximi.

In concursu alicujus boni *ordinis superioris* Proximi cum bonis *ordinis inferioris* Sui ipsius, simpliciter loquendo, præferenda sunt illa Proximi: utpote superioris ordinis. Sic ubi agitur de Vita Proximi, aut de servanda Proximi integritate corporis, cum bonis externis propriis, debent hæc illis postponi. Similiter ubi agitur de bono spiritali Proximi respectu corporalis proprii. Dixi, *simpliciter loquendo*, nempe cum præcisione, a particularibus circumstantiis.

Qua-

(1) Lib. de vitioso pudore

(2) L. 3. Offic. 1. 10.

Quare in extrema necessitate corporali Proximi tenentur quilibet bonis externis fortunarum etiam quibuscumque sive superfluis, sive necessariis ad statum suum illi subvenire. Et in necessitate extrema spirituali Proximi tenentur illi subvenire etiam cum evidenti mortis periculo. Hic enim ordo est de Præcepto Juris naturalis; Jus enim naturæ dicitur, minus hæc esse diligenda præ illis. Dixi, *in extrema necessitate*: extra hunc casum non est eadem obligatio. In *gravi* autem *necessitate* obligatur cum *aliquo* damno temporali proprio.

In concursu particularis boni cum bono communi etiam ejusdem ordinis: præferendum est bonum commune bono particulari sui ipsius. Rectus ordo postulat, ut pars aliqua corporis pereat pro servando toto corpore. Quilibet autem homo pars est boni communis.

In extrema necessitate vitæ propriæ potest in aliquo casu præferri vita Proximi. Sic laudabile est, præferri vitam Patris a Filio, & vitam Domini a Servo, cum amissione propriæ. Quamvis enim nemini liceat occidere seipsum, tamen non tenetur semper omni medio, & ratione servare propriam, etiam in concursu alterius sibi carissimi. Seneca (1) narrat Servi dignum laude facinus: *Bello civili proscriptum Dominum Servus abscondit: & cum annulos ejus sibi aptasset, ac vestem induisset, Speculatoribus occurrit: nihil se deprecari, quominus imperata peragerent, dixit: & deinde cervicem porrexit.* Deinde Juvenes siculos (2) eximie commendat, qui, *cum Æna majore vi peragitata in Urbes, in Agros, in magnam Insula partem effudisset incendium, vexerunt Parentes suos. Dissedisse creditum est ignes, & utrimque flammâ recedente, limitem adaperitum, per quem transcurrerent Juvenes dignissimi, qui magna tutò auderent.*

In concursu Officiorum erga diversas Personas servandus est etiam Ordo aliquis rectus.

Tom. II.

. D d d

Qua-

(1) L. 3. de Benef. c. 25.

(2) Capite 37.

Quare in pari causa ii præferendi sunt, qui nobis conjuncti sunt, respectu extraneorum.

Inter sanguine Conjunctos idem ordo servandus. Inter omnes consanguineos *Pater*: Inter Patrem & Matrem præferendus est *Pater*, cui potior honos debetur. Inter Patrem, & Filium præferendus est etiam *Pater*: gravior est enim impietas, *Patrem* interficere, quàm *Filium*; ergo ex opposita ratione valet regula tradita. Tandem præferendus est *Pater* Conjugi juxta D. Thomam. Imò *Pater* utcumque improbus præferendus est in concursu cujuslibet viri etiam sanctissimi tum quoad necessitatem temporalem, tum quoad spiritualement. Ratio in omnibus est, quia post Deum homo quilibet *Patri* omnia debet, cui debet vitam.

Inter amicos, & inimicos, *amicum* sunt præferendi. Amicitia enim conjunctionem parit animorum maximam. Inter ipsos amicos ille, qui fidelior, & antiquior. In concursu Benefactoris, & alterius Beneficiarii nostri, seu cui beneficia contulimus, præferendus est *Benefactor* noster ex J. N.

In variis Societatum generibus præferendi sunt, qui eidem addicti sunt societati. Sic in diversis regnis, qui ejusdem sunt regni. In diversis ejusdem regni civitatibus, qui ejusdem sunt Cives. Inter Militares Milites præferantur, & ejusdem cohortis Milites aliis Militibus, & sic de ceteris. Etenim respectu harum societatum consurgit quædam obligatio ad particularia Officia, ut patet.

DE JURIS CIVILIS

CUM JURE NATURALI CONNEXIONE

DISSERTATIO XV.

Quid Jus Civile commune habeat cum Jure naturali? Juris Civilis divisio in Personas, Res, Actiones. De Personis, ubi de Servis. De Patria Potestate. De Nuptiis. De Tutoribus. De rerum Dominio. De Testamentis. De Obligationibus ex contractu, vel quasi contractu. De Obligationibus ex delicto, vel quasi delicto. De Actionibus. De Exceptionibus, & Judicis officio.

I. **U**T, quam promissimus fidem, solvamus; ultimam hanc posterioris tomi Dissertationem *Juris Civilis* Legibus, inter homines recepti, tribuamus, in iisque, quid ex Jure naturæ, quid ex Jure Gentium desumptum sit, maturè, diligenterque expendamus: ut juxta Leibnitzii monitum (1) *usus juris naturæ apud Juris consultos prouior futurus sit*. Ex uno autem Institutionum libro Leges desumam, qui sanè juxta Eruditorum mentem epitomen continet Juris totius Civilis. *Omnia, quæ in Institutionibus continentur, ex ipsis Digestorum libris, aut Codicis desumpta sunt* (2). Leges verò Civiles, unde *Jus Civile*, quamvis naturalis Justitiæ magna ex parte præcepta sint, tamen non omnia a Jure naturalis principiis deducuntur. Quare Ulpianus (3) optimè loquitur: *Jus Civile neque in totum a naturali, vel Gentium recedit; neque per omnia ei seruit. Itaque cum aliquid addimus, vel detrahimus Juri communi, Jus proprium, idest Civile efficitur*. Profectò naturalem rationem investigare debuerunt Juris Civilis Au-

D d d 2

ctores

(1) In epist. cens. lib. de Off. hom. & Civ.

(2) Domat. in oper. arg.

(3) Lib. 6. ff. de Just. & Jur.

Stores in legibus faciendis, sed ad particulares Civium, præfertim Romanorum mores illam accommodârunt. Idcirco Cl. V. Gravina (1) definit Jus Civile sic: *Naturalis ad Romanæ Reipublicæ institutionem relata, romanisque moribus, & litteris explicata ratio*. Quatuor ergo percurramus Institutionum libros; in iisque Juris Civilis generale, & proprium Principium cognoscitivum advertere liceat, quod in *conformitate cum natura rationali, & in convenientia ad humanam felicitatem reponi potest*.

LIB. I. INSTIT. Tit. I.

II. Tria Juris Civilis Præcepta: *Honestè vivere, alterum non lædere, suum unicuique tribuere*. Juris naturæ hæc Præcepta sunt. Quamvis enim non omnia eundem hominis statum supponant: nihilominus, posito eo statu, Juris naturæ sunt, ut vidimus. Primum illud ad particularem *Ethices* disciplinam; alterum ad *Oeconomices*, tertium ad *Politices* spectare propriè asserunt Nonnulli. Verùm ad Jus naturæ pertinere omnia, ostendimus locis suis.

Tit. II.

Notiones traduntur triplicis Juris, *Naturalis, Civilis Gentium*. Nihil hic novi.

Tit. III.

III. Personarum divisio in *Liberos, & Servos*, non ex Jure naturæ, sed ex utroque Jure *Naturæ, & Gentium* desumi debet. *Sunt enim omnes homines naturæ æquales*: ait Tullius (2). *Servitus* idcirco, quæ naturali hominum libertati obversatur, meritò a Justiniano *contra Naturam* dicitur. Etsi autem omnes homines sint *naturæ æquales*, non tamen omnibus Natura eandem ingenii vim, aut corporis dedit: unde naturaliter Sapiensibus Subiiciuntur Insipientes, & Validioribus Debiles. Illi idcirco a Gravina dicuntur *Liberi; isti naturæ Servi*. An reipsa *Jure belli* justæ servitus inducatur; non est in confesso apud omnes. Equidem in oppositam descendo sententiam, ut ostendi loco suo;

veram-

(1) De ortu & Progressu Jur. Civ. sub init.

(2) Lib. 1. de Leg.

veramque puto opinionem Henrici Cocceii (1) agentis: *Communem usum Gentium, ut capti interficiantur, esse abusum*. Posito autem eo abusu, *in Servis*, (qui veluti servantur citius, quàm occiduntur) agitur juxta naturam. Ipsique ratione naturali subjiciuntur alieno dominio. Gentes autem servitutem constituerunt fortassè advertentes ad communem tranquillitatem, ne iterum ad arma advolarent.

De Natis e *Serva*, (positâ servitute justâ Parentum) rationi conforme est, eos alieno subjici imperio. Quod enim e re mea nascitur, naturaliter meum est. *Filii servæ Matris*, utpote viscerum matris vera portio, sequuntur ventrem. Grotius (2) ex eo, quòd Mater nihil, unde Filium alat, possidet, deducit Filium quoque esse servum, nempe a Domino dante alimenta servatum.

Servorum operâ ex naturali ratione utimur. Ratio enim naturalis dicat, debere præstari justam iis operam, qui nos in vita servârunt. Optimè rem hanc declarat Tullius (3). Et Josue, qui Gabaonitas poterat occidere: *liberavit eos de manu Filiorum Israel, ut non occiderentur: decrevitque in illo die, eos esse in ministerio cuncti populi, & altaris Domini, cædentes ligna, & aquas comportantes* (4). Expendit Seneca (5), *an beneficium dare servus Domino possit?* Ratio dubitandi ex illa distinctione oritur; nempe *beneficiorum, officiorum, ministeriorum*. *Beneficium* (ait) *esse, quod alienus det: alienus est, qui potuit sine reprehensione cessare. Officium esse Filii, Uxoris, & earum Personarum, quas necessitudo suscitât, & ferre opem jubet. Ministerium esse Servi, quem conditio sua eo loco posuit, ut nihil eorum, quæ præstat, imputet Superiori*. Ceterùm affirmat, probatque, Servos posse beneficia Dominis conferre. Qui tandem in Servos venundari passi sunt, in obligatio-

(1) In Comm.ad Grot. l. 3. c. 7.

(2) L. 3. c. 14. §. 8. & alibi.

(3) L. 1. Offic.

(4) Jos. 9. 26. 27.

(5) De Benef. l. 3. c. 18.

gatione perpetua præstandi operas se constituerunt : tale autem pactum justitiæ naturali non repugnare , ostendit Samuel Cocceii (1) .

Tit. IV.

Ingenuos libertate suâ gaudere , rationi consentaneum est : adeoque ex Jure naturæ .

Tit. V.

Libertini , qui ex justa servitute manumissi sunt , Domino olim suo gratum animum ex J. N. habere tenentur . Manumissionis enim *finis* est , ut Servi spe libertatis fideliter Domino serviant , juxta illud Terentii (2) : *Feci Servo , ut esses libertus mihi , propterea quod seroibas liberaliter .* *Causa* autem esse potest etiam naturalis benignitas , quemadmodum apud Hebræos (3) , exacto determinato tempore , Servi manumitti jubebantur . Et a Plutarcho reprehenditur Cato major (4) , quòd *Servos senectute confectos vendidisset* , immemor communis naturæ , ut notat Grotius (5) . Domini autem arbitrio stat , Servum vel purè , vel sub certa lege manumittere . Ex Jure in Servum acquisito hoc descendit .

Tit. VI.

His tamen non obstantibus , lege cautum est , in aliquibus circumstantiis non licere Servum manumittere : urgente videlicet lege naturali potiore .

Tit. VII.

Quod vivens Dominus agere poterat , potest quoque moriens testamento relinquere faciendum , de Servi manumissione . Pendet ex facultate testandi , quam rationi naturali conformem Jus Gentium statuit .

Tit. VIII.

Jus quòdlibet in Servos non se extendit ad sæviendum contra illos . Si jus belli potestatem dabat occidendi hominem , hostem armatum : jus naturæ vetat sæviri in hominem inermem , jam servatum . Seneca (6) ait : *servis imperare*

mo-

(1) In-Comm. ad Grot. l. 3. c. 7. §. 1.

(2) Andr. 1. 1.

(3) Deut. 15. 13.

(4) In vita .

(5) L. 3. c. 14. §. 6.

(6) L. 1. de Clem. c. 18.

moderatè, laus est: & in Mancipio cogitandum est, non quantum illud impunè pati possit, sed quantum tibi permittat æqui bonique natura? Quæ parcere etiam captivis, & pretio paratis, jubet. Et deinde: Cùm in Servum omnia liceant: est aliquid, quod in hominem licere, commune jus animantium vetet: quia ejusdem naturæ est, cujus tu. Quibus hominis Ethnici sententiis erubescere oportet Christianum Thomasium (1), qui tribuit Domino potestatem puniendi indefinitam. Et Heineccium (2) agentem: De Jure vitæ, & necis Domino in hos Servos (mercenarios) competere posse, nemo negaverit. Tit. IX.

IV. Est Patria potestas, quam esse de J. N. communiter existimant. Causam patriæ potestatis esse *Generationem*, putat Grotius. Puffendorfius, adnotante Mascovio (3), opinatur, educationem esse causam proximam potestatis paternæ, & mutuum inter Parentes, ac Liberos officiorum. Neque tamen ideo sequestranda est *Generatio*, quæ, si res ex vero aestimetur, Educationi commodè adjungi potest. Est enim onus educandi sequela generationis, & utrumque finem ante oculos habere debent, qui nuptias contrahunt. Utramque hanc, nempe generationem, atque educationem usque ad pubertatem vult esse causam patriæ potestatis Henricus de Cocceii (4).

Patria Potestas diversimodè exercenda est in Liberos pro diverso triplici tempore juxta Grotium, ut diximus loco suo. Tempore *Infantiæ* potior esse debet *Matris* potestas in Liberos ex ipsa natura, quæ Matribus ubera aptavit, Matresque ad Infantes nutriendos effecit molliores. Quare nullo pacto sunt laudandæ Matres, quæ nobilitatis obtentu Pueros suos Mulieribus aliquando agrestibus com-

mit-

- (1) In Fundam. Jur. nat.
- (2) In Elem. J. N. l. 2. c. 4. §. 84.
- (3) In disp. de tutel. Illustr. sect. 1.
- (4) L. 2. §. 61. in Schol.

mittunt lactandos non sine Proles periculo, ac detrimento: Videatur hac in re Heineccius (1). Secundo tempore cum Filius sit pars familiae, etsi naturaliter se regere valeat, tamen ad eum spectabit, ad quem Familia spectat, nempe ad Patrem, qui longiore experientiâ Filium prudentius reget. Tertio tempore, quo Patriæ inservit in aliqua constitutus dignitate, naturaliter Parentibus subiici debet; cum Natura dicat, debere gratias rependi, & obsequia Parentibus præstari. Henricus de Coccei duo vult esse distinguenda tempora, nempe *Impuberum*, & *Puberum*. Pubertas idcirco, seu facultas procreandi, est ipsi terminus naturalis, quo educatio desinit: & potestas patria cessat cum pubertate, cum qua incipit facultas administrandi. Hoc esse ex J. N. Ceteras differentias esse juris positivi.

Parentibus constat deberi obsequium, & venerationem *perpetuam*, quæ nec pubertate finitur: causa enim, nempe generatio, & quæ inde fluunt beneficia, perpetua est. Sanè Seneca (2) quaerit: *An aliquando Liberi majora beneficia dare Parentibus suis possint, quàm acceperint?* Pro parte negante stat valida ratio nempe: *Quidquid est, quod dat Patri Filius, utique minus est: quia hanc ipsum dandi facultatem Patri debet. Ita nunquam beneficio ejus vincitur, cujus beneficium est ipsum, quod vincitur.* Profert deinde plures, validioresque rationes, quibus evincit, posse majora beneficia a Filio conferri Patri, quàm a Patre acceperit. Sed (3) inde colligit: *Hæc non destruunt Parentum venerationem, nec deteriores illis Liberos faciunt, imò etiam meliores; natura enim gloriosa est virtus, & antequam priores cupit. Alacrior erit pietas, si ad reddenda beneficia cum vincendi spe venerit.* Tum subdit pulcherrimam ad Filios parenesin, quam legere cuique apud Austorem licet.

Patria

(1) L. 2. §. 61. in Schol.

(2) L. 3. de Benef. c. 29.

(3) Cap. 36.

Patria Potestas in eos tantum Liberos datur, quos ex justis nuptiis Patres acceperint. Ratio ex Puffendorffio (1) est, quia citra pactum aliquod duraturum, (quo justæ nuptiæ donantur) si Generantes mixti fuerunt; proles Matris est: in eo enim statu Pater cognosci non potest eâ certitudine, qua res facti probari solet: siquidem alios potuit Mater Matermittere.

Tit. X.

V. Nuptias contrahere est de Jure naturæ: Patet ex diversitate sexûs, & ex constitutione familiarum: ut ostendimus loco suo. De *Monogamia* egimus etiam tum in parte prima, tum in secunda, ibique Protestantium errores deteximus, & confutavimus. Hic, de *Polygamia* quid scripserit Christianus Thomasius (2), ad æternam hominis infamiam exscribam: *Si Princeps sit polygamus, nondum ullas probavit justis rationibus, hanc polygamiam tantum esse crimen, ut gehennam mereatur, & quod legi universali divinæ repugnet.* Consulantur ea, quæ locis citatis dedimus; & Thomasi impudentia detegetur.

Utrum naturæ repugnet, *Filios Parentibus, Consanguineos Consanguineis* copulari? Expendimus locis suis, pluresque protulimus rationes. Naturalis est pudor, & a natura indita reverentia, unde ab hujusmodi concubitu homines retrahantur. Iis carent bruta, & idcirco

Coëunt animalia nullo

Cetera delectu, nec habetur turpe Juvenca

Ferre Patrem tergo. (3).

Confunderentur necessitudinum vocabula, officiorumque genera, ut ibi observavimus. Circa Consanguineos in exordio mundi commixtio facta est, neque putandum est scelere propagatum genus humanum. Seldeni opinio est,

Tom. II.

E e e

spe.

(1) L. 6. c. 2. §. 5.

(3) Ov. Met.

(2) In Jurispr. div. l. 3. c. 3.

Verùm Auctores isti miserè hallucinantur , & præpo-
 sterè ratiocinantur , in opponendo Catholicis hæc absurda.
 Omnia egregiè conciliantur , modò rectè explicentur , quin
 & inter ipsos Protestantes nonnulli veritatem fateri non
 dissimulant : sic Hornius (1), Grotius (2), Bohemerus,
 & alii . Explicatur autem tali pacto : Binæ potestates , quas
 Catholici admittimus , inter se nec adversæ sunt , nec æ-
 mulæ : & ad eundem finem , collatis studiis , tendunt . Sa-
 nè Potestas spiritalis nihil agit omnino in iis , quæ ad li-
 bertatem , ad bona , ad vitam ipsam , statumque externum ,
 & politicum Civium spectant . Inde ergo Princeps supremus
 nihil ab illa Religione timet , quæ dominii suis ipsius inte-
 gritatem minimè lædit , quæque non nisi in Populorum con-
 scientias potestatem exercet , quò planè Supremi Principis
 dominium non se extendit . Tantum ergo distat , ut exin-
 de aliquid detrimenti oriri suspicetur Princeps in suamet
 potestatem : ut citius ex potestate illa spiritali distincta fir-
 mitatem hauriat maximam suamet potestas . Etenim in pri-
 mis qui potestati spiritali subjecti sunt in omni Civitate
 nihilo minùs veri , ac proprii sunt Cives , & membra Sta-
 tûs : sunt idcirco supremæ civili potestati obnoxii , necra-
 tione privilegiorum , (unde unde in eos deriventur ista)
 evadunt omnino independentes : quinimò & jurejurando fi-
 dem suam Principi supremo obstrinxerunt ; unde non minùs ,
 legibus civilibus , & politicis parent , quatenus ipsorum mi-
 nisteriis non opponantur , ac legibus sacris parere debent .
 Deinde illi ipsi , qui spiritalem potestatem exercent , nil
 magis student , quàm aliis exemplo præire in recta erga
 Principem observantia . Princeps ergo supremus potestati
 spiritali , quam a Deo constitutam novit , se , suosque sub-
 ditos subjiciens , nihil de suis juribus , quæ civilem Reipub-
 licæ administrationem respiciunt , amittit : hæc enim sar-

12

(1) De Civ. l. 2. c. 5.

(2) In spec. tract. de Imp. sum. potest. circa Sacra c. 2. §. 8.

ta & tecta manent tum circa Cives, tum circa eorum bona, ut dictum est hæcenus.

Quare evidens est, *Statum* revera unicum esse omnino: nec ex duplici potestate aut dividi, aut duplicari. Utriusque enim Potestatis *objecta*, licet naturâ suâ distincta, adhuc perfectè admodum consonant. Publici regiminis cura penes Unum, nempe supremum Principem perseverat; atque adeo utriusque potestatis *leges* inter se minimè opponuntur. Etenim, quas profert leges Ecclesia, Religionem dumtaxat respiciunt: iisdemque legibus Ecclesia obedientiam præcipit, ac venerationem erga Principem, ejusque leges. Siquid vetat Ecclesia, quod ad externum regimèn spectat, id fit semper cum plena Principis consensione, ac voluntate: ab eoque leges civiles emanant, quæ tamen conformes etiam sunt Ecclesiæ votis, quibus semper ille patrocinator. Neque obstat, quòd aliquando exortæ sint suspiciones, & non rarò etiam aperta dissidia inter utramque Potestatem. Etenim mala, quæ sequuntur, non sunt semper pravi principii indicia: cùm ex qualibet optima constitutione possint homines pessima eruere consecutaria. Ridendus planè esset politicus ille, qui, ut ebrietatem impediret, atque ab hominibus amandaret, vineas omnes jubere esse eradicandas. Quid? erunt ne miscenda sacra profanis, & jura omnia simul confundenda, atque in unam Personam conferenda omnia ministeria, ut discordiarum occasio eripiatur? Quod si fieret: certè frustra, qui speratur effectus, expectabitur. Patet experienciâ illorum Statuum, ubi una Principis supremi manus humana, divinaque omnia regit. Innumera ibi occurrunt paribus ex capitibus obvenientia incommoda, quæ non vacat hic percellere; & ratio ipsa naturalis persuadet. Profectò quí fieri potest, ut incommoda quælibet evitentur, utque omnis præcludatur aditus querimoniis, tricis, obloquutionibus, quæ ex humanis depravatis affectibus necessariò procedunt? Idcirco

circo satis erit , hujusmodi malis , aliisque similibus prudenti aliquo modo providere ; puta , ut sui designentur limites utrique Potestati ; & , ubi alterutra limites excefferit , ea adhibeantur remedia , quæ sint loco , tempori , ac Personis accommodata .

Pessimè autem a Voltairio (1) exempla proponuntur Senatûs Romani , exercentis uno , eodemque tempore & *Imperatoris* , & *Sacerdotis* officia . Pessimè rursus a Russo (2) Mahumedis leges tanquam Statui utiliores proponuntur , quibus nempe uni , eidemque Personæ & politicam potestatem , & religiosam ille commisit : audetque genevensis hic audacissimus Scriptor , Mahumedem divino Legislatori Christo Domino stultissimâ ratiocinatione præferre . Si enim cetera deessent , unum illud satis esset superque ad hominum arrogantium linguam , mentemque frenandam : nimirum *Christianam Religionem auctorem habere Deum , quem aliæ Religiones a Voltairio , & Russo productæ neutiquam habent* . Præpostera jam est a falsis , profanisque religionibus , ad divinitus institutam illatio . Qui ergo verè Christianum se esse profitetur , Auctorum istorum audaciam , temeritatemque contemnat . Argumenti deinde vis deficit , ubi ab unis ad alia tempora , vel ab uno ad alium Populum fiet transitus : multo ergo magis si ab una ad aliam religionem ducatur argumentum . Quare insani consilii est , humanæ subijcere potestati Christianam Religionem , quemadmodum apud veteres Romanos Religio subijcebatur . Etenim in eo casu constantia illa , quam Christiana Religio profitetur , profus deficeret : esset enim , non minùs ac res aliæ civiles , mutationibus obnoxia ; ac proinde uni Statui una , altera alteri Statui Religio decerneretur . Tot ergo essent Religiones saltem , quot Status . Ubi ergo tunc in Christiana Religione unitas Fidei , Sacramentorum , publici privati que Cultûs ? Hæc utique , quæ Christianæ divinæ Religioni absurda sunt

enor-

(1) In suo *Henriadis* poemate .

(2) In contractu sociali .

enormia, ex illis Protestantium ratiocinationibus evidenti illatione deducuntur.

IX. Principi supremo jus etiam competit exigendi *tributa*. Jus hoc & Christi Domini auctoritate firmatum est: *reddite ergo, quæ sunt Cæsaris, Cæsari*. Et Apostoli Pauli testimonio comprobatum: *Cui tributum, tributum*. Ratio autem in eo stat, quòd qui ad conservandam Reipublicæ pacem, ac tranquillitatem invigilat, jure exigit a Populis, quibus præest, tributa, & subsidia, quæ ad bonum publicum necessaria sunt. Illud Tiberii Imperatoris effatum nullatenus est prætereundum: refert Suetonius (1), eum nova quadam tributa abrogasse, dicere solitum: *boni Pastoris esse tondere pecus, non deglubere*.

Hic autem expendunt AA. *jus, & dominium* Principis supremi super bonis singulorum Subditorum. Burlamaquius (2) opinionem illorum confutat, qui sustinent, penes Principem esse dominium proprietatis in bona Subditorum. Sanè ante constitutum Principatum penes singulos certissimè erat dominium proprietatis: non constat autem, Populos in conferendo Principi supremo potestatem legislativam, coactivam, & judicariam, spectantes ad tranquillitatem internam, quibus sua ipsorum libertas, ut patet, maximè restringeretur: voluisse conferre ipsi dominium pariter proprietatis in suamet bona. Nihil ergo sibi reservarentur Populi; unde & inutilis esset pax, & tranquillitas interna, quæ necessaria est potissimum propter Civium discordias in bonis suis.

Videtur autem oppositum posse colligi ex iis, quæ in sacris Libris legimus (3): ubi hebræorum Populo petenti sibi Regem, Deus Samuelem jussit prædicere *Jus Regis: Prædic eis jus Regis, qui regnaturus est super eos*. Samuel deinde publicè pronuntiavit: *Hoc erit Jus Regis, qui imperaturus est vobis*.

(1) L. 3. c. 27.

(2) L. c. c. 5.

(3) 1. Reg. 8.

vobis . Atque enumerans plura , subdit : *Agros quoque vestros , & vineas , & oliveta optima tollet , & dabit servis suis . Sed & segetes vestras , & vinearum redditus addicimabit , ut det Eunuchis , & Famulis suis . Servos etiam vestros , & Ancillas , & Juvenes optimos , & asinos auferet , & ponet in opere suo .* Quæ omnia indicant dominium proprietatis .

Verùm in primis Vox illa *Jus* in hebraica radice (ut hic advertit Calmet) æquè significat *judicium , consuetudinem , usum , modum* , quo exercetur eorum imperium . Deinde clarum est , Prophetæ mentem fuisse , deterrere Populum ab imprudenti petitione : idcirco prædixisse simpliciter , quæ essent ipsi obventura sub Regis potestate , quin approbaret quidquam ex ipsis . Tandem celebris est in sacris Litteris historia Acabi Regis cum Naboth negante illi vineam : quæ autem ibi narrantur (1) , probant satis , non dari *Jus proprietatis Regi in bona Subditorum* .

Non est tamen , quòd Principi supremo pro aliquibus circumstantiis dominium in bona Subditorum non competat . Sunt autem hæ circumstantiæ *bonum publicum* respicientes . Populi enim simul coeuntes , & potestatem supremam constituentes , ut bono eorum communi provideret ; censendi sunt tacito quodam consensu voluisse , ut Princeps , ubi expediens judicaverit bono publico vel conservando , vel augendo , posset de Subditorum bonis jure disponere . Tria considerat objecta ad bonum publicum Burlamaquius (2) , pro quibus Principi competit jus in bona Subditorum . I. pro moderando usu bonorum , habitâ ratione bono privato , necdum publico . II. pro exigendis contributionibus . III. pro recto usu sui domini eminentis . In 1. casu sunt leges moderantes *luxum* , & promoventes *rectam oconomiam* , & proficuum *laborem* . De luxu aliquid dicam , valdè enim Statui noxius est , quidquid nostrorum temporum Philosophi debla-

(1) 3. Reg. 21.

(2) L. c.

deblaterent. *Luxus*, (qui certè in excessu sive sumptuum, sive deliciarum consistit.) contrarius est artibus quibusque duris, ac laboriosis, utcumque utilibus, & necessariis; & promovet modis omnibus artes vanas, ac peregrinas: agros vastat, & incultos reddit, unde *Agriculturæ detrimenta*, & *Status* consequentur: *Personarum conditiones* confundit, non enim alia inducitur mensura nisi divitiarum, non verò generis, aut dignitatis: exitium parit familiis primoribus *Status*, quæ, ut in eodem conserventur decore, media aliquando parùm honesta adhibent: curiù temporis cupiditati omnia servire facit, non honori, aut bono publico: bonos mores *Juventutis* corrumpit, ac *Feminarum præsertim*. Ex *luxu* fit, ut pecunia ad *exterarum Nationes* immoderate effluat: ex *luxu* impediuntur *Matrimonia* propter ingentes expensas; quibus nec satis est, quidquid ex dote confertur. *Augustus* rem hanc animadvertens binas simul tempore tulit leges, alteram *sumptuariam* contra *luxum*: alteram *de contrahendis nuptiis*. Ad primum: caput etiam spectant leges contra *Ludos*, contra *Prodigos*, contra *Otiosos*, & *Mendicos* &c.

Pro ii. capite patet, a Principe exigenda aliqua *vectigalia* etiam ad conservationem, & defensionem sui *Status*: pro qua re necessarii sunt *Ministri*. Unde datur *Jus exigendi* a *Subditis* expensas: quare injustæ sunt *Populorum querelæ* contra hasce contributiones. Hæ tamen esse debent, habitâ ratione proventuum singulorum: & spectat ad *Principem* *Exactorum* rectitudini invigilare.

Pro iii. casu, ratio dominii eminentis in Principe dat illi *Jus exigendi* a *Subditis* de eorum bonis, quantum pro aliqua urgente causa opus sit. Afferuntur casus aliqui, puta, ut si pro constructione arcis alicujus demoliri expediat domus, pomœria &c. *Æquum* tamen esset, ut *Privati* damnum illud ferentes pro bono publico, habeant a reliquis *Civibus*, corrogantibus pro rata pecuniam, emolumentum.

In communi caritate annonæ Princeps jure suo Privatorum horrea aperit, ac venum exponit, invitis etiam Dominis. Atque alia hujusmodi.

Præter hæc competunt Principi aliqua bona ad sui, suæque Familiæ condignam conservationem: dicuntur autem hæc *Bona Fiscî, vel Domaniî regii*. Hisce Bonis potest Princeps uti frui pro libito. Quod quidem agere non potest de Bonis, quæ conservationi Statûs inserviunt; in quibus gerere se debet ut Administrator, attendens bono publico cum ea diligentia, & cura, quam Tutor adhibet Pupillo suo.

Competit etiam Principi cura Ditionis suæ, ut nempe magis magisque efflorescat, quemadmodum Patri cura datur de suamet Familiâ, ut commodius vivat. Obtinetur illud a Principe *ope Commertii*: quod utique definiri potest: *Commutatio superflui cum necessario*. Sive fiat inter merces, & merces; sive inter pecuniam, & merces. Jamverò id in omni Statu curandum est, ut, quod in propria ditione magis abundat, ad exterâs commigret nationes, & ab his vel pecunia, vel merces aliæ, quibus ejus Ditio indiget, introducantur. Sanè libertas commertii relicta a Principe suis Subditis, ut experientia docet, multum confert ad augendas Ditionis, vel Statûs divitias. Testis est (ut alios Status omittam) Etruria, ubi aliquot annos immorari mihi datum est, quæ post concessam a supremo Principe, magno Etruriæ Archiduce, PETRO LEOPOLDO unicuique liberi commertii facultatem, majorem rerum copiam Status experitur, & longè pluribus divitiis Cives omnes abundant; agrorum cultura, unde Statui opes promanant, visa est nimium quantum excrescere, Artificum industriæ, ac labores augeri; & pecunia, quam Aratores ex agrorum fructu colligunt, in Cives perenni fluxu erogari, conspicitur.

Inde etiam apertè confutatur Recentiorum Deistarum calu-

calumnia adversus Catholicam Religionem rejicientem *Tolerantismum*: ac si tali pacto Commercia impedirentur. Si quidem apud Catholicos distingui oportet *tolerantiam*, ut dicunt, *religiosam*, a *tolerantia civili*. Primam illam averfatur Catholica Religio, minimè ferens approbari mutationem ullam in Fide, reliquisque ad Fidem spectantibus: secundam verò, quæ jubet, Cives omnes in unam Ditionem legitimè coëuntes debere invicem officia convenientia exhibere, in quibuslibet vel emptionis, vel venditionis negotiis fidem servare, commutando merces, pacta custodire, aliaque hujus generis complura, quæ a particularibus Fidei divinæ articulis omnino præscindunt: hanc, dico, tolerantiam Catholica Religio non respuit. Nec audiendus est Ruffous (1), ubi asserit, *vanam esse distinctionem inter utramque tolerantiam, theologicam nempe, & civilem, cum dari nequeat pax inter homines, qui tanquam inimici Dei conspiciuntur*. Errat, ac fallitur genevensis Civis, ejusque errorem apertissimè demonstrat historia a primis Ecclesiæ Catholicæ initiis, ubi Christiani cum Paganis negotia agebant civilia, & in præfenti civilia habentur commercia cum Hebræis, aliisque diversæ Religionis hominibus, & pacificè omnia conficiuntur.

Princeps denique meritò sibi jus reservat *credenda pecunie*, quæ pro facili rerum commutatione inducta est. In pecunia enim fides Principis obligatur de metalli qualitate, quæ in suomet Statu liberè excurrit ad res commodius curandas, quibus ad victum, vel vestitum indigemus; & in exteris Ditionibus admitti potest, taxato ejus valore. Profectò sub initium ea, quæ quis labore suo comparaverat, sibi que fuerant superflua, poterant cum alio genere cibi, & potùs, vel etiam cum aliqua parte metalli, aut rei hujusmodi commutari. Cursu temporis ad majus harum rerum, & commodius commercium communi consensu

(1) Emil. tom. III. pag. 172.

sensu inducta est *metalli cusi*, & *pecunie* usus: cum ceteroqui inutilis sit ad hominem vestiendum, vel sustentandum. Quare, quæ sub initium mundi dominia solus labor, & industria dedit, modò dat cusi, signatque metalli consuetudo, & commutatio.

X. Tranquillitatis etiam externæ curam habere debet Supremus Princeps: unde profectò oriuntur *Jura belli*, & *pacis*, *fœderum* &c.

Bellum, ex iis, quæ habet Tullius (1): *Cùm sint duo genera decertandi, alterum per disceptationem, alterum per vim*, definitur a Grotio (2): *Status per vim certantium, quæ tales sunt*. Alio modo definiri posset: *Publicorum armorum justa contentio*. Sic Albericus Gentilis (3). Sanè definitio illa Grotii æquè competit bello, ac latrocinio, & injustæ aggressioni. Malè etiam dicitur *status*, cum non sit ratio per se stabilis vivendi, quæ ad statum intelligentiam requiritur. Illa verò Alberici non nisi justo bello competere potest. Melius autem sic: *Armorum publicorum contentio a Potestate summa contra hostem publicum inita* Bellum justum est: *legitimè, ac pacis causâ suscepta contentio*: Bellum injustum est, *vel a Persona non legitima, vel ob causas non legitimas, vel modo, & intentione non legitimâ suscepta contentio*.

Distinguunt etiam AA. cum Grotio (4) plura Bello- rum genera, quæ breviter hic indicabimus. Bellum *solemne* I. geri debet a Summa Potestate. II. præcedere debet belli denuntiatio. *Minus solemne*, vel quod non sit denuntiatum, vel quod inter Privatos geratur. Bellum *defensivum*, quod injustam invasionem contra propria jura, vel bona repellit: *offensivum*, seu *aggressivum*, seu *vindicativum* in hostem fit sive juris vindicandi, sive damni reparandi causâ. Jamverò ex J. N. in bello *offensivo* requiritur *denuntiatio*, ut parti alteri suppetat tempus vel satisfactionis præstan-

(1) I. de offic. 11.

(2) L. 1. c. 1. §. 2.

(3) De Jure belli 1. 2.

(4) L. c. c. 3.

standæ, vel tentandi belli. Non ita verò in *defensivo*, cum hoc juxta Platonem indicatur a Natura ipsa.

Utrum sit ex J. N. licitum bellum; controversum olim fuit; & negantem sententiam sequuti sunt Manichæi, ut notat S. Augustinus (1). Alii etiam dixerunt, non esse licitum Christianis bellum gerere, sic Anabaptistæ cum Erasmo Rotterodamo (2); & Martinus Lutherus publicè docuit, non licere Christianis bellum adversus Turcas movere, ut patet ex damnata propositione a Leone X. Verùm & ex J. N. licitum est bellum sub debitis conditionibus, & Christianis eodem modo non est prohibitum. Conditiones, quæ in utroque Jure pro bello licito requiruntur, a D. Thoma (3) tres recensentur. Sunt nimirum 1. *Legitima Auctoritas illud indicendi*, quæ est *Suprema Potestas*, ut diximus. II. *Justa causa*: quæ ex Augustino (4) est *injuria reparanda, vel vindicanda, vel repellenda*. Idcirco, oblata ab hoste plenà satisfactione, nulla superest injuria bello reparanda; cessat enim ea, quæ arma permoverat; cessat ergo titulus bellum prosequendi. Hujusmodi autem *causa justa* debet etiam esse *gravis*, ne plus detrimenti ferat bellum, quàm sit emolumentum spes.

Debet rursus esse *certa*, quia bellum est actus *Justitiæ punitivæ*: At verò injustum est, punire aliquem *causâ* nondum *liquidâ*, & *probatâ*. Principis autem est, expendere hoc, Militibus tantùm parere necesse est ex *justâ*, *certâ*que *causâ* præsumptione. Præcessisse enim censenda sunt Prudentum Virorum, ac Theologorum consilia, maturo judicio, & remoto quovis partium affectu omnia expendentium, ac simul causam *justi* illius belli omnino certam discernentium. Effet, qui secus ageret, homicidii reus non unius,

(1) Lib. 12. contra Faustum c. 74.

(2) In annot. ad c. 3. & 21. Lucæ.

(3) 2. 2. q. 40. ar. 1.

(4) In cant. Dominus 23. q. 2.

unius, aut alterius, sed tot hominum, quot in bello miserè cadunt; effert rursus ad quælibet resarcienda damna obstrictus pari modo. Atque hæc omnia ex Jure naturæ, ut patet. Urias non Davidis manu, sed hostium gladio occisus, Nathanis voce Davidem homicidam accusat (1). Errant verò, qui ex belli prospero, vel adverso eventu volunt justam belli causam dignoscere: *Careat successibus, opto, quisquis ab eventu facta notanda putet* (2) III. *Conditio est debita intentio*, nimirum non ex *dominandi libidine*, non ex *privata vindicta*, non ex *vana ostentatione virium*, & *potentiæ*: sed potiùs ad pacem, & publicam tranquillitatem obtinendam, & ad Justitiam exercendam, injurias vindicando, aut amissa recuperando. Augustinus (3) egregiè hoc expressit: *Nocendi cupiditas, ulciscendi crudelitas, impacatus, atque implacabilis animus, feritas rebellandi, libido dominandi, & siqua similia, hæc sunt, quæ in bellis jure culpantur*. Puffendorfius (4), alique justæ belli causas ad duo capita referunt I. ad defensionem sui, suorum, regionis, reipublicæ &c. II. ad vindicationem sui, suorum, regionis, reipublicæ &c. Illa facit, ut quisque retineat, quæ sua sunt: hæc facit, ut recuperet sua, quæ injustè ablata sunt. Idem habet Grotius (5).

Injusta est belli causa *levis injuria* ex iis, quæ diximus. Injusta est belli causa *Jus, seu Ratio Armorum*: Etenim reduci potest ad *Jus Potentioris*, quod sanè illegitimum est *Jus*: durat enim jus hoc in aliquo, donec duret esse potentior; ubi primùm desinit esse fortior, cessat in eo *Jus*, & oritur in illo, qui fortior evasit; uno verbo, ubi impunè detrectatur imperium, jure detrectatur. At quale *Jus* est, quod perit, ubi perit vis? *Jus* ergo non est ex fortiori, nec dari potest *Jus* hoc præcisè ex *Armis*. Est revera

(1) 2. Reg. 12.

(2) Ovid. heroid.

(3) L. 22. cont. Fauſt. c. 74. & 75.

(4) l. 3. c. 1. §. 1.

(5) L. 2. c. 1. §. 2. o. 1.

vera dominandi libido, ambitio parandi nominis, cupido ampliandi imperii. Aliquando etiam vindictæ cupiditas, libertatis amor, atque alia hujusmodi. Injusta etiam est belli causa illa, quæ dicitur *Ratio Status*, quam perfidus Machiavellus promovit, nempe *metus vicinæ Potentiæ*, nimium augmentis vires suas, *equilibrium potentiæ inter Vicinos*, *titulus quilibet acquirendi dominii*, quin respiciatur Jus ipsum vel Naturæ, vel Gentium. Augustus, narrante Suetonio, (1) belli Ducibus id inculcabat, *ut festinarent lentè*, nec bellum susciperent, nisi cum major emolumentum spes, quam damni metus ostenderetur: *nam minima commoda non minore sectantes discrimine, aureo hamo piscantibus non absimiles pronuntiabat, cujus abrupti jacturam vix parva præda pensaret.*

Rursus non erit justa belli causa, *hostilis animus tantum prævisus*, si offeratur *debita cautio* de non offendendo. Neque *negatus transitus militaris*: utcumque enim dicatur *innoxius*, potest ita dici theoreticè tantum, non practicè, ut docet experientia. De quo transitu loquuti sumus *in diff. XI.* propè finem.

Utrum sit justa belli causa *Religio*; esset disquirendum. At de hac re pauca. Bellum *defensivum* in causa veræ Religionis licitum est etiam de Jure naturæ: licet enim ex J. N. repellere vim injustam veræ Religionis. Addere etiam debemus: Orthodoxos Principes ratione supremæ Protectionis teneri etiam armis defendere Fidem, ac veram Religionem: atque ad hoc juramento se obstringunt.

De bello autem *offensivo*, si sermo sit adversus Turcas, aliosque iniquos Usurpatores ditiorum, quæ ad Christianos olim spectabant: licitum utique est hujusmodi bellum. Siquidem bellum justum *offensivum* geritur pro recuperanda re sui juris, quæ injustè ablata est, & pacificè redi recufatur. Idcirco damnata est Lutheri propositio su-

prà citata . Si verò sermo sit de bello *offensivo* contra alios Infideles , utpote qui verè Domini sunt suarum regionum : Pro his dicimus 1. solam Religionis propagationem non esse legitimam belli causam , Paganis ratione infidelitatis inferendi . Ratio est , quia lex Evangelii non aufert jus iis , qui jure aliquo fruuntur : & ratio infidelitatis simpliciter non reddit Infideles juris alicujus incapaces ; neque eorum Infidelitas est *injuriosa* Christianis ; aut est *delictum* , quod puniri possit a Christianis : cum illi sint extra Ecclesiæ jurisdictionem ex Paulo (1) : *Quid enim mihi de his , qui foris sunt , judicare ?* Ergo ex nullo capite apparet , quomodo possit ratione Evangelicæ prædicationis inferri bellum Infidelibus , & auferri jus proprietatis ab iisdem . Deinde Christus contulit Apostolis , & Ecclesiæ suæ jus prædicandi Evangelium : *Prædicate Evangelium omni Creaturæ* . Ex quo inferitur , Infideles posse , ac debere liberè ad Fidem accedere , post acceptam veritatis notitiam .

Unicus ergo casus inferendi bellum Infidelibus esset ; si isti vel impedirent Christianos Prædicatores , ne Christi Fidem annuntiarent , vel Subditos a suscipienda vera Fide terrerent : ad utrumque enim datur verum Jus . Injuria , ergo irrogaretur ab Infidelibus ; contra quam Christianis Principibus , ad quos spectat Religionis Christianæ tutela , & Innocentium defensio , onus incumbit agere bello , ut reparetur . Quare minimè approbamus , (quod malè , & per calumniam Catholicis impingunt heterodoxi Protestantes , atque alicubi sub prætextu defendendæ Religionis fortè actum est) ut legitimi Reges solio deturbentur , eorum bona diripiantur , & ditiones usurpentur . Catholica Religio vim , & violentiam Infidelibus injustè illatam detestatur , utpote christianæ mitissimæ Legi oppositam , & ad gignendos veros Dei cultores ineptam . Idcirco omnem potestatis abusum rejicimus ad fovendam ambitionem , & explendam avaritiam .

Cir-

(1) 1. ad Cor. 5. v. 12.

Circa Subditos verò Infideles, sive Judæi sicut, sive etiam Hæretici; illud mihi probandum videtur: nempe vi & armis *directè* non esse eos cogendos ad veram Fidem amplectendam. Fides enim actus esse debet omnino liber. Sed *indirectè* posse allici, nimirum *privilegiis, relaxatione debitorum, officiis &c.*

XI. Expendamus hic etiam belli justii *effectus*. Primus & quidem in genere, relatè ad *hostem*, est *Jus occidendi hostem*, qui *verus hostis* sit. Sanè *veri* hostes sunt, qui actu *in armis* sunt, & Statum hostilem *defendunt*. Alterutrâ ex his conditionibus deficiente, non datur hoc *Jus occidendi*. Sic *imbelles*, ut infantes, *imbecilles*, ut feminae, (nisi & hæ in armis sint): Personæ etiam *sacræ*, & qui utiles sunt universitati, ut *mercatores, agricola, & similes*: hi inter hostes veros non accensentur. Pari modo, qui *arma deponunt, vel dedunt se victori; sævum enim esset*, ait Tacitus (1), *hujusmodi occidere*. Omnes siquidem relati, aliique ejus generis *veri hostes* non sunt, & idcirco non est *Jus occidendi istos*. Prædicto autem jure uti debet hostis *modis habitibus, ac legitimis*. Esset enim contra *Jus belli immittere Sicarios, corruptâ illorum fide: immittere Satellites*, quod quidem aliqui ex *Jure Gentium* repetunt, non autem vetari putant *Jure belli*, & probant exemplo *Scevolæ*: at *veneno imbuta arma adhibere*, contra *Jus belli* esse, certum omnino est.

Alter effectus pariter in genere respectu *hostis*, est *Jus in bona hostilia*, adhibitis tamen quibusdam limitibus. Sic non licet *ultra necessitatem* res, agrosque corrumpere, aut devastare. Rursus, per se loquendo, tale jus non extenditur *ad loca sacræ, neque ad res sacræ, & bona Ecclesiæ*: quidquid in contrarium asserant Protestantes, cum Grotio, Puffendorffio, utroque Coccejo, aliisque. Ut enim ostendimus contra ipsos, *Ecclesia* nequit inter *veros hostes* accenseri, neque in partem *Reipublicæ*, bellum gerentis

(1) Annal. 12. 17. 2.

connumerari, saltem *quâ talis est*. Non est ergo, cur damna belli debeat jure subire. Nisi fortè Ecclesiastici sese bello immisceant, vel Tempa essent castrorum more munita, contrâ ac statuunt Ecclesiæ leges.

Effectus belli justî respectu *Victoris* est: ut justè acquisita, spectatâ belli naturâ, *primariò* cedant Principi; ejusque arbitrio pendeat, quidquid in excursionibus, & in depredationibus licitè, ac propriè a Privatis acquiritur. Respectu autem *Victorum* communiter esse dicitur: *Jus in Captivos cum dominio ex parte Cipientis, & servitute ex parte Capti, suo modo etiam cum jure in vitam*, saltem abstrahendo a Lege Christiana. Hæc est plurium opinio. Verùm in aliorum descendo sententiam, qui negant *verum Jus servitutis* ex Jure belli; & quidem contra Grotium, aliosque J. N. Scriptores. Putat enim Grotius, *dari jus in Victore occidendi Victum*: quare Victus vitam redimit impendio libertatis; quæ sanè videtur legitima conventio, utrique parti proficua. At, spectato Jure naturæ, neque ratione *belli* ipsius, neque ratione *acquisitionis* oriri existimo jus prædictum in Victore respectu Victi. Et primò quidem *non ratione belli*: Siquidem homines de se nequeunt esse *naturaliter* hostes, seu in *statu belli*. Quare status ipse belli, etiam ut vult Grotius, non ad Personas relationem habet, sed ad res, & per accidens ad Personas. Unde hostes sunt, non quâ homines, non quâ cives, sed quâ milites. Rurûs *fi. is belli* dirigitur adversus Statum hostilem: datur ergo jus occidendi Defensores Statûs hostilis, dum habent arma: ubi ergo primùm arma deponunt, non ampliùs hostes sunt, sed meri homines sunt: unde cessat omnino jus in vitam istorum. Neque enim *Bellum* conferre potest *jus aliud* præter illud omne, quod sit necessarium ad finem. Jus deinde *acquisitionis*, præsertim respectu Personarum, est *jus potentioris*, de quo supra, quod revera non est legitimum Jus; adeoque producere

cere nequit *jus servitutis* legitimum . Optima moderatio-
nis hac in re exempla exhibuere Americani cum Anglis ,
quos bello vicerant , contrà ac exhibuerunt Angli respectu
Americanorum , quos in bello ceperant ; nempè con-
formius ad Jus naturale operatos esse Americanos præ An-
glis , ferunt notitiæ universales (1) : si vera sunt , quæ feruntur .

Effectus belli *justi respectu Subditorum* est Jus conscri-
bendi Milites . Hoc autem Jus se extendit intra territorii
fines ; potest idcirco cogere Subditos : siquidem bellum ju-
stum est ad publicum bonum directum . Datur ergo Jus in
Principe cogendi Subditos ad defendendum bonum commu-
ne ; & hi tenentur obedire . Hoc autem posito , Principi
datur jus exigendi sumptus pro Milite alendo , jus parandi
arma , atque alia hujusmodi . Quemadmodum enim datur
in Milite obligatio *servitii militaris* : ita & in Principe da-
tur obligatio *solvendi stipendia* .

Ex parte Subditorum nulla est obligatio examinandi
belli justitiam , ubi a legitimo Principe ad bellum vocan-
tur . Si verò publicus , & communis famæ rumor belli in-
justitiam proclamet , tenetur quisque , pro deponendo du-
bio , veritatem indagare , & certior fieri . Sub dubio enim
illicitæ operationis nemini licet operari . Si post adhibitam
diligentiam adhuc dubium permanet , licitum est Militibus
bellare , judicando Principem habere rationem aliquam ip-
sis incognitam . Quare vi hujus judicii dubium illud deponet ,
& Principi suo obedient , ubi non constet certò de peccato .

Injusti belli autem Auctor tenetur ex J. N. damna
omnia reparare , ut suprâ dictum est , quorum ipse vel cau-
sa fuit *principalis* , vel causa *movens* : damna nempè , quæ
prævidere oportebat : & reddere Deo , expendenti facta
Principum , rationem .

Huc etiam reduci potest *Jus Represaliarum* . Est autem
hoc

(1) Vulgò *Gazzetta Universale* sub die 10. Junii an. 1777. num. 46.
pag. 365.

hoc Jus, quo Princeps in casu denegatæ ab externo Principe justitiæ ob illatam ab ipso injuriam vindicat sive se, sive suos. Profectò Represaliæ locum habent, cùm aliqua Gens, Princeps, aut Civitas statuit jus quoddam aliis grave: & alia Gens, Civitas, vel Princeps vicissim ejusmodi juribus contra eam utitur. Jus hoc Represaliarum fundari utique potest in J. N. nimirum, in eo, quòd *naturâ omnes Gentes sunt æquales inter se*. Quare ubi citra ipsarum consensum introducitur inæqualitas: naturale jus permittit reductionem æqualitatis. Verùm consensu Gentium factum est, ut ad id, quod Respublica debet sive *pro se*, sive *pro suis*, in casu denegatæ Justitiæ, Subditorum bona veluti oppignorata habeantur.

Ut autem hæ Represaliæ licitæ sint, plura requiruntur. i. ut constet de injuria, & quidem gravi. ii. ut admoneantur Delinquentes. iii. ut constet, eos culpabiliter nolle satisfacere. iv. debent præcipi a Principe habente potestatem indicendi bellum. v. ut non plus damni inferatur, quàm justæ satisfactioni debeatur. vi. ut non concedantur contra Personas ex jure Civili, vel ex legibus Ecclesiæ exemptas.

XII. Ad Supremos Principes spectat inire *Fœdera*, quæ sunt *Conventiones publicæ a Personis supremâ potestate præditis legitimè initæ, communis commodi gratiâ*. Fœderum materia esse debet *honestâ*, ac *licita*. Sit præ oculis illud Psalm. (1) *Adstiterunt Reges Terræ, & Principes convenerunt in unum, adversus Dominum, & adversus Christum ejus*. In hoc enim casu Fœdera essent vincula iniquitatis; ac tunc cessaret omnis obligatio servandi hujusmodi inhonestâ fœdera: Secus obligatio fœderum est maxima tam jure naturali, quàm positivo. Requiritur forma aliqua externa, nimirum *tabulæ*, vel aliud instrumentum juxta nationis ritum, quo nempe Conventionis animus manifestetur juridicè. Iniquum est ergo illud Machiavelli princi-

(1) 2. 2.

pium:

pium : Fœdera nonnisi privatâ utilitate metienda esse , ac tamdiu observanda , quamdiu manent proficua . Contrâ verò optimum est hoc Christianæ Politicæ axioma : Fœdera sanctè esse ineunda : ac sanctè inita sanctè custodienda .

De ineundis fœderibus a Christiano , vel Catholico Principe cum Infidelibus , vel Hæreticis dicendum est . i. Illicitum esse Catholico Principi inire fœdera cum Infidelibus , aliisque Fidei hostibus *in grave , ac directum Religionis nostræ præjudicium* : tenderent enim in rem apertè illicitam . ii. Contrâ verò licitum est , inire fœdera *meri Commercii* pro utilitate publica , absque detrimento Fidei . iii. Licitum pariter est eidem Catholico Principi , fœdera cum quibusque Infidelibus inire in bello *apertè justo* : secluso periculo Religionis Catholicæ . Etenim hujusmodi fœdera sunt media Jure naturæ licita , & tantùm ex accidenti possunt evadere illicita ratione periculi Religionis . Si ergo hoc periculum abfuerit , nihil obstat , quominus ea iniri possint .

Quemadmodum de Jure supremi Principatus est , movere bellum , ut diximus : pari ratione ad eundem spectat *Pacem* firmare . Est Pax : *Transactio publica de bello absolute tollendo , inter hostes legitime conclusa* . Idcirco Pax esse debet *publica , & absoluta quies ab armis , inter eos , qui hostes erant , conventa* . Pax in se spectata est de J. N. , imò , ut ostendimus in *1. Parte Principiorum* , est totius Juris naturæ finis ; in ea enim vera naturalis felicitas potest consistere . Pax vero , quæ e bello gignitur , habet plura attributa a *Jure Gentium* .

A Supremo Principe Pax firmatur , potest tamen ab eodem Principe alteri delegari Jus hoc ; & ideo dici solent *Legati* ad hoc specialiter electi . Quando Princeps est immaturæ ætatis , aut amens , aut furiosus , habet Jus impeditum , & spectat ad Tutores , & Regni Curatores firmare pacem : quam servare tenetur Princeps etiam in se reversus , & adultus . Pari modo si Rex sit captivus ; quamvis

in

in hoc casu communiter admittitur, posse eum pacis articulos statuere: cum sit medium pro ejus liberatione. *Legati* verò a Principe electi admitti debent, & non sunt laudendi sive ex J. N. ut vult Puffendorpius (1), sive ex J. G. ut alii. Sic Livius refert, fuisse rejectos Legatos Carthaginiensium a Romanis contra Jus Gentium (2): *Legatos ab Sociis, & pro Sociis venientes bonus Imperator vester in castra non admisit, Jus Gentium sustulit.*

Pacis articuli ii esse debent, qui congruant æquitati, & honestati, exprimi debent claris, propriisque verbis, ac idiomate utrique parti noto, debentque utrinque subscribi, ac subsignari. Primò autem firmari debet *amnistia*, seu oblitio perpetua illarum rerum, quæ, durante bello, patrata sunt, *hostilitatum, injuriarum &c.* Eò spectat i. restitutio *Personarum, rerum, jurium, bonorum &c.* durante bello occupatorum. ii. *Satisfactio, & compensatio* expensarum, ac damnorum tempore belli.

Tenentur de J. N. *servare pacta, & illa exequi*, tum Principes paciscentes, tum Ministri exequentes. De Pace extorta injusto medio illud dici ex J. N. videtur, nempe esse rescissioni obnoxiam. Ita opinatur Puffendorpius (3), impugnatque Grotium, contraria asserentem. Pro servanda Pace dari solent *Obsides*, in securitatem fidei publicæ traditi, ut, quamdiu fides non fuerit liberata, ibidem persistant. Aliquando dantur *Induciæ*, seu *Armistitium*, nempe *conventio, per quam, durante bello, hostiles actus ad certum tempus intermittuntur*. Obligant Induciæ ex J. G. quamvis in J. N. fundetur eorum obligatio saltem remota. *Deditio* est quid Paci proximum: esse potest *absoluta*, quando una pars impar est resistendo, & hostis Clementiæ, Fidei, Moderationi &c. se, suaque committit: *conditionata*, quando fit adjectis conditionibus, seu capitulationibus: in quo secundo

(1) L. 2. c. 3. §. 23.

(3) L. 8. c. 8. §. 1.

(2) Dec. 3. l. 1. c. 3.

do casu victoris Libertas restringitur etiam a pactis adjectis : in primo autem casu Jure suo utitur Victor. Suprà autem diximus aliquid circa *jus mortis*, aut *servitutis* in Victos se dedentes .

Hæc dixi de Supremi Principis juribus , quæ legi naturæ sunt consona : neque enim Principi Supremo Christiano adprobandum est , quod de Persarum Regibus refert Herodotus (1) : Aliquando , ait , a Cambyse Persarum Rege in consilium advocatos Regni sui Primores , *ut de Matrimonio* , quod inire cupiebat cum Sorore sua Cambyses , *deliberarent ; eosque respondisse : nullatenus id lege Principi licere ; Verumtamen aliam esse Regibus peculiarem legem , qua ipsis permetteretur , quidquid libuerit , agere .*

Denique hæc , quæ de Juris Naturæ Officiis diximus , satis utique sunt , ut hominum quisque , quid sibi erga *Deum* , erga *Seipsum* , erga *Proximum* conveniat , optimè dignoscat , Officia pariter hæc Juris naturæ æquè spectant ad Hominem , quæ homo est ; æquè ad Christianum , quæ homo Christianus est . Idcirco Juris nostri naturalis Officia , ratione utique cognoscenda , ad Fidei trutinam revocare conati sumus ; ut eo pacto essemus ab errore tutissimi . Quod utrum simus assequuti , prudenti Catholicorum judicio remittimus .

Restat hic ad totius tractationis complementum agere de Officiorum inter se collisione ; seu in concursu plurium , ac diversorum simul Officiorum , cuinam danda prælatio sit ? Expediit id aliqua ratione dignosci , ut in ordine servando non peccetur . Sed hæc ex iis , quæ dicta sunt , intelligi possunt ; & in fine sequentis dissertationis nonnullæ exhibentur veluti leges pro recta Officiorum dispositione .

(1) Lib. 3. c. 31.

DE JURE GENTIUM.

DISSERTATIO XIV.

Distinctio Juris Gentium. Negatur duplex Jus Gentium, & unicum asseritur ab aliquibus: & quænam eorum rationes? Satisfit illorum rationibus, & asseritur Jus Gentium liberum, præter aliud necessarium. A posteriori probatur hoc Jus Gentium liberum, ac voluntarium. Et discrimen exponitur inter Jus hoc Gentium, & Jus Naturæ. Iterum respondetur Negantium objectionibus. Regulæ tandem exponuntur in concursu, & collisione Officiorum.

I. **I**N Dissertatione XI. duplex statuimus Juris Gentium genus, alterum *necessarium*, quod nempe Juris naturalis Principia, & Officia claudat, applicata tamen hominibus, diversa Nationum corpora constituentibus: Principium idcirco cognoscitivum hujusmodi Juris Gentium necessarii idem omnino est, ac Principium cognoscitivum Juris ipsius naturalis. Alterum etiam posuimus Jus Gentium *voluntarium, liberum, arbitrarium* in quadam conventionum specie tacitâ fundatum. Hujus autem Juris Gentium Principium cognoscitivum statuimus esse: *Quod est aliquo modo conforme, aut disforme naturæ rationali; quodque aliquo modo conducit ad felicitatem, vel hanc turbat: est in Jure hoc Gentium vel præceptum, vel prohibitum.* De primo jam satis dedimus: demus nonnulla de hoc secundo.

II. Sunt, qui dari hoc secundum Jus Gentium negent modicus. Heineccius (1) ait: *Jus Gentium est ipsum Jus naturale integrarum Gentium negotiis, & causis applicatum.* Citatque Puffendorium (2).

Sa-

(1) Elem. J. G. tit. 2. l. 1. §. 47.

(2) L. 1. de J. N. & G. c. 3. §. 23.

Samuel de Cocceii (1) ait: *Ego omne Jus Gentium esse primævum, & ratione naturali constitutum existimo: adeoque Jus aliquod Gentium secundariam, quod scilicet omne humanum genus inter se ob mutuas necessitates constituerit, existere nego; & figmentum hoc ex errore Triboniani ortum esse, persuasum mihi habeo.* Tum subdit, Veteribus Jurisconsultis tale Jus cognitum non fuisse: sed nomine *Juris Gentium* intellexisse Jus, quod ex ratione naturali fluit, & quod ratio naturalis constituit, ut constat ex Gajo, Ulpiano, & aliis. In eandem descendit sententiam Barbeyracius, alique plures.

Profectò rationes, unde moventur ad explodendum hoc Jus Gentium *voluntarium*, ac *liberum*, hæc potissimum sunt
 1. Jus hoc Gentium ex ratione naturali fluit. Est ergo Jus ipsum naturale. II. Si aliud esset, diversum à Jure naturali, deberet supponere, Gentes humanas inter se convenisse, & in bonum totius universitatis jura quædam constituisse: at hujusmodi consensus universalis Gentium nec extitit unquam, nec probari unquam poterit. Imò probari potest oppositum: etenim consensus hic vel dici debet *expressus*, vel *tacitus*. De primo consensu fatentur omnes, non extitisse. Ubinam enim fingi potest, Gentes tale consilium commune indixisse, & de statuendo eo jure universali deliberasse? Superest ergo, ut de secundo, seu de consensu tacito Jus illud firmatum sit. Et hic rursus consensus tacitus commentitius est: non enim ratio ulla suadet, extitisse consensum illum tacitum. Quinimò ratio suadet oppositum.

Etenim hic tacitus consensus de statuendo aliquo Jure, obligante omne genus humanum, duo necessariò requirit
 1. ut actus quidam inter omnes Gentes longo tempore, & frequenter, & nullo actu contrario interveniente, obtinuerint. II. ut obtinuerint tanquam Jus, ut Juristæ etiam

(1) Dissert. præm. 4. c. 2. §. 31.

probant. Talis autem observantia universalis in omni humano genere concipi omnino non potest: quia plurimæ sunt Gentes nobis vix solo nomine cognitæ, cum quibus nec commercium, nec societas nobis est. Cum istis ergo nullum esse potest Jus Gentium; quia actus ejusmodi, ex quibus tacitus consensus, ad constituendum Jus Gentium, necessarius inferri debet, non interfuerunt. *Universale* ergo Jus Gentium dari nequit, *liberum*, *arbitrarium*, ut diximus.

Sed neque Jus Gentium *particulare*, inter moratiores Gentes nempe receptum, probari potest: Ponamus enim, plures hujusmodi actus intervenisse, & Gentes actus illos admisisse. Nondum tamen inde constat, eos admisisse *animo se obligandi*. At verò ut Jus strictè tale constituatur *arbitrarium*, ac *liberum*, adesse debuit *animus se obligandi*. Plures enim actus liberè fiunt, sed citra intentionem contrahendi ad actus illos obligationem. Jus ergo, quod quæritur, inde minimè deducitur. Restat ergo unum tantummodo dari Jus Gentium, nempe *necessarium*, quod idem omnino sit cum *Jure naturali*.

Aliquod præterea fundamentum, ad prædictum Jus Gentium *liberum* negandum, in eo statuunt, quòd pariter negent dari actus per se, atque ex intrinsicis suis honestos, vel inhonestos. Hujusmodi autem fundamentum non subsistere, ostendimus *in Priore Parte Principiorum*: quare de hoc capite nihil hic addam.

Meâ tamen sententiâ admitti debet Jus Gentium *liberum*, atque *arbitrarium* distinctum a Jure Gentium *necessario*; quod ex dictis, & ex mox dicendis non obscurè constabit.

Ut autem intimè Jus hoc Gentium *liberum* perspiciamus, ac simul probabile exhibeamus: illud, quod primo loco objiciunt Adversarii, parumper consideremus, ut inde pateat, Adversarios in æquivocatione vocis laborare.

Sanè

Sanè negari minimè potest, imò & apertè asserendum est: *Jus hoc Gentium utcumque liberum in ratione naturali fundari*. Procedit enim ab Animæ rationalis actibus, qui a ratione utique diriguntur. Negamus tamen, inde inferri, esse unum, idemque cum Jure naturali. Satis enim discriminis ostendit vel ipsum Principium utriusque cognoscitivum: Jus enim naturale ea præcipit, quæ *necessaria* sunt ad felicitatem, nempe ad finem naturæ rationalis: Jus verò hoc Gentium præcipit, quæ *conformia* sunt, & aliquo modo conducunt ad generis humani felicitatem. Hæc autem debent a ratione dirigi. Habetis ergo caput præcipuum æquivocationis in iis, qui Jus hoc Gentium negant. Rursus Jus Gentium prædictum in pluribus cum Jure naturali *consentit*, & in aliquibus *dissentit*. Consentit utique cum Jure Naturæ i. in eo, quòd utrumque sit aliquo modo commune tantùm hominibus. ii. quòd concurrat ratio naturalis ad constituendum hoc Jus: ratio siquidem indicare debet Naturæ humanæ utilitatem, & conformitatem ad prima universalìa naturæ principia. Idcirco S. Thomas (1) appellavit *Juris Gentium præcepta, conclusiones aliquo modo deductas ex principiis Juris naturalis*. Quia ex vi naturalis discursus statim apparet convenientia, & moralis utilitas talium præceptorum. *Dissentit autem a Jure naturæ* i. quia Jus hoc Gentium non præcipit aliquod tanquam de se necessarium ad honestatem: nec prohibet aliquod, quod per se, & intrinsecè malum est. ii. quia Jus Gentium non est adeo immutabile, ut est Jus naturale. iii. quia Jus Gentium simpliciter humanum est, ac positivum: unde non est *offensivum* malitiæ, sed *constitutum* ex parte hominum.

III. Expendamus modò, quæ contra hoc Jus Gentium opponunt ulteriùs Auctores suprà citati. Ut autem sine multis ambagibus rem statuamus: Jus hoc Gentium potuit

(1) q. 95. ar. 4.

tuit optimè consensu mutuo introduci , & usu deinde , & consuetudine firmari . Profectò quod contingere videmus in Civitate respectu Civium , in Regno respectu Subditorum , potuit sub Mundi ipsius initium inter ipsas Gentes contingere . Possunt Civitates (nec ullus est , qui hoc neget) etiam usu , & consuetudine singulos ad ea , quæ toti Civitati utilia sunt , obligare : & Regnum ad ea , quæ toti regno conveniunt , Subditos pari ratione obligare . Potest igitur idem dici de omnibus respectu singulorum . Sub initium ergo Mundi potuerunt Homines ad aliqua se obligare , exercendo actus aliquos erga alias Gentes , & vicissim similes ab illis exigendo : voluntatem hanc suam deinde nutibus , verbis , usu , & moribus , aliisque signis explicare potuerunt , quando nimirum propter hominum paucitatem , & amorem mutuum facilè erat , omnes , aut majorem hominum partem in ea voluntate sensim , ac paulatim convenire , & aliquo modo eam promulgare , & consuetudine ipsâ denuntiare . Quare usu potuit , hoc Jus paulatim introduci , & per successionem , & imitationem , mutuam populorum sine ullo speciali conventu , vel consensu omnium populorum uno tempore factò potuit obtinere . Est enim Jus hoc adeo propinquum naturæ , tamque Nationibus omnibus conveniens , earumque societati , & commercio expediens ; ut ferè naturaliter cum humano ipso genere fuerit propagatum ; ideo scriptum non est , quia a nullo Legislatore dictatum , sed usu convaluit .

Patet igitur , quàm futilis sit Auctorum negantium ratio , sive qua parte *consensum* omnium requirit , sive qua parte *animum se obligandi* postulat . Utrumque enim fieri potuit modo a nobis explicato . Verùm quidem est , plures actus a nobis fieri , quibus nulla sit intentio contrahendi obligationem . At ubi actus nonnulli utiles sùnt societati hominum , & ab aliquibus erga alios exercentur : videntur illi pari ratione ab istis eisdem velle recipere , ac veluti ex-

posce-

poscere, ut inde parem consequantur utilitatem. Quid igitur impedire potuit, ut homines in eum se obligandi animum devenirent pro iis exercendis actibus, quæ bono omnium Gentium cederent? Inductum ergo Jus Gentium usu, & consuetudine, quod bono communi ceptum est.

IV. Sed a posteriori constat, dari plura in Jure hoc Gentium, quæ Juri naturali a nobis exposito, & fusè probato minimè competunt; & ab hominum placito, & voluntate, rationabili quidem; dependent. Sanè AA. compluribus exemplis Jus illud evincunt. i. Consuetudo recipiendi Legatos sub lege immunitatis, & securitatis, absolute spectata, non est de Jure naturali; potuisset enim unaquæque Communitas hominum non habere apud se Legatos alterius, nec velle illos admittere: nunc tamen admittere Legatos est de J. G., & illos repudiare esset signum hostilis animi, & violaretur Jus Gentium, ut notavimus suprâ ex Livio. Quare, licèt positâ Legatorum admissione sub pacto tacito, contra Jus naturale sit, non servare illis immunitatem: quia est contra Justitiam, & debitam fidelitatem: tamen illâ suppositio, & pactum illud sub tali conditione Jure Gentium est introductum. ii. Patet in omni commercio, & contractu cum quolibet hominum genere: ubi tria debent distingui: unum est, particularis modus contrahendi, & spectat ad Jus civile; alterum est, observatio contractus jam consummati, & hoc est Juris naturalis; tertium est, libertas contrahendi cum hominibus non inimicis, vel non hostibus, & hoc est Juris Gentium. Quia Jus naturæ ad hoc non obligat, & una Respublica potuisset nolle commercium inire cum alia etiam non inimica: Jure Gentium sunt introducta commercia libera, violareturque Jus Gentium, si sine rationabili causa prohiberentur. iii. Cognoscitur in Jure belli, fundato nempe in potestate, quam una Respublica, vel Monarchia Suprema habet ad puniendam, vel vindicandam, aut reparandam injuriam ab

alte-

altera illatam. Ex vi enim solius rationis naturalis non erat necessarium, ut hæc potestas esset in Republica offensa: potuissent enim homines instituere modum alium vindictæ, vel committere illam potestatem alteri Principi, & quasi Arbitro cum potestate coactiva. Verum quia hic modus, qui nunc servatur, facilior est, magisque naturæ consentaneus, usu introductus est, & ita justus, ut non possit illi jure resisti. Huc reduci possunt fœdera pacis, & induciarum, non quatenus servanda sint, postquam sunt inita: hoc enim ad Jus naturæ spectat; sed quatenus admittenda sint, & non neganda, quando debito modo, & rationaliter petuntur. Siquidem hoc, licet sit rationi naturali valdè consentaneum; tamen usu ipso, & Jure Gentium videtur magis firmatum, & sub majore obligatione constitutum.

V. Deinde Jus hoc Gentium non præcipit aliquid, tanquam *ex se necessarium* ad honestatem: nec prohibet aliquid, quod *per se & intrinsecè* malum est vel absolutè, vel etiam hypotheticè sub aliquo statu, & conditione rerum: sed præcipit aliqua introducta arbitrio, & consensu Gentium sive in tota hominum communitate, sive in majori parte. Humanum enim genus, quamvis in varios Populos, & Regna divisum sit, semper habet aliquam unitatem quasi politicam, & moralem, indicatam satis a naturali præcepto mutui amoris, & misericordiæ, quod ad omnes extenditur etiam extraneos, & cujuscunque nationis. Quare licet unaquæque Civitas, Respublica, aut Regnum sit in se communitas perfecta, & membris constans suis: adhuc quælibet illarum est etiam aliquo modo hujus Universi membrum, prout ad humanum genus spectat. Siquidem communitates illæ non sunt adeo sibi sufficientes, ut mutuo aliorum auxilio non indigeant, & aliorum societate, saltem ad majorem captandam utilitatem; & aliquando etiam ad necessitatem. Constat ergo, debuisse Jus aliquod constitui, quo
illa-

illarum res dirigerentur, & rectè ordinarentur in eo communicationis, & societatis genere. Et quamvis magna ex parte id ratione naturali obtineatur, non tamen sufficienter, & immediatè quoad omnia: ideoque aliqua specialia jura potuerunt usu earumdem Gentium introduci. Unde optimè Justinianus (1) hæc habet: *Jus autem Gentium omni humano generi commune est: nam usu exigente, & humanis necessitatibus, Gentes humana jura sibi quædam constituerunt.*

Jus etiam hoc Gentium aliquando permittit aliqua in se mala, seu non punit; ex eo nimirum, quòd putet, permissionem illam esse ad eò necessariam juxta hominum fragilitatem, & negotiorum conditionem, ut in ea concedenda omnes ferè Nationes concordent. Hujusmodi esse videtur permissio Meretricum, & permissio alicujus levis deceptionis in contractibus, ut communiter explicant illud in *Jure Civili*, (quod per convenientiam, & similitudinem dicitur etiam *Jus Gentium*) (2) sic in textu: *naturaliter licere Contrahentibus, se circumvenire in pretio emptionis, & venditionis.* Ubi Glossa: *naturaliter* idest de *Jure Gentium*: & *licere* nempe juxta humanum judicium, nempe *impunè fieri*. Sapiens (3) optimè rem hanc exponit: *Malum est, malum est, dicit omnis Emptor, & cum recesserit, tunc gloriatur.* Verùm inhonesta res est in *Jure naturæ*, quam Tullius (4) inter plures hujusmodi questionum proponit: *Si vir bonus Alexandriam Rhodum magnum frumenti numerum advexerit in Rhodiorum inopia, & fame, summæque annonæ caritate: si idem sciat, complures Mercatores Alexandriam solvisse, navesque in cursu frumento onustas petentes Rhodum viderit, dicturus ne sit id Rhodiis,*

Tom. II.

C c c

an

- (1) In §. Jus autem Gentium.
 (2) L. in causa §. idem Pomponius ff de Minor. adjuncta Glossa:
 (3) In Proverbiis 20. 14.
 (4) L. 3. de Offic. c. 12.

an silentio suum quamplurimo venditurus ? In hac autem quæstione binos inducit Philosophos pro alterutra parte pugnantes, Diogenem nempe Babylonium, magnum, & gravem Stoicum, & Antipatrum discipulum ejus, hominem acutissimum. *Antipatro (videri) omnia patefacienda, ut nequid omnino, quod Venditor novit, Emptor ignoret: Diogeni, Venditorem, quatenus Jure Civili (nempe Gentium) constitutum sit, dicere vitia oportere: cetera sine insidiis agere; & quoniam vendat, velle quàm optimè vendere. Advexi, exposui, vendo meum non pluris quàm ceteri: fortasse etiam minoris, cum major est copia. Cui fit injuria?* Antipatri autem rationes, non Jus Gentium oppugnari, sed jus naturæ lædi tali pacto, probant. *Antipatri ratio ex altera parte. Quid ais? Tu cum hominibus consulere debeas, & servire humanæ societati, eaque lege natus sis, & ea habeas principia naturæ, quibus parere, & quæ sequi debeas, ut utilitas tua, communis utilitas sit: vicissimque communis utilitas, tua sit: celabis homines, quid iis adsit commoditatis, & copiarum?* Ex quibus patet, utrumque recta protulisse; alterum, quòd ex Jure Gentium id liceat: alterum, quòd ex Jure naturæ id ipsum non liceat. Jus autem Gentium appellat Diogenes *Jus Civile*, lato scilicet sumpto vocabulo: utrumque enim ab hominibus positum est in ordine ad gubernationem purè politicam (1). Et Grotius (2): *Jamvero Jus Gentium eodem modo asseritur; ac Jus civile non scriptum.*

VI. Verùm quid ultra obiiciunt Potestantes contra assertum Jus Gentium voluntarium? Conantur utique exempla omnia supra exposita Juris Gentium ad Jus Naturæ reducere. Sed quàm inani conatu! Heineccius (3) Jus Gentium a Jure naturali non distinguit, aitque (4): *quum præterea Jus naturæ eas complectatur leges, quæ universo generi*

(1) Ex Arist. 7. Ethic. c. 7.

(3) De J. N. & G. l. 1. §. 21. & 22.

(2) L. 1. c. 1. §. 14.

(4) §. 21.

neri humano per rectam rationem sunt promulgata, homines autem, vel singuli seorsum, vel prout in ceteras societates convaluerunt, considerari possint: Jus, quo singulorum actiones reguntur, naturale; quod, quid in societatibus, & inter eas justum, injustumque sit, præcipit, Jus Gentium vocamus: adeoque eadem Juris utriusque sunt præcepta, eadem leges: quinimmo Jus Gentium est ipsum Jus naturale Vitæ hominum sociali, negotiisque societatum, atque integrarum gentium applicatum. In his Heineccii propositionibus nil nisi verba mera elucent, ratio nulla. Ceterum dici potest, loqui eum de Jure illo Gentium necessario, quod in superiori dissertatione a nobis fuit expositum. Ac revera de eo loquutum existimarem Heineccium, nisi (1) hæc alia subderet: *Ex quo colligitur, Jus Naturæ a Jure Gentium nec principio cognoscendi, nec ipsius regulis, sed solo objecto differre; adeoque rationem eos fugere, qui nescio quod Jus Gentium a Jure Naturæ diversum sibi fingunt. Jus Gentium positivum, vel secundarium, quod Veteres commentum sunt, propriè huc non pertinet; cum nec a Deo constitutum, nec per rectam rationem promulgatum, nec universo generi humano commune, nec denique immutabile sit.*

Ex quibus Heineccii verbis colligi necesse erit, nulum ab eo admitti Jus Gentium, præter Jus Naturæ explicatum, prout antea dixerat (2). At idipsum est, quod ab aliis, & a nobis negatur. Dicimus proinde, Jus Gentium voluntarium differre a Jure naturæ & principio cognoscendi, & regulis ipsius. Sanè principium cognoscendi Juris naturæ fundatur in eo, quod necessarium sit ad felicitatem humani generis; principium verò cognoscendi Juris Gentium in eo, quod conforme sit felicitati humani generis. Regulae pariter ipsæ in utroque genere differunt maximoperè: cum illæ ad Jus naturæ spectantes intrinsecam, ac neces-

C c c 2

sariam 1

(1) §. 22.

(2) §. 21.

fariam actuum honestatem respiciant; vel a principiis ipsis Juris Naturæ immediatè, ac proximè & per evidentem illationem deducantur: illæ verò *Juris Gentium* non dirigant actus hujusmodi intrinsecè honestos, sed ipsæmet vel præcipiendo *honestos*, vel prohibendo *malos* constituent: & a principiis ipsis rationis naturalis non deducantur per evidentem, sed per probabilem quamdam illationem.

Quare quæ habent intrinsecam necessariam honestatem, vel inhonestatem, etiam si per plures illationes deducantur, ad Jus naturæ spectant. Rursus quæ habent intrinsecam honestatem, vel inhonestatem, sub aliqua etiam suppositione se tenente tantum ex parte materiæ præcepti, si illatio est evidens ex principiis per se notis: ad Jus naturæ pariter spectant. Exempla primi generis sunt de *amando Deo*, de *obsequendo Parentibus* &c. Exempla secundi generis sunt præcepta de *non furando*, de *servanda Justitia in contractibus*, quæ supponunt divisionem rerum, & commercia inter homines.

Alia verò, quæ protulimus exempla *Juris Gentium arbitrarii*, nec intrinsecam honestatem necessariam habent, nec per evidentem illationem a principiis Juris naturæ deducuntur, ut patet de *admissione Legatorum*, de *introductione commercii*, de *Juribus belli*, &c.

Fallitur itaque Heineccius, ubi nulla eos duci ratione asserit, qui Jus Gentium a Jure Naturæ diversum admittunt. De Jure autem *positivo*, vel *secundario*, quod ipsemet nihil hæsitando affirmat, *Veteres commentos fuisse*, si diversum aliud intelligat, ac a nobis expositum est: non cum ipso controversiam habere. Si hoc nostrum: ajo, audacter hoc asseri. Deinde nihil officit, quod non sit immediatè *a Deo constitutum*: dicimus enim, esse ab humana ratione constitutum. Multo autem audaciùs asseritur, quod non sit *per rectam rationem promulgatum*, (si sensus non sit de *immediata* promulgatione per rectam rationem, quæ

quæ Juri naturæ competit) quasi rectâ omni ratione destitutum sit ; nec sit universo generi humano constitutum (quod certè non opus est , ut omnes omnino homines in id consenserint , sed quòd omnes ferè gentes benè institutæ illo utantur) : Neque tandem quòd *non sit immutabile* ; hoc enim non obstat , cùm immutabilitas oriatur ex intrinseca necessaria honestate , vel inhonestate , quæ Juri Gentium prædicto non convenit , sed Juri Naturæ . Ceterùm utcunque admitti possit , ut Jus Gentium mutetur : adhuc mutari nequit I. quoad moralem potestatem , & usum hominum : II. in toto , ut nempe a toto humano genere auferantur præcepta omnia Juris Gentium ex hominum conventionem . Possunt autem ea , quæ sunt Juris Gentium , in una , vel altera parte diminui , quod Juri Naturæ non competit .

Expendimus hætenus , quæ Heineccius tum ex sua , tum ex aliorum Auctorum mente protulit contra Jus Gentium a Jure naturæ distinctum : expendamus modò , quid exemplis pro dicto Jure Gentium allatis respondeat ? Sanè ubi (1) loquitur de Jure mittendi *Legatos* , eorumque immunitate , ait , *Jus hoc spectare ad summos Imperantes* (quod quidem nemo negat) : & esse quid consequens ad *Jus pangendi federa* (neque hoc a nobis negatur) . Quid ultra ? Nihil omnino . Expectabam rationem aliquam , cur ex *Jure Natura* inferatur Jus illud mittendi , excipiendique Legatos . Spe deceptus sum . Est utique rationi valde conforme Jus prædictum in supremo Principe : nihilominus ex Jure naturæ non deducitur necessariò : poterat enim alio modo res constitui ; nec Heineccio , aliisque suis Auctoribus ingenio pollentibus innumeri alii modi deficerent ad finem illum obtinendum sine Legatorum missione , & admissione .

Ibidem (2) loquitur , asseritque , *ex Jure societatis inferri*

(1) Lib. Jur. Nat. & Gent. l. 2. §. 222.

(2) L. 1. §. 327.

ferri commercia. Equidem do libenter Heineccio, ex dicto Jure societatis (quodcunque illud sit) deduci aliquod genus commercii, seu communicationis rerum, operumque necessariorum, atque utilium cum aliis, qui iis indigeant: superest adhuc expendenda libertas illa contrahendi cum externis non inimicis: quæ sanè ab ipsomet (1) ad Jus Imperantium refertur: hæc enimvero non nisi ad Jus Gentium referri debet. Nam si sine rationabili causa prohiberetur, violaretur Jus Gentium.

Tandem *Jus belli* ex Heineccio (2) etiam ad Jura Imperantium refertur. Optimè, si de ipsamet injuriæ reparatione, jurisque proprii vindicatione intelligatur. Verùm Jus belli potestatem supponit in Republica, seu Potestate Suprema ad sui juris restorationem: erat autem necessarium ex Jure naturæ, ut hæc potestas ita exerceretur ab Republica? Nonne potuisset modus alius vindictæ excogitari ad finem illum obtinendum? Nonne potuisset potestas illa Principi alteri tanquam arbitro committi, cujus decisioni obligaretur parere utraque pars? Scio, modum præsentem, nempe *belli*, esse faciliorem, magisque naturæ conformem, & usu introductum ita, ut in Jus evaserit, cui non possit pari jure ex altera parte resisti: sed hoc utique evincit Jus illud Gentium liberum, rationi maximè conforme, sed non absolutè necessarium, quod a nobis admittitur.

VII. Superest hic postremo loco, (expensis jam Officiis, quæ Juris Naturæ, ac Gentium sunt); quasdam veluti leges proponere, utique servandas in concursu, & collisione Officiorum: de qua re in fine præcedentis dissertationis diximus. Profectò concurrere in aliquo casu possunt diversa Officia, & ita invicem collidi, ut nequeat uni satisfieri, quin aliud omnittatur. Dari ergo oportet quædam generalia seu monita, seu præcepta, ut Juri Naturæ obsecundetur.

Tria

(1) L. 2. §. 169. & §. 186.

(2) L. 2. §. 192.

Tria ex Aristotile in Topicis proponuntur, quæ optima sunt, & rebus ipsis aptantur:

I. Diuturniora quædam anteponenda sunt brevioribus: & quæ Prudentes anteponunt; aut quæ ii, qui in unoquoque genere scientes sunt; aut quæ Plures, aut etiam Omnes (1).

II. Ea, quæ per se sunt causæ malorum, postponantur iis, quæ casu, & fortuitò: ut Vitium fugiendum est potiùs, quàm Fortuna. Illud enim per se malorum causa est, hæc casu (2).

III. Quæ omnino bona sunt, iis anteponantur, quæ alicui bona sunt: ut valere, quàm secari magis optandum est: quoniam illud omnino bonum est; hoc alicui, qui seditione egeat. Innata, ac insita bona præferantur assumptis, & adventitiis, ut Justitia præferenda Viro Justo, quoniam illa insita est, & innata, istud adventitium. Quæ in re meliore insunt, & quæ justiore habent venerationem iis, quæ in deteriore; ut bona Dei, hominis bonis; & bona Animi, Corporis bonis sunt anteponenda. Quæ propria sunt melioris rei iis, quæ deterioris: ut Dei, quàm hominis (3).

In concursu Officiorum respectu Personarum. In omnibus semper præferendus est Deus. In concursu ergo amoris cujuslibet alterius objecti creati, super omnia amandus Deus. Prima siquidem hominis officia ex J. N. Deum Creatorem O. M. respicere debent: & Adam, si sine Uxore vixisset, & quamdiu fuit, officia erga Deum potiora habere debuit. Peccavit, ubi officium erga Deum officio erga Uxorem posthabuit.

In omnibus ergo officiis, ea quæ sunt Juris naturalis, ad Deum spectantia præferri debent aliis officiis ex recto ordine rationis. Sunt enim prima. Rursus in iisdem officiis erga Deum, ea, quæ majoris sunt obligationis, præferri debent iis, quæ minoris obligationis sunt.

Qua-

(1) L. 3. Topic. c. 1.

(2) Ibidem

(3) Id. l. 9. & seq.

Quare posthabenda sunt quælibet officia erga quemcunque Proximum, ne subeatur periculum transgrediendi officia erga Deum. Idcirco quamvis Omnes communiter laudent Periclem, quòd ab amico rogatus, ut juramenti religione falsum aliquod assereret, responderit celebri illo effato: *Amicus usque ad aras*; nihilominus Plutarchi opinione (1) non est Pericles commendandus ex eo, quin citius vituperandus: Etenim ut amico obtemperaret, non eò usque progredi debuerat: *usque ad Aras, usque ad Aras*. Subdit enim: *nimis propè accesserat*. Adeoque longius a perjurii periculo sistendum illi fuisset. Tullius pariter hoc ipsum expressit (2): *At neque contra Rempublicam, neque contra jusjurandum, ac fidem, amici causâ, vir bonus faciet: ne si Judex quidem erit de ipso amico. Ponit enim Personam amici, cum induit Judicis*.

Præcepta Juris Naturæ quælibet sunt præferenda præceptis Ecclesiæ positivis.

Pari ratione Præcepta divina positiva præferenda sunt in concursu præceptis Ecclesiæ positivis.

In concursu officiorum erga Se, & Proximum: in *Pari* causa præferenda sunt officia erga Se, officiis Proximi. Quia amor erga se debet esse mensura amoris erga Proximum: prior ergo naturâ esse debet amor sui, quam Proximi. Ergo multo magis, ubi causa propria *potior* est illâ Proximi.

In concursu alicujus boni *ordinis superioris* Proximi cum bonis *ordinis inferioris* Sui ipsius, simpliciter loquendo, præferenda sunt illa Proximi: utpote superioris ordinis. Sic ubi agitur de Vita Proximi, aut de servanda Proximi integritate corporis, cum bonis externis propriis, debent hæc illis postponi. Similiter ubi agitur de bono spiritali Proximi respectu corporalis proprii. Dixi, *simpliciter loquendo*, nempe cum præcisione, a particularibus circumstantiis.

-Qua-

(1) Lib. de vitioso pudore

(2) L. 3. Offic. 1. 10.

Quare in extrema necessitate corporali Proximi tenetur quilibet bonis externis fortunarum etiam quibuscumque sive superfluis, sive necessariis ad statum suum illi subvenire. Et in necessitate extrema spiritali Proximi tenetur illi subvenire etiam cum evidenti mortis periculo. Hic enim ordo est de Præcepto Juris naturalis; Jus enim naturæ dicat, minùs hæc esse diligenda præ illis. Dixi, *in extrema necessitate*: extra hunc casum non est eadem obligatio. In *gravi* autem *necessitate* obligatur cum *aliquo* damno temporali proprio.

In concursu particularis boni cum bono communi etiam ejusdem ordinis: præferendum est bonum commune bono particulari sui ipsius. Rectus ordo postulat, ut pars aliqua corporis pereat pro servando toto corpore. Quilibet autem homo pars est boni communis.

In extrema necessitate vitæ propriæ potest in aliquo casu præferri vita Proximi. Sic laudabile est, præferri vitam Patris a Filio, & vitam Domini a Servo, cum amissione propriæ. Quamvis enim nemini liceat occidere seipsum, tamen non tenetur semper omni medio, & ratione servare propriam, etiam in concursu alterius sibi carissimi. Seneca (1) narrat Servi dignum laude facinus: *Bello civili proscriptum Dominum Servus abscondit: & cum annulos ejus sibi aptasset, ac vestem induisset, Speculatoribus occurrit: nihil se deprecari, quominus imperata peragerent, dixit: & deinde cervicem porrexit.* Deinde Juvenes siculos (2) eximiè commendat, qui, *cum Ætna majore vi peragitata in Urbes, in Agros, in magnam Insula partem effudisset incendium, vexerunt Parentes suos. Dissedisse creditum est ignes, & utrimque flammâ recedente, limitem adaperitum, per quem transcurrerent Juvenes dignissimi, qui magna tutò auderent.*

In concursu Officiorum erga diversas Personas servandus est etiam Ordo aliquis rectus.

Tom. II.

. D d d

Qua-

(1) L. 3. de Benef. c. 25.

(2) Capite 37.

Quare in pari causa ii præferendi sunt, qui nobis conjuncti sunt, respectu extraneorum.

Inter sanguine Conjunctos idem ordo servandus. Inter omnes consanguineos *Pater*: Inter Patrem & Matrem præferendus est *Pater*, cui potior honos debetur. Inter Patrem, & Filium præferendus est etiam *Pater*: gravior est enim impietas, *Patrem* interficere, quàm *Filium*; ergo ex opposita ratione valet regula tradita. Tandem præferendus est *Pater* Conjugi juxta D. Thomam. Imò *Pater* utcumque improbus præferendus est in concursu cujuslibet viri etiam sanctissimi tum quoad necessitatem temporalem, tum quoad spiritualem. Ratio in omnibus est, quia post Deum homo quilibet *Patri* omnia debet, cui debet vitam.

Inter amicos, & inimicos, *amici* sunt præferendi. Amicitia enim conjunctionem parit animorum maximam. Inter ipsos amicos ille, qui fidelior, & antiquior. In concursu Benefactoris, & alterius Beneficiati nostri, seu cui beneficia contulimus, præferendus est *Benefactor* noster ex J. N.

In variis Societatum generibus præferendi sunt, qui eidem addicti sunt societati. Sic in diversis regnis, qui ejusdem sunt regni. In diversis ejusdem regni civitatibus, qui ejusdem sunt Cives. Inter Militares Milites præferantur, & ejusdem cohortis Milites aliis Militibus, & sic de ceteris. Etenim respectu harum societatum consurgit quædam obligatio ad particularia Officia, ut patet.

CUM JURE NATURALI CONNEXIONE

DISSERTATIO XV.

Quid Jus Civile commune habeat cum Jure naturali? Juris Civilis divisio in Personas, Res, Actiones. De Personis, ubi de Servis. De Patria Potestate. De Nuptiis. De Tutoribus. De rerum Dominio. De Testamentis. De Obligationibus ex contractu, vel quasi contractu. De Obligationibus ex delicto, vel quasi delicto. De Actionibus. De Exceptionibus, & Judicis officio.

I. **U**T, quam promissimus fidem, solvamus; ultimam hanc posterioris tomi Dissertationem *Juris Civilis* Legibus, inter homines recepti, tribuamus, in iisque, quid ex *Jure naturæ*, quid ex *Jure Gentium* desumptum sit, mature, diligenterque expendamus: ut juxta Leibnitzii monitum (1) *usus juris naturæ apud Juris consultos prouior futurus sit*. Ex uno autem Institutionum libro Leges desumam, qui sanè juxta Eruditorum mentem epitomen continet *Juris totius Civilis*. *Omnia, quæ in Institutionibus continentur, ex ipsis Digestorum libris, aut Codicis desumpta sunt* (2). Leges verò *Civiles*, unde *Jus Civile*, quamvis *naturalis Justitiæ* magna ex parte præcepta sint, tamen non omnia a *Juris naturalis* principiis deducuntur. Quare *Ulpianus* (3) optimè loquitur: *Jus Civile neque in totum a naturali, vel Gentium recedit; neque per omnia ei seruit. Itaque cum aliquid addimus, vel detrahimus Juri communi, Jus proprium, idest Civile efficitur*. Profectò *naturalem rationem* investigare debuerunt *Juris Civilis* Au-

D d d 2

ctores

(1) In epist. cens. lib. de Off. hom. & Civ.

(2) Domat. in oper. arg.

(3) Lib. 6. ff. de Just. & Jur.

Stores in legibus sancendis, sed ad particulares Civium, præsertim Romanorum mores illam accommodârunt. Idcirco Cl. V. Gravina (1) definiit Jus Civile sic: *Naturalis ad Romanæ Reipublicæ institutionem relata, romanisque moribus, & litteris explicata ratio*. Quatuor ergo percurramus Institutionum libros; in iisque Juris Civilis generale, & proprium Principium cognoscitivum advertere liceat, quod in *conformitate cum natura rationali, & in convenientia ad humanam felicitatem reponi potest*.

LIB. I. INSTIT. Tit. I.

II. Tria Juris Civilis Præcepta: *Honestè vivere, alterum non lædere, suam unicuique tribuere*. Juris naturæ hæc Præcepta sunt. Quamvis enim non omnia eundem hominis statum supponant: nihilominus, posito eo statu, Juris naturæ sunt, ut vidimus. Primum illud ad particularem *Ethices* disciplinam; alterum ad *Oeconomices*, tertium ad *Politices* spectare propriè asserunt Nonnulli. Verùm ad Jus naturæ pertinere omnia, ostendimus locis suis.

Tit. II.

Notiones traduntur triplicis Juris, *Naturalis, Civilis Gentium*. Nihil hic novi.

Tit. III.

III. Personarum divisio in *Liberos, & Servos*, non ex Jure naturæ, sed ex utroque Jure *Naturæ, & Gentium* defumi debet. *Sunt enim omnes homines naturæ æquales*: ait Tullius (2). *Servitus* idcirco, quæ naturali hominum libertati obversatur, meritò a Justiniano *contra Naturam* dicitur. Etsi autem omnes homines sint *naturæ æquales*, non tamen omnibus Natura eandem ingenii vim, aut corporis dedit: unde naturaliter Sapientibus Subiiciuntur Insipientes, & Validioribus Debiles. Illi idcirco a Gravina dicuntur *Liberi; isti naturæ Servi*. An reipsa *Jure belli* justæ servitus inducatur; non est in confesso apud omnes. Equidem in oppositam descendo sententiam, ut ostendi loco suo; veram-

(1) De ortu & Progressu Jur. Civ. sub init. (2) Lib. 1. de Leg.

veramque puto opinionem Henrici Cocceii (1) agentis: *Communem usum Gentium, ut capti interficiantur, esse abusum*. Posito autem eo abusu, *in Servis*, (qui veluti servantur citius, quam occiduntur) agitur juxta naturam. Ipsi que ratione naturali subjiuntur alieno dominio. Gentes autem servitutem constituerunt fortassè advertentes ad communem tranquillitatem, ne iterum ad arma advolarent.

De Natis e *Serva*, (positâ servitute justâ Parentum) rationi conforme est, eos alieno subjici imperio. Quod enim e re mea nascitur, naturaliter meum est. *Filii servæ Matris*, utpote viscerum matris vera portio, sequuntur ventrem. Grotius (2) ex eo, quòd Mater nihil, unde Filium alat, possidet, deducit Filium quoque esse servum, nempe a Domino daute alimenta servatum.

Servorum operâ ex naturali ratione utimur. Ratio enim naturalis dicat, debere præstari justam iis operam, qui nos in vita servârunt. Optimè rem hanc declarat Tullius (3). Et Josue, qui Gabaonitas poterat occidere: *liberavit eos de manu Filiorum Israel, ut non occiderentur: decrevitque in illo die, eos esse in ministerio cuncti populi, & altaris Domini, cædentes ligna, & aquas comportantes* (4). Expendit Seneca (5), *an beneficium dare servus Domino possit?* Ratio dubitandi ex illa distinctione oritur, nempe *beneficiorum, officiorum, ministeriorum*. *Beneficium* (ait) *esse, quod alienus det: alienus est, qui potuit sine reprehensione cessare. Officium esse Filii, Uxoris, & earum Personarum, quas necessitudo suscitât, & ferre opem jubet. Ministerium esse Servi, quem conditio sua eo loco posuit, ut nihil eorum, quæ præstat, imputet Superiori*. Ceterùm affirmat, probatque, Servos posse beneficia Dominis conferre. Qui tandem in Servos venundari passi sunt, in obligatio-

(1) In Comm.ad Grot. l. 3. c. 7.

(2) L. 3. c. 14. §. 8. & alibi.

(3) L. 1. Offic.

(4) Jos. 9. 26. 27.

(5) De Benef. l. 3. c. 18.

gatione perpetua præstandi operas se constituerunt : tale autem pactum justitiæ naturali non repugnare , ostendit Samuel Cocceii (1) .

Tit. IV.

Ingenuos libertate suâ gaudere , rationi consentaneum est : adeoque ex Jure naturæ .

Tit. V.

Libertini , qui ex justa servitute manumissi sunt , Domino olim suo gratum animum ex J. N. habere tenentur . Manumissionis enim *finis* est , ut Servi spe libertatis fideliter Domino serviant , juxta illud Terentii (2) : *Feci Servo , ut esses libertus mihi , propterea quod servibas liberaliter .* *Causa* autem esse potest etiam naturalis benignitas , quemadmodum apud Hebræos (3) , exacto determinato tempore , Servi manumitti jubebantur . Et a Plutarcho reprehenditur Cato major (4) , quod *Servos senectute confectos vendidisset* , immemor communis naturæ , ut notat Grotius (5) . Domini autem arbitrio stat , Servum vel purè , vel sub certa lege manumittere . Ex Jure in Servum acquisito hoc descendit .

Tit. VI.

His tamen non obstantibus , lege cautum est , in aliquibus circumstantiis non licere Servum manumittere : urgente videlicet lege naturali potiore .

Tit. VII.

Quod vivens Dominus agere poterat , potest quoque moriens testamento relinquere faciendum , de Servi manumissione . Pendet ex facultate testandi , quam rationi naturali conformem Jus Gentium statuit .

Tit. VIII.

Jus quodlibet in Servos non se extendit ad sæviendum contra illos . Si jus belli potestatem dabat occidendi hominem , hostem armatum : jus naturæ vetat sæviri in hominem inermem , jam servatum . Seneca (6) ait : *servis imperare*

mo-

(1) In-Comm. ad Grot. l. 3. c. 7. §. 1.

(2) Andr. 1. 1.

(3) Deut. 15. 13.

(4) In vita .

(5) L. 3. c. 14. §. 6.

(6) L. 1. de Clem. c. 18.

moderatè, laus est: & in Mancipio cogitandum est, non quantum illud impunè pati possit, sed quantum tibi permittat æqui bonique natura? Quæ parcere etiam captivis, & pretio paratis, jubet. Et deinde: Cùm in Servum omnia liceant: est aliquid, quod in hominem licere, commune jus animantium vetet: quia ejusdem naturæ est, cujus tu. Quibus hominis Ethnici sententiis erubescere oportet Christianum Thomasiū (1), qui tribuit Domino potestatem puniendi indefinitam. Et Heineccium (2) aientem: De Jure vitæ, & necis Domino in hos Servos (mercenarios) competere posse, nemo negaverit. Tit. IX.

IV. Est Patria potestas, quam esse de J. N. communiter existimant. Causam patriæ potestatis esse *Generationem*, putat Grotius. Puffendorfius, adnotante Mascovio (3), opinatur, *educationem esse causam proximam potestatis paternæ, & mutuum inter Parentes, ac Liberos officiorum. Neque tamen ideo sequestranda est Generatio, quæ, si res ex vero aestimetur, Educationi commode adjungi potest. Est enim onus educandi sequela generationis, & utrumque finem ante oculos habere debent, qui nuptias contrahunt. Utramque hanc, nempe generationem, atque educationem usque ad pubertatem vult esse causam patriæ potestatis Henricus de Cocceii (4).*

Patria Potestas diversimodè exercenda est in Liberos pro diverso triplici tempore juxta Grotium, ut diximus loco suo. Tempore *Infantiæ* potior esse debet *Matris* potestas in Liberos ex ipsa natura, quæ Matribus ubera aptavit, Matresque ad Infantes nutriendos effecit molliores. Quare nullo pacto sunt laudandæ Matres, quæ nobilitatis obtentu Pueros suos Mulieribus aliquando agrestibus com-

mit-

- (1) In Fundam. Jur. nat.
- (2) In Elem. J. N. l. 2. c. 4. §. 84.
- (3) In disp. de tutel. Illustr. sect. 1.
- (4) L. 2. §. 61. in Schol.

mittunt lactandos non sine Proles periculo, ac detrimento. Videatur hac in re Heineccius (1). Secundo tempore cum Filius sit pars familiae, etsi naturaliter se regere valeat, tamen ad eum spectabit, ad quem Familia spectat, nempe ad Patrem, qui longiore experientia Filium prudentius reget. Tertio tempore, quo Patriae inservit in aliqua constitutus dignitate, naturaliter Parentibus subiici debet; cum Natura dicat, debere gratias rependi, & obsequia Parentibus praestari. Henricus de Coccei duo vult esse distinguenda tempora, nempe *Impuberum*, & *Puberum*. Pubertas idcirco, seu facultas procreandi, est ipsi terminus naturalis, quo educatio desinit: & potestas patria cessat cum pubertate, cum qua incipit facultas administrandi. Hoc esse ex J. N. Ceteras differentias esse juris positivi.

Parentibus constat deberi obsequium, & venerationem perpetuam, quae nec pubertate finitur: causa enim, nempe generatio, & quae inde fluunt beneficia, perpetua est. Sanè Seneca (2) quaerit: *An aliquando Liberi majora beneficia dare Parentibus suis possint, quam acceperint?* Pro parte negante stat valida ratio nempe: *Quidquid est, quod dat Patri Filius, utique minus est: quia hanc ipsum dandi facultatem Patri debet. Ita nunquam beneficio ejus vincitur, cujus beneficium est ipsum, quod vincitur.* Profert deinde plures, validioresque rationes, quibus evincit, posse majora beneficia a Filio conferri Patri, quam a Patre acceperit. Sed (3) inde colligit: *Hac non destruunt Parentum venerationem, nec deteriores illis Liberos faciunt, imò etiam meliores; natura enim gloriosa est virtus, & antequam priores cupit. Alacrior erit pietas, si ad reddenda beneficia cum vincendi spe venerit.* Tum subdit pulcherrimam ad Filios parenesin, quam legere cuique apud Auctorem licet.

Patria

(1) L. 2. §. 61. in Schol.

(2) L. 3. de Benef. c. 29.

(3) Cap. 36.

Patria Potestas in eos tantum Liberos datur, quos ex justis nuptiis Patres acceperint. Ratio ex Puffendorffio (1) est, quia citra pactum aliquod duraturum, (quo justæ nuptiæ donantur) si Generantes mixti fuerunt; proles Matris est: in eo enim statu Pater cognosci non potest eâ certitudine, qua res facti probari solet: siquidem alios potuit Mares Mater admittere.

Tit. X.

V. Nuptias contrahere est de Jure naturæ: Patet ex diversitate sexûs, & ex constitutione familiarum: ut ostendimus loco suo. De *Monogamia* egimus etiam tum in parte prima, tum in secunda, ibique Protestantium errores deteximus, & confutavimus. Hic, de *Polygamia* quid scripserit Christianus Thomasius (2), ad æternam hominis infamiam exscribam: *Si Princeps sit polygamus, nondum ullas probavit justis rationibus, hanc polygamiam tantum esse crimen, ut gehennam mereatur, & quod legi universali divinæ repugnet.* Consulantur ea, quæ locis citatis dedimus; & Thomasi impudentia detegetur.

Utrum naturæ repugnet, *Filios Parentibus, Consanguineos Consanguineis* copulari? Expendimus locis suis, pluresque protulimus rationes. Naturalis est pudor, & a natura indita reverentia, unde ab hujusmodi concubitu homines retrahantur. Iis carent bruta, & idcirco

Coëunt animalia nullo

Cetera delectu, nec habetur turpe Juvenca

Ferre Patrem tergo. (3).

Confunderentur necessitudinum vocabula, officiorumque genera, ut ibi observavimus. Circa Consanguineos in exordio mundi commixtio facta est, neque putandum est scelere propagatum genus humanum. Seldeni opinio est,

Tom. II.

E e e

spe.

(1) L. 6. c. 2. §. 5.

(3) Ov. Met.

(2) In Jurispr. div. l. 3. c. 3.

spectare ad Jus naturæ; sed necessarium illud fuisse in primordiis Mundi. Verùm consulantur ea, quæ I. c. dedimus.

Tit. XI.

Qui velint nuptias omnes respuere, & vitam Sapientiae dicare, ac Reipublicæ vacare impensius, poterunt, ne vitam in solitudine agant, *adoptione* sibi aliquem, vel aliquos adsciscere in Filios. Adoptionis modus Naturæ conformis est, & locum electioni dat, quem generatio non præstat.

Tit. XII.

Morte Patris potestas patria dissolvitur, & quidem jure naturæ, si mors est naturalis. Si verò Pater *exilio propter crimina* mulctetur, subtrahitur Filius a patria potestate; & rationabiliter quidem: indignus est enim Pater, qui cupiditatibus suis servus factus est, in Filium ingenuum potestatem exercere. Patre verò ab hostibus capto, potestas patria suspenditur: est enim spes redeundi. Per dignitatem etiam summam a Filiis acquisitam, Filii Reipublicæ mancipantur: sed nulla Patri irrogatur injuria: qui enim Rempublicam tuentur, etiam Patrem tuentur. Tandem potestas patria non tollitur per alienam adoptionem. Jus verò potestatis patris transit in Parentem adoptivum.

Tit. XIII.

VI. *Tutelam* esse patriæ potestatis productionem, ait Gravina (1). Sic Pater committit amici sui n̄dei Filium suum, in eumque potestatem suam transfundit: Hoc autem fit, ubi testamento designatur impuberi Filio Tutor. Quod sanè videtur rationi maximè consonum, & amoris Patris consentaneum.

Tit. XIV.

Hoc ipso patet, integrum esse Patri testatori, quem malit, Filio Tutorem eligere. Ratio verò naturalis excludit a tutela furiosum, aut minorem annis XXV. aut alienum servum: nemo enim horum habere perfectam, pro ut oportet, filii impuberis curam posse, existimatur. Qua-

te.

(1) De lege XII. tabul.

re, ut Patriæ dispositioni detur locus, tutela suspenditur, donec ille compos mentis fuerit, alius ætatem legitimam compleverit, ac tertius fuerit libertate donatus.

Tit. XV.

Poterit tamen dari casus, neminem inveniri a Patre relictum Tutorem filio impuberi: Lex rationabiliter disponit de Tutore designando. Primo loco eligit *Agnatos*: qui sunt conjuncti per virilem sexum, quasi a Patre cognati: ut Frater ex eodem Patre, Fratris Filius, Neposve ex eo, Patruus, & Patruus Filius, Neposve &c. Per sexus feminini conjunctionem dicuntur *Cognati*, non *Agnati*; ut Amitæ filius &c. sequuntur enim Matris familiam. Eâ videtur Lex niti ratione, quòd Patri sint magis propinqui naturaliter. Si verò bonis *Agnati* moribus non sint præditi, aut successioni Pupilli inhierint: Solonis lex *Agnatos* hujusmodi a tutela Pupilli removit.

Tit. XVI.

Homo quidem nullam in sua natura pati potest physicam mutationem: potest tamen pati mutationem moralem, quâ membrum est Societatis civilis. Quotiescunque ergo homo mutationem hanc subit, ratio naturalis poscit, ut ejus quoque potestas, ac libertas modò ampliatur, modò minuat. Hæc aptanda sunt Capitis diminutioni sive maximæ, sive mediæ, sive minimæ.

Tit. XVII.

Tutela autem Libertorum ratione naturali ad Patronos spectat. Patroni enim locum alterius Patris obtinent. Ratio autem naturalis in lege producit, quia plerumque ubi successionis est emolumentum, ibi & tutela onus esse debet: Si enim Libertini intestati decedunt, eorum hæreditas ad Patronos pertinet.

Tit. XVIII.

Tutela emancipati Filii impuberis Parenti, qui emancipaverit, competit. Nomine autem Parentis intelligitur etiam Mater. Quod quidem ratione innitur naturali.

Tit. XIX.

Tutelam etiam *fiduciariam* Natura ipsa dicitur: nempe tutelam, quam suscipit Frater de Fratre impubere. Fiduciaria exinde dicitur, quod Fratris amor maximam parit fiduciam, in lege pro Fratris tuitione. *Tit. XX.*

Pro quocunque casu si Tutor non sit ad alicujus tutelam gerendam aliunde designatus, lege aliquis datur. Rationi enim congruit naturali, ut qui perfecto rationis usu non polleat; alterius tutelam regatur. *Tit. XXI.*

Tutoris autem Potestas, utpote patriæ potestatis prorogatio, ex Jure naturali descendit. Idcirco Pupilli Tutori obligantur in compluribus rebus non minus ac Patri.

Tit. XXII.

Tutoris Potestas multiplici ex capite cessat. i. Morte alterutrius. ii. Ubi puberes esse cæperint. Pubertas autem in Maribus ad annos XIV. in Feminis ad annos XII. oriri existimatur. iii. Captivitate. iv. Suspensione Tutoris. In his omnibus ratio naturalis elucet: alicubi enim impotentia Tutoris, alibi inutilitas, vel pravi mores obstare videntur.

Tit. XXIII.

Cura Reipublicæ providere debet, ut Minoribus vigin-tiquinque annis dentur Curatores ad negotia peragenda: siquidem *Minores* negotia Sua tueri, prout oportet, nequeunt. Curatores etiam assignantur *Furiosis*, ac *Prodigis*, cujuscunque sint ætatis. Jus enim, quod residet in Principe respectu suorum Subditorum, postulat ut, qui rei propriæ familiari curam non habet, illi Curator ex amore erga Rempublicam destinetur. *Tit. XXIV.*

Ne Tutori, aut Curatori libertas relinquatur, bona Pupillorum dissipandi; ratio utique naturalis dicitur, ut satisfident: nisi aliunde de eorum fide constet.

Tit. XXV.

Dari autem possunt rationabiles causæ, quibus excusentur aliqui ab aliena tutela, & curatione. Sic quique sibi

sibi prius, deinde suis Liberis, tum Patriæ, tandem alienis Pupillis debet consulere. Hic enim est rectus ordo in collisione Officiorum. Ex his ergo capitibus excusari poterit. Pari modo excusandus videtur, si cum Patre inimicitiam susceperit, ne odium in Pupillum excitetur; & rursus qui litem habet cum Pupillo. Sunt hæc, aliaque capita satis rationi consona, ut a tutela liberetur.

Tit. XXVI.

Tandem Juri naturæ congruit, ut suspecti Tutores, vel Curatores in Judicio postulentur; & siquidem contra eos probatur, sint removendi.

L I B. I I.

Tit. I.

VII. Hic de rerum agitur *dominio*, quod rerum divisionem supponit. Hac de re fusè loquuti sumus in hac II. parte. Plura itaque, & particularia resolvuntur in hoc titulo spectantia ad rerum divisionem, quæ secundum jus naturæ habita est. Ratio autem naturalis, quæ esse potuit in prima divisione, valet plurimum in legibus hujus tituli confirmandis; & in modis acquirendi dominia. Profecto sine divisione rerum dari possent lites Plurium ad rem eandem concurrentium, ut in Scriptura factum legimus inter Pastores Abrahami, & Loth; & debiliores a potentioribus repellerentur: essetque jus in potentiore, quod iniquum jus est omnino, ut diximus.

Tit. II.

Inter res incorporales accensentur Obligationes, ex quibus Jus oritur alteri ex placito, & voluntate aliena. Obligationes autem omnes sunt de Jure naturæ, ut vidimus.

Tit. III.

Prædiorum Servitutes, quamvis contra naturalem libertatem esse videntur, (sunt enim, ut vicinus vicini onera sustineat) nihilominus juri naturæ favent, quod bonum commune respicit. Etenim sine illis non posset haberi utilitas, & jucunditas cohabitandi, quæ juris naturalis est: Quippe

unus-

unusquisque vicinum ab omni rei suæ usu arcere contendere. Vid. Puffendorfius (1). *Tit. IV.*

Ususfructus, qui ex rerum divisione descendit; & alteri a Domino datur, reservatâ sibi proprietate, est pariter juxta Naturæ jus, spectantis ad commune bonum. Usufructuarius pari de causa & cautionem præstat pro conservanda rei integra substantia, utendo & fruendo re ipsa: & nonnulla alia onera in bonum Domini proprietarii subit.

Tit. V.

Merus rei usus, qui minor est usufructu; etiam ex dictâ rerum divisione, ac primævo dominio oritur; estque in eo bonum utique tum domino rei; tum illi, cui merus usus conceditur. Idem dicas de habitatione alteri concessâ cum aliquo in bonum Domini commodo.

Tit. VI.

Usucapio, prudenti aliquo tempore elapso, juri naturali boni communis, publicæque tranquillitatis innititur. Loco suo ostendimus, quid circa Usucapionem, vel Præscriptionem sentiamus. Hic addimus præterea, quod vitare lites est de Jure naturali; & non leve incommodum Reipublicæ est, sequens sæculum alterius superioris sæculi causâ turbari. Res *Sacræ*, ac *Religiosæ* cum in nostro dominio esse nequeunt, usucapionem non patiuntur.

Tit. VII.

Donationes fiunt etiam ex Jure naturali ad conciliandum sibi alterius amorem, vel ex grati animi memoria: utrumque ad vitam jucundè transigendam, & laudabiliter, quod juris est naturæ. Idem accidere potest in donationibus causâ mortis, quæ ad compensanda beneficia, vel ad conservandam donantis memoriam fieri possunt. Ubi jus etiam naturæ elucet. Verùm commune bonum, quod ex J. N. intendi debet, præcipit, donationes in aliqua summa coram Judice insinuari, tum ne nimîâ liberalitate spolientur homi-

(1) L. 4. c. 8. §. 5.

homines, tum ut Judicis ministerio fraudibus occurratur, tum ut dignosci possit, an donatio illa expediat, ac tandem ut donantis voluntas possit legitimo innotescere documento. Omnia juxta naturæ Jus hypotheticum.

Tit. VIII.

Quòd aliqua alienari possint, aliqua verò non possint pro diversa rerum conditione, est pariter secundùm Jus naturæ, quod bonum commune spectat, & Proximo providet, ne alterius factò injuriam patiatur. Sic dotale prædium nequit alienari a Marito: ne videlicet Uxor, mortuo primo Marito, indotata remaneat, & viduitatis conditionem etiam invita perpetuò servet. Pignora verò alienari possunt: debitoris voluntas tacita esse videtur, quoties promissam pecuniã intra statutum tempus non solverit. Hæc est Puffendorffii ratio (1). Pupillus prohibetur alienare, tum quia perfecto rationis usu non pollet, tum etiam quia, ut notat Grotius (2), nondum habet expeditam facultatem utendi, & fruendi rebus suis: *dum sub Tutoribus est, nihil differt a Servo, cum sit Dominus omnium*, ut ait Apostolus, nempe quòd usum expeditum dominii spectat.

Tit. IX.

Dominii Acquisitio per Servos, & Filios facta Dominis, ac Parentibus, est etiam juxta naturæ Jus. Si enim in alterius dominio, & jure sunt Personæ, in ejus pariter dominio esse debet, quidquid per illos acquiritur. Naturali autem æquitate factum est, ut siquid Filius acquirat, non intuitu Patris, Filio reservetur proprietas, Parenti autem ususfructus concedatur, qui nimirum alendi curam habet. *Castrense* verò *peculium* Filiis tribuitur, ut spe lucri faciliùs ad virtutem excitentur, quod sanè juri naturæ optimè congruit.

Tit. X.

VIII. Conficere testamentum est de Jure naturali,
& Gen-

(1) L. 5. c. 10. §. 23.

(2) L. 2. c. 3. §. 6.

& Gentium: siquidem uno, eodemque jure, ait Grotius (1): unusquisque est rei Dominus, & testari potest, adeoque jure Naturæ, ac Gentium: Etenim disponere potest de re quisque sua per varios contractus, dum vivit. Poterit ergo disponere per ultimam voluntatem, seu per testamentum: dum enim disponit, verè Dominus est. Nihil autem refert, quòd executio fiat tempore, quo non est Dominus: plura enim ita disponuntur, exequenda nempe post mortem: ut esset donatio inter vivos, sed solvenda post mortem, quæ jure naturali obligat. Tullius (2) advertit, Naturam indere in omnium animis affectus quosdam, quibus homines & posteritatem suam prosequi, & iis, qui futuri sunt, consulere nituntur. Unde infert, ortum habuisse testamenta, & Morientium commendationes. Testes adhibentur ad fidem faciendam, sicuti & modus civilis rationabiliter inductus est.

Tit. XI.

Militum testamento Testium numerus non requiritur: & quidem optimà ratione i. ut Milites, ad militiam procedentes bono reipublicæ, aliquo gaudeant privilegio ii. ex capite necessitatis: difficillimè enim eo tempore testium numerus inveniri potest.

Tit. XII.

Enumerantur aliqui, quibus prohibetur testari; & quidem prohibitio ex Jure naturæ descendit, ex bono videlicet sive proprio, sive communi. Quicumque ergo ita constituti sunt, ut testando possent aliis injuriam irrogare, prohibentur testari. Hujusmodi sunt *Impuberes*: quia non perfectum animi usum habent. *Furiosi*, quia mente carent. Qui tandem sub alterius cura vivit, & Curatorem habet, utpote cui administratio bonorum interdicta est.

Tit. XIII.

Parentes tenentur Jure naturæ legitimam Filijs testari; & quamvis ex aliquo capite Filio exhereditatio fiat in testamento, tamen non est extendenda usque ad alimenta, ut

Gro-

(1) L. 2. c. 7. §. 14.

(2) L. 3. de Fin.

Grotius (1) adnotat, spectato jure Naturæ; nisi Filius crimen gravissimum morte dignum patruerit. Laudatur a Seneca (2) Arius, qui *Filium deprehensum in parricidio, exilio damnavit, causâ cognitâ... Massiliæ Parricidam continuit, & annua illi præstitit, quanta præstare integro solebat*. Laudatur etiam ibidem Cæsar Augustus, qui in consilium a T. Ario vocatus dixit: *relegandum (Filius) quod Patri videretur. Non culleum, non serpentes, non carcerem decrevit... Mollissimo genere pœnæ contentum esse debere Patrem, dixit.*

Tit. XIV.

Hæredem, vel hæredes instituere, ex ratione naturali descendit, positâ facultate testandi. Ceterum & in hærede instituendo habetur aliquando respectus vel ad excepta beneficia, vel ad animum alterius erga se benevolum: Unde in morte fit veluti compensatio aliqua gratiarum, & redditio benevolentiae, & amoris in hærede aliquo nominato.

Tit. XV. & Tit. XVI.

In utroque hoc loco agitur de Substitutione *vulgari*; & de Substitutione *pupillari*, quæ in testamentis, hæredibus institutis, fiunt. Jamverò Substitutio semper procedit juxta rectum Amoris ordinem, qui certè ex J. N. descendit.

Tit. XVII.

Pari jure, quo quis testari potest, testamentum potest immutare. Jure autem naturali valere debet, quod posterius est, quodque prioris voluntatis actum retractasse videtur. Plura rursus exhibentur capita, quibus Testamentum infirmari potest: illa autem capita in Jure naturali fundantur. De his videatur Grotius (3), & Puffendorfius (4).

Tit. XVIII.

Quandoquidem J. N. tenentur Parentes Filiis suis etiam post mortem consulere saltem de *legitima*: sequitur inde, testamenta, in quibus Filii non vocantur, esse inofficiosa:

Tom. II.

F f f

adeo-

(1) L. 2. c. 7. §. 25.

(3) L. 2. c. 7. §. 14.

(2) L. 2. de Clem. c. 25.

(4) L. 4. c. 10. §. 6.

adeoque nullius roboris ; ac si condita fuerint ab homine non sanæ mentis.

Tit. XIX.

Hæres institui solet , ut beneficium aliquo modo illi conferatur . Non est ergo inter beneficia hæreditas accensenda , si hæredi apertè noceat . Verissima est Senecæ sententia , (1) ubi sub initium : *Beneficium vocas , quo ille offenditur , quo torquetur ?* Subdit enimvero : *multa beneficia tristem frontem , & asperam habent , quemadmodum secare , & urere , ut sanes , & vinculis coercere . Non est spectandum , an doleat quis beneficio accepto ; sed an gaudere debeat ?* Jamvero potest hæreditas adeo gravari debitis , & oneribus , ut sola integrè non sit satis solvendo . Ne ergo contra Jus naturæ hæres sive necessarius , sive extraneus loco beneficii damnum sentiat : datum idcirco a lege beneficium *inventarii* , quo omne periculum æris alieni vitare possit .

Tit. XX.

Legatorum usus in Testamentis ex ipso Jure naturali descendit . Congruum enim est , ut Testator moriens eorum officia aliquo modo remuneretur , qui erga se benevolentie signa præstiterunt , citra nomen hæredis .

Tit. XXI.

Legatum verò mutari potest eodem jure², ac mutari potest testamentum ; sicuti validum est Legatum pari jure , ac Testamentum . Legatario autem non obstat pro legati consequitione , quòd hæres hæreditatem repudiaverit . Habet enim jus ad legatum ex voluntate Testatoris in hujus hæreditate .

Tit. XXII.

Lex Falcidia , (de quarta parte bonorum Testatoris , deductis expensis funeralibus , ac ære alieno) ad Legatorum imminutionem facta in bonum hæredis , est ex jure naturali . Siquidem ex una parte Testatori expedit , heredem habere , qui ejus bono nomini consulat : atqui hæres ex parte altera deesset , nisi modus legatorum coarctaretur . Est

ergo

(1) L. 5. de Benef. c. 10.

ergo lex *falcidia* Juri naturæ maximè consona.

Tit. XXIII. & XXIV.

Fidei commissa instituta censentur ad prospiciendum Familiarum decori ; rursus per ea Posterorum prodigalitas , & nimix expensæ moderantur ; quæ sanè motiva sunt Juri naturali , & bono communi Republicæ conformia . Deinde sicuti Dominus potestatem habet de J. N. disponendi de re sua , prout libuerit , ita poterit sub tali lege hæreditatem suam , & non aliter ad scriptum hæredem remittere . Hic etiam locum habet *Trebellianica* ad moderandum excessivum Fideicommissum , ut ita remaneat quarta pars hæreditatis hæredi .

Tit. XXV.

Codicillorum Jus meritò concessum fuit , sicuti conceditur Jus Testamentorum . Fundatur enim utrumque in libera Domini potestate disponendi de re sua .

L I B. III. *Tit. I. II.*

Successio ab intestato procedit ex lumine ipso naturali , servato nimirum Amoris ordine ; ut prius Descendentes , deinde Ascendentes ; utrisque deficientibus , Agnatos , & Cognatos respiciat successio .

Tit. III.

Pari ratione Mater vocatur ad successionem Filiorum , si nulli sint Descendentes . Habetur enim ratio aliqua remunerationi Matris .

Tit. IV.

Ad Matris intestatæ hæreditatem jure Naturæ admittuntur Filii , etiam naturales , nisi Mater sit femina illustri , ut decori Familiæ nobilis consulatur , ne adulterii notà infametur .

Tit. V. VI. VII.

Cognati pari jure ad successionem vocantur : & ordo quidam rationi naturali maximè consonus servatur circa graduum computationem . Rursus ad successionem vocantur etiam Liberi servorum , posteaquam ipsi , aut eorum Parentes libertate fuerint donati .

Tit. VIII. IX.

De Libertorum successione , & Libertorum adsignatio-

ne quæcunque constituta sunt, in jure naturali aliquod habent fundamentum. Domini enim, qui libertate aliquos donârunt, æquum est, ut ab istis absque Liberis decedentibus, in successionem vocentur. *Tit. X.*

Deficientibus autem omnibus hæredibus legitimis, ratio naturalis dicitur, vocari ad successionem *Fiscum*. Ea enim præsumitur voluntas Defuncti, utpote boni civis, ut cedant bona sua in utilitatem Societatis, & Regni, cui addictus fuerat vivens. Huc recidit ratio, quam allegat Grotius (1), & Puffendorfius (2). *Tit. XI. XII. XIII.*

Quæ hic habentur constitutiones ad successionem spectantes, pari jure procedunt. *Tit. XIV.*

Quæ hic, & in sequentibus aguntur circa obligationes, maximam vim a Jure naturæ mutuantur. Ipsamet obligatio est Juris vinculum, quo quis adstringitur ad implendum id, quod ille promisit, vel aliàs ad id tenetur.

Tit. XV. ad XXVII.

IX. Obligatio, quæ oritur ex *contractu*, sive *re fiat*, sive *verbis* multipliciter, sive *litteris*, sive *consensu*: in Jure naturali habet fundamentum. Utcumque enim deficient solemnitates civiles, obligatio naturalis firma semper manet, licet non detur obligatio civilis. Si verò actus sit jure ipso nullus, vel inhonestus, nulla oritur obligatio neque civilis, neque naturalis: actus enim nullus in jure, vel inhonestus habetur pro non actu, nempe pro nullatenus obligante. Qui est *naturaliter* tantum, *non civiliter* obligatus: tenetur jure naturæ, & proinde in conscientia adimplere; quamvis non possit compelli, quia actio non datur contra illum. *Tit. XXVIII.*

Obligatio, quæ oritur *quasi ex contractu*, ut inter negotiorum gestorem, & eum, cujus negotia geruntur; inter Tutorem, & Pupillum; inter eos, qui communem rem habent; inter Hæredes, & Legatarios; aliosve hujusmodi: a jure

(1) L. 2. c. 7. §. 11.

(2) L. 4. c. 10. & 11.

jure etiam naturali vim haurit, ut patet consideranti.

Tit. XXIX.

Obligari dicimur, sive quando immediatè Juris vinculis obstringimur per nos ipsos: sive per servos, per filios, aliosque, quibus utimur. Est etiam hoc juri naturali consonum: *quod quis per aliam facit, per seipsum facere videtur.*

Tit. XXX.

Obligatione solvimur, ubi solvimus id, quod debemus. Est de J. N.

L I B. IIII. *Tit. I.*

X. Obligatio etiam contrahitur *ex delicto*, vel *quasi delicto*. Hujusmodi pariter in stricto Jure Naturæ fundatur. Obligatio sanè *ex delicto* oritur in *furto*, *rapina*, *damno*, *injuria*. In omni furto, utpote lege naturali prohibito, naturalis est obligatio, & in conscientia: nec nisi rei restitutione, vel alià ad æqualitatem juris viâ solvi potest.

Tit. II.

Pari, imò majori vinculo obligatur, qui rem alienam rapit: rapina enim est furto deterior, adhibetur enim vis in rapina; unde Raptor dicitur *improbis fur*. In Jure naturæ, ut constat, obligatio innitur.

Tit. III.

De damno illato Lex Aquilia in jure etiam naturali fundatur. Si quis enim alienum hominem, alienumve quadrupedem, quæ in pecudum (nempe quæ gregatim pasci dicitur) numero sit, injurià occiderit, quanti ea res in eo anno plurimi fuerit, tantum Domino dare damnetur. Ratio quippe naturalis dicitur, ut, qui alienum jus violaverit, injuriam reparet: nisi sui juris defensio id postulaverit. Quod in superioribus fusè ostendimus.

Tit. IV.

Injuria generatim sumpta, quod contra alterius Jus est, seu quod non jure fit: est proinde contra Jus naturale. Quomodocunque fiat, præsertim verò contumelia, puniri semper debet arbitrio Judicis pro circumstantiis Personarum, ut vidimus

dimus loco suo. Actio hæc dissimulatione aboletur: quare si postea dissimulationis poenituerit, remissam injuriam non poterit recolare. Videtur enim quasi per vindictam agere, non verò ut honori suo consulat. Vindicta autem J. N. nunquam licita est.

Tit. V.

Obligatio contrahitur *quasi ex delicto*, ubi culpæ alicujus reus est aliquis, sed citius ex negligentia, quàm ex voluntate verè culpabili: tenebitur ad satisfaciendum, quantum Judici, vel Viro prudenti æquum videbitur. Sic quæ eà parte, quæ vulgò iter fieri solet, aliquid suspensum, aut positum habet, quod potest, si ceciderit, alicui nocere: Is jure merito damnatur aliquâ poenâ, pro qualitate damni illati ex rei illius casu. Amor erga Proximum ex J. N. illum damnat.

Tit. VI.

XI. Actio, quæ fit in judicio, ut quis acquirat, quod sibi debetur: est jus ortum ex jure naturæ hypothetico, postquam homines coiverunt in Civitates. Fieri autem potest actio vel in rem, vel in personam. Actiones in rem dici solent *vindicationes*; in Personam verò *condictiones*. Optimè advertitur, in actionibus, ubi quis jura sua experitur, ne plus, quàm oporteat, petatur, quod fieri potest quatuor modis, re, tempore, loco, & causâ. Si enim plus petit, quàm sibi debetur, jam sic alterius jus lædit, ut patet.

Tit. VII.

Actione utimur non modò in eum, qui immediatè contraxit, vel deliquit; sed etiam in eum, cujus servus, filiusve vel ex contractu, vel ex delicto sit obligatus. Quoties enim jussu Domini, aut Patris, servus, aut filius negotium gessit: uterque obligatur, alter nomine proprio, alter alieno nomine. Ratio naturalis Jus hoc confirmat. Pari modo si injussu Domini aut Patris servus aut filius negotium gessit, quod in rem, & utilitatem Domini, vel Patris *necessurid*, vel *utiliter* verterunt: tunc datur actio contra Dominum, vel Patrem de toto, quod bono illius cessit.

cessit. Non enim æquum est; ut sentiat commodum, & nullo pacto incommodum. Ob mutuum verò datum Filio non est actio in Patrem ignorantem, sed neque in Filium, qui in potestate Parentis sit. Optimam ex jure naturæ Lex affert rationem: *Quia sæpè onerati (Filii) ære alieno creditarum pecuniarum, quas in luxuriam consumebant, vitæ Parentum insidiabantur.*

Tit. VIII.

Ex delicto Servi datur in Dominum actio noxalis, per quam ipse Dominus Servum dedere tenetur, aut litis æstimationem ferre. Ratio est, quia donec Servus in Domini potestate est, & noxam commisit; actio cum Domino, qui caput ejus est, fit. Si in alterius est potestate, cum illo incipit esse actio. Si manumissus fuerit, directè ipse tenetur. In Filiis autem, aut Filiabus ratio naturalis non idem patitur; ex ipsorum delicto Pater nequit illos dedere: Amor enim naturalis erga Filios, & pudicitia pariter Filiarum id non admittit. In eo igitur casu conveniri oportet Filium ipsum, & Filiam, ne impunè ab ipsis peccetur.

Tit. IX.

Ex delicto animalium ipsi Domini etiam tenentur; at si Dominus animal noxæ dederit, liberabitur: nisi fortè canem, verrem, aprum, ursum, leonem ibi habeat, quæ vulgo iter fit: tunc enim Dominus condemnatur arbitrio Judicis. Quia quam erga se vult quisque curam haberi, eandem Jure naturæ tenetur erga alios habere.

Tit. X. XI.

Agere quisque potest per Procuratorem, Tutorem, Curatorem legitimum: quia morbus, ætas, & aliæ hujusmodi causæ id requirunt. Cautiones deinde in judiciis excogitatæ sunt, ut fraudibus, quæ possit ratione, occurratur,

Tit. XII.

Actiones nonnullæ ex sunt, ut non æquè in hæredem competant. Sic certissima Juris regula: *Ex maleficiis penales*

nales actiones in hæredem Rei non competere, veluti furti; bonorum raptorum, injuriarum, damni, injuriæ. Hæres enim pœnam alterius delicti subire non debet. Sed Hæredibus hujusmodi actiones competunt in ipsum Reum, nec denegantur: quia Jus habent acquisitum in bona Defuncti contra forem, & iniquum rei alienæ detentorem. Excepta injuriarum actione, & si qua alia similis inveniatur. Hujusmodi enim actio sicuti dissimulatione solvitur, ut dictum est; multo magis morte.

Tit. XIII.

XII. Jure naturæ dantur Exceptiones pro Reis: iniquum enim esset, damnari aliquem, inaudita causâ: ubi primo aspectu Reus videtur rationabiliter damnari; at exceptio datur Reo, ut ostendat, se metu coactum, aut dolo inductum, aut errore lapsum id egisse: quæ sanè exceptio perpetua, & peremptoria est; quia Actori semper obstat pro Reo.

Tit. XIV.

Quemadmodum Reo favent exceptiones, & quidem ex Jure naturæ: ita Actori competit etiam eodem jure posse contra exceptionem instare, quod dicitur *Replicare*, unde *Replicationes*. Accidit autem aliquando, ut replicatio primâ facie justa videatur, sed iniqua sit: quare alia allegatione pro Reo opus est, quæ dicitur *duplicatio*; & aliquoties alia, quæ dicitur *triplicatio*. Sunt enim vel utiles, vel necessariæ ad negotiâ ritè, & rectè explicanda. Exceptiones aliquando aptantur Debitori, & æquè etiam Fidejussoribus: aliquando tantum Debitori: ut si Debitor exceptionem obiciat Creditori, quod bonis suis cesserit; defenditur a Creditore. Exceptio hæc Fidejussoribus non datur.

Tit. XV.

Interdictorum usus, utpote supervacuis, non adeo frequens est hodie in judiciis. Adhuc ad majorem, ac tutiorem Litigantium tranquillitatem, quæ juris naturæ finis est, maximè conferebat.

Tit. XVI.

Tit. XVI.

Ad eandem fovendam Reipublicæ tranquillitatem lex contra temerè litigantes datur.

Tit. XVII.

Judicis officium est etiam de J. N. hypothetico. Judex non aliter judicet, quam legibus, aut constitutionibus, aut moribus proditum est. In concursu autem habenda est ratio digniori; ut Lex Divina, & Naturalis primo loco, tum Jus Gentium, aut Civile, aut Municipale succedat; tum denique Usus, Mos, & Consuetudo, quæ vim legis habet.

Tit. XVIII.

Ut enormia delicta horrore habeantur, publica de iis judicia sunt instituta; in iisque respondens pœna, ac proportionata decernitur. Juri autem Naturæ congruit maxime, ab hominibus in societate congregatis hujusmodi scelera arcere: at, non nisi gravissimâ exhibitâ pœnâ contra Delinquentes, obtineri potest. Id ergo rectissimè præstat hæc lex, quæ civilium Institutionum Epitomen claudit.

TOMI POSTERIORIS FINIS.

ERRORES CORRIGENDI.

Pag. 1. Sanè	fanè
3. videretur	videretur .
4. Ostilis	hostilis
5. sibi sumat	sibi ipse sumat
8. stoicis	Stoicis
15. gneris	generis
18. cogitare	cogitari
23. vel ut	velut
37. Antropomorphitæ	anthropomorphitæ
40. Anthopomorphitis	anthropomorphitis .
53. existent	existent .
72. Improbils	Improbis
89. extraveram	extra veram
167. VI.	VI.
168. VII.	VII.
189. exclamaverit	exclamaret .
193. Spatio	in spatio
193. (1)	(2)
243. Reptor	Raptor
265. inter nos	internos
296. natione	ratione
347. in Reis	in Reos

INDEX NOTABILIUM.

A

- D**E Abortu procurato , quod est crimen contra Jur.
Nat. Pag. 267.
- Quinam sint actus interni , quibus Deus coli debet . 82. *seq.*
- Si Adam sine Socio vixisset diutius , officia erga seipsum
non ignorasset . 7.
- De Viro occidente Adulterum , vel Uxorem in adulterio
deprehensam . 267.
- Adulterium , etiam consentiente Marito , repugnat Juri na-
turae . 295. *seq.*
- Injustus Aggressor quinam sit ? Et quomodo cum isto agen-
dum ? 226.
- An Filio liceat occidere Parentem injustum aggressorem ? 227.
- An ex Scripturis prohibeatur occisio injusti Aggressoris ad
sui defensionem ? 228. *seq.*
- An defensio violenta contra injustum Aggressorem sit non
modò licita , sed præcepta ? 230. *seq.*
- An Aggressus teneatur fugere , ne Invasorem occidat ? 237. *seq.*
- Adolescentem , qui Tribunum occiderat volentem vim infer-
re ejus pudicitiae , Marius Imperator absolvit . 240.
- De præcepto amoris Dei in J. N. an detur , & in quo situm
sit ? 104. *seq.*
- Amor erga Seipsum proprius pro diversa acceptione vel ho-
nestus , vel inhonestus . 142.
- In amore erga Proximum fundantur Officia erga alios. 257 *seq.*
- Baylii argumentum ad probandam Animæ a Corpore di-
stinctionem . 147.
- Lucretii argumentum ad probandam Animæ a Corpore di-
stinctionem . 148.
- Alia argumenta ad probandam distinctionem Animæ a Cor-
pore . 149.

- Argumenta ad ostendendum , Animam nostram esse spiritum . 154. *seq.*
- Si Anima est Spiritus , quomodo plura agit , & patitur ? est argumentum Epicuri . Et explicatur hoc . 156. *seq.*
- Commercii mutui Corpus inter & Animam multiplex explicatio . 157. *seq.*
- Tournemini systema de mutuo Corporis , Animæque commercio . 158. *seq.*
- Argumentum Socratis de Animæ præexistentia . 167.
- Quid ex Hieronymo , & Augustino circa Animarum originem ? 173.
- An præxtiterit Corpori Anima humana ? 174. *seq.*
- Animæ humanæ per traducem propagatæ error . 176. *seq.*
- Quid revera sit , Animam nostram esse naturâ suâ immortalem ? 178. & 180.
- Pomponatii error circa Animæ immortalitatem . 182. *seq.*
- Rationes ex naturæ lumine desumptæ pro Animæ immortalitate . 183. *seq.*
- Utrum Animæ humanæ differant inter se , & quam differentiâ ? 186.
- Perfectio facultatum Animæ quænam ? 193. *seq.*
- Egregia apud Tullium Architæ oratio contra voluptates . 263.
- Nequeunt certò definiri articuli fundamentales in communi judicio . 92. *seq.*
- Atbei* quinam , & an puniendi ? 14. 15. 17.
- Euripidis tragædia de Avaro quomodo excepta a Populo ? 200.
- Autochiria seu Suicidium est verum homicidium . 207. *seq.*

B

- B** Aylly argumentum ad probandam Animæ a Corpore distinctionem . 147.
- De Pœna mortis aliquando infligenda contra Marchionem Beccaria . 351. *seq.*
- Becca-

- Beccariæ librum quoad pœnam mortis impugnat Aloysius Princeps Gonzaga. 355. *seq.*
 Bellorum plures species ; & quænam liceant ? 366. *seq.*
 Beneficia quomodo sint conferenda ? 258. *seq.*
 Discrimen inter bonum , malumve morale sit ne a Deo , an ab hominum arbitrio ? 74. *seq.*
 Circa bona fortunæ habenda est ratio . 199.
 Pro conservatione bonorum Fortunæ licita est violenta defensio sub duplici conditione . 241.
 Cultus in Ecclesia Catholica Sanctis exhibitus contra Budeum defenditur . 29.

C

- C** Alumniæ quomodo ferendæ ? 204. *seq.*
 Canis homicidam Domini sui prodit . 70.
 Sanctos fuisse canonizatos Populi voce , quo sensu dicantur ? 32. 33.
 Canonizationes Sanctorum quâ diligentia fieri soleant in Ecclesia ? 32. *seq.*
 An sit licitum castrare Pueros propter vocem ? 224.
 De dissertatione , cui titulus : *Vir litteratus bonus civis* . 322.
 Jus Civile quomodo cum Jure Naturæ cohercat ? 395. *seq.*
 Quonam modo Civitates coaluerint ? 320. *Et ad quem finem ?* *Ib.*
 Civitatem ex solis Civibus Christianis non posse diu subsistere , malè affirmat Russous . 324. *seq.*
 Coccejus frustra conatur probare , se non esse , nec debere dici extra Ecclesiam Christi . 88.
 Cocceii arbitraria receptio , & exclusio Conciliorum pro decernendis hæreticis . 89.
 Verbum Dei *unicè* nequit esse , fatente ipsomet Coccejo , *ex se solo , omnino* Judex controversiarum . 95.
 Commerciis mutui corpus inter , & animam multiplex explicatio . 157. *seq.*
 Tour-

- Tournemini systema de mutuo corporis , animæque commercio. 158. *seq.*
 Commercium quid sit , & quid profit ? 364.
 Quæ leges sint in concursu , & collisione Officiorum servandæ ? 390. *seq.*
 An detur Jus Gentium duplex , *liberum* nempe , & *necessarium* ? 378. *seq.*
 An ad conservandum bonum nomen liceat occidere Calumniatorem ? 245.
 De consilio dato Regi Cambysi a regni sui Primoribus . 375.
 Corporis cura in quonam consistat ? 195. *seq.*
 Quid sit status conjugalis , & quas complectatur partes ? 294. *seq.*
 Socratis præcepta circa Corpus . 195.
 Wolfii absona præcepta circa Corporis curam . 197. *seq.*
 Christianum non posse esse verum Patriæ amatorem , malè asserit Ruffous . 321. *seq.*
 Russo contractus socialis expenditur , & confutatur . 338. *seq.*
 Cultus in Ecclesia Catholica Sanctis exhibitus contra Budæum defenditur . 29.
 Cultus erga Deum esse debet internus pariter , & externus . 82.
 De cultu externo erga Deum exhibendo . 137. *seq.*

D

- A**N Defensio violenta contra injustum Aggressorem sit non modò licita , sed præcepta ? 230. *seq.*
 An liceat violenta defensio in concursu ruinæ spiritualis Proximi ? 233. *seq.*
 An liceat violenta defensio rerum ex lege Evangelica ? 243.
 An Desperatio sit majus peccatum præ Infidelitate ? 102.
 Deum *existere* vel est principium per se notum , vel facili negotio dignoscendum . 18.

De

- De Dei existentia argumenta complura ex J. N. 19. *seq.*
 Dei *Unitas* quoad naturam, & essentiam ex J. N. demon-
 stratur. 25. *seq.*
 Deus *incorporeus* contra Epicurum. *Pag.* 36. Contra alios.
Pag. 37. Ratio naturalis id demonstrat. *Pag.* 38. Lo-
 quutiones Scripturarum explicantur. 39.
 Quanam ratione solus Deus dicatur *incorporeus*, non au-
 tem Anima nostra? 40. *seq.*
 Deus creator hominum, & universitatis rerum. 41. *seq.*
 Ex creatione rerum in tempore nullam passus est Deus mu-
 tationem. 45.
 Dei erga res creatas Providentia contra Epicurum, ac Dei-
 stas. 49.
 Argumentis Epicureorum, ac Deistarum contra Providen-
 tiam satisfit. 57. *seq.*
 Deum ratione suæ Providentiæ nihil minus beatum esse. 58. *seq.*
 Non est indignum Deo rebus nostris providere. 60. *seq.*
 Discrimen inter bonum, malumve morale sit ne a Deo,
 an ab hominum arbitrio? 74. *seq.*
 Cultus erga Deum esse debet internus pariter, & exter-
 nus. 82.
 Quinam sint actus interni, quibus Deus coli debet? 82. *seq.*
 Cognitâ voluntate Dei circa modum satisfaciendi Deo pro
 peccatis, ex J. N. tenemur, modum illum adhibere:
 quod est contra Protestantes. 109. *seq.*
 De cultu externo erga Deum exhibendo. 137. *seq.*
 Deum solum esse immortalem, quo sensu dicatur? 179. *seq.*
 Utrum Animæ humanæ differant inter se, & quanam dif-
 ferentiâ? 186.
 Quid Dionysius egit cum Dionis Filio, ut de Patre ulci-
 sceretur? 264.
 De prima rerum divisione, & originario dominio. 279. *seq.*
 De divortii causis in sententia Puffendorffii, aliorumque he-
 terodoxorum. 296. *seq.*
 Mo-

- Modus acquirendi dominia *derivativus*. 283.
 An traditio rei sit ad dominium necessaria? 284.
 Famulorum Officia erga Dominos. *Pag. 316. seq. Et Dominorum erga Famulos.* 318.
 An jus in Servos se extendat ad saviendum contra illos? 398.

E

- A**N Ecclesia sit status in statu? 357. *seq.*
 Protestantes esse extra Ecclesiam Christi convincuntur ex J. N. 86. *seq.*
 Coccejus frustra conatur probare, se non esse, nec debere dici extra Ecclesiam Christi. 88.
 Extra romanam Ecclesiam non dari veram Religionem. 134. *seq.*
 Argumentis Epicureorum, ac Deistarum contra Providentiam satisficit. 57. *seq.*
 Nequeunt discerni errores fundamentales a non fundamentalibus. 90. *seq.*
 Leibnitzius adnotat, Philosophiam meliorem docuisse Ethnicos aliquos, pejorem aliquos Christianos. 5.
 Euripidis tragædia de Avaro quomodo excepta a Populo? 200.
 Circa bona fortunæ vitandus est excessus. 201. *seq.*

F

- B**onæ Famae, seu existimationis habenda ratio est. 203.
 An ad conservandum bonum nomen liceat occidere Calumniatorem? 245.
 An Liberi, & Servi constituent etiam Familiam? 294. *seq.*
 Famulorum Officia erga Dominos. *Pag. 316. seq. Et Dominorum erga Famulos.* 318.
 An Fides obliget ex J. N. & ad quænam officia? 84. *seq.*
 An Filio liceat occidere Parentem injustum aggressorem? 227.
 Quid

- Quid Dionysius egit cum Dionis Filio , ut de Patre ulci-
 sceretur ? 264.
 An Filii majora beneficia dare Parentibus suis possint ,
 quàm acceperint ? 400.
 De Liberorum institutione ex mente Senecæ . 309.
 De Liberorum recta apud Christianos institutione . 310. seq.
 De Filiorum officiis erga Parentes . 315. seq.
 Quid T. Arius egerit adversus Filiam parricidam ? 349. seq.
 Illicita est Jure Naturæ simplex Fornicatio , & quare ? 295.

G

- J**us Gentium quid sit ? 367. seq.
 An detur Jus Gentium duplex , liberum nempe , & neces-
 sarium ? 378. seq.
 Gladiatorum spectacula esse contra Jus naturæ . 265.
 Beccariæ librum quoad pœnam mortis impugnat Aloysius
 Princeps Gonzaga . 355. seq.

H

- H**elvetii errores in lib. *De Spiritu* . 162. seq.
 Hieronymi locus , qui contra Providentiam videtur , expli-
 catur . 62.
 Quid ex Hieronymo , & Augustino circa Animarum origi-
 nem . 173.
 An hosti publico exhibenda sint officia , quæ ceteris exhiben-
 tur ? 262. seq.
 Officia hominis *hypothetica* . 11.

I

- D**eum solum esse immortalem ; quo sensu dica-
 tur ? 179. seq.
 Tom II. H h h Quid

- Quid revera sit, Animam nostram esse naturâ suâ immortalem? 178. & 180.
- Pomponatii error circa Animæ immortalitatem. 182. *seq.*
- Rationes ex naturæ lumine desumptæ pro Animæ immortalitate. 183. *seq.*
- De impedimentis contrahendi Matrimonium ex J.N. 300. *seq.*
- Deus incorporeus contra Epicurum. *Pag.* 36. Contra alios *Pag.* 37. Ratio naturalis id demonstrat. *Pag.* 38. Loquutiones Scripturarum explicantur. 39.
- Quanam ratione solus Deus dicatur incorporeus, non autem Anima nostra? 40. *seq.*
- Indifferentismus, ac Tolerantismus impugnantur. 125. *seq.*
- An ex J. N. diligendus sit etiam inimicus? 260. *seq.*
- An ex J. N. liceat cuilibet ulcisci injurias? 247. *seq.* & 261.
- De remissione injuriarum ex J. N. 261. *seq.*
- Pro reparanda injuria personali quid agat homo ex J. N. ? 272.
- An liceat Republicæ ob commune bonum Innocentem occidere? 266.
- An teneatur Innocens se sistere Tyranno, a quo sit occidendus, si illi a Republicâ id præcipiatur ob commune bonum? 266.
- Puffendorffii argumenta soadentia propriam cujusque instructionem. 192.
- Ad intelligentiam Scripturarum requiritur interpres, & quidem infallibilis. 95.
- Cultus erga Deum esse debet internus pariter, & externus. 82.
- Quinam sint actus interni, quibus Deus coli debet? 82. *seq.*
- An Aggressus teneatur fugere, ne Invasorem occidat? 237. *seq.*
- Involutorum sententia Leibnitzii, & Wolfii. 171. *seq.*
- Verbum Dei unice nequit esse, fatente ipsomet Coccejo, ex se solo, omnino Judex controversiarum. 95.

K

L

- L** Atitudinarii pariter impugnantur. 127. *seq.*
 An liceat violenta defensio rerum ex lege Evangelica? 243.
 Leibnitzius adnotat, Philosophiam meliorem docuisse Ethnicos aliquos, pejorem aliquos Christianos. 5.
 Involorum sententia Leibnitzii, & Wolfii. 171. *seq.*
 Monadum Systema Leibnitzianum proponitur, & impugnat. 187.
 Leibnitzius ad Pellissonium scribit circa tolerantiam Religionum. 88. & 90.
 De Liberorum institutione ex mente Senecæ. 309.
 De Liberorum recta apud Christianos institutione. 310. *seq.*
 De dissertatione, cui titulus: *Vir litteratus bonus civis*. 322.
 Lockii rationes pro possibilitate Materix cogitantis. 151.
 Responsiones ad Lockii argumenta pro possibilitate Materix cogitantis. 153.
 Lucretii argumentum ad probandam Animæ a Corpore distinctionem. 148.
 Luxus detrimenda. 362. *seq.*

M

- D**E Magistratum electione optimæ sententiæ Octaviani Augusti, ac Tiberii Cæsaris. 341. *seq.*
 An Mare fieri possit alicui Populo proprium? 288.
 Adolescentem, qui Tribunum occiderat volentem vim inferre ejus pudicitix, Marius Imperator absolvit. 240.
 Quid Mater debeat ex J.N. Viro, ac Filiis præstare? 306. *seq.*
 Materia existens ab æterno, & independens confutatur. 24. *seq.*
 Lockii rationes pro possibilitate Materix cogitantis. 151.
 Responsiones ad Lockii argumenta pro possibilitate Materix cogitantis. 153.

- De Matribus, quæ Filios suos Nutricibus alendos committunt. 399.
- An, si non peccâisset homo, fuisset usus nuptiarum? 293. *seq.*
- An Matrimonium sit J. N. indissolubile? 296. *seq.*
- De impedimentis contrahendi matrimonium ex J. N. 300. *seq.*
- An pro aliquo casu esset licitum, & validum matrimonium Patris cum Filia? 304.
- Mendacium quodcumque est contra J. N. 268. *seq.*
- Metempsychoseos error a quibus auctoribus? 168. *seq.*
- Monadum Systema Leibnitzianum proponitur, & impugnatur. 187.
- De Poena mortis aliquando infligenda contra Marchionem Beccaria. 351. *seq.*
- Mundi existentia ab æterno refellitur. 24.
- Mundus nec fuit, nec potuit creari ab æterno. 44.
- Ex creatione rerum in tempore nullam passus est Deus mutationem. 45.
- An, & quando licita sit sui ipsius mutilatio? 220.
- Ad arcendam mutilationem an liceat violenta defensio? 240. *seq.*
- Ad quid teneatur ex J. N. Occisor, vel Mutilator? 271.

N

- N**aturam fecisse omnia, quid sit? 42.
- Religio naturalis sine *vera Dei cognitione* an dari possit? 115.
- Necessitas a quonam legum genere excuset? 248. *seq.*
- De Divite sinente Pauperem mori in extrema necessitate. 274.
- Quid sit, Nobilitatem, ac Libertatem emi pecuniâ? 273.
- An, si non peccâisset homo, fuisset usus nuptiarum? 293. *seq.*

O

- A**N Filio liceat occidere Parentem injustum aggressorem? 227.
- An

An ex Scripturis prohibeatur occisso injusti Aggressoris ad sui defensionem ?	228. <i>seq.</i>
An Aggressus teneatur fugere, ne Invasorem occidat? 237. <i>seq.</i>	
An ad conservandum bonum nomen liceat occidere Calumniatorem ?	245.
An pro alapa accepta liceat percussorem occidere ?	247.
Ad quid teneatur ex J. N. Occisor, vel Mutilator ?	271.
Quid sit, occupare rem, & facere suam?	281.
De Magistratum electione optimæ sententiæ Octaviani Augusti, ac Tiberii Cæsaris.	341. <i>seq.</i>
<i>Officii nomine quid veniat ?</i>	2.
Officia hominis erga Deum, erga Seipsum, erga Alios pro statu <i>primitivo</i> .	8. 9.
Officia hominis <i>hypothetica</i> .	11.
In amore erga Proximum fundantur Officia erga alios. 257. <i>seq.</i>	
An hosti publico exhibenda sint officia, quæ ceteris exhibentur ?	262. <i>seq.</i>
Officia hypothetica erga alios an spectent ad Jus naturæ ?	276.
Crimen onaniticum repugnat Juri naturæ.	296.

P

P Acem firmare ad quos spectat ?	375.
An Pacta nuda obligent ex J. N. ?	283.
An Pacta claudentiâ turpitudinem obligent ?	284.
Juvenum Siculorum erga Parentes suos insigne facinus.	393.
Quid T. Arius egerit adversus Filium parricidam ? 349. <i>seq.</i>	
Patriotismus quid sit ?	321.
Christianum non posse esse verum Patriæ amatorem, male asserit Russous.	321. <i>seq.</i>
Quid requiratur ad Usucapionem, & Præscriptionem? 286. <i>seq.</i>	
Paupertas æquo animo ferenda.	201.
De Divite sinente Pauperem mori in extrema necessitate.	274.
De jure cudendæ pecuniæ.	365. <i>seq.</i>
Leib-	

- Leibnitzius ad Pellissonium scribit circa tolerantiam Religionum . 88. & 90.
- Perfectio facultatum Animæ quænam? 193. *seq.*
- Pro reparanda injuria personali quid agat homo ex J. N? 272.
- Pœnitentiæ præceptum an detur in J. N: & in quo situm sit? 108. *seq.*
- Cognitâ voluntate Dei circa modum satisfaciendi Deo pro peccatis, ex J. N. tenemur, modum illum adhibere: quod est contra Protestantes. 109. *seq.*
- An omnia delicta sint pari modo plectenda? 347. *seq.*
- De Pœna mortis aliquando infligenda contra Marchionem Beccaria. 351. *seq.*
- Polytheismus* crimen est naturale. 26.
- Polytheismus* Ethnicorum quomodo excusetur a nonnullis? 27.
- Pomponatii error circa animæ immortalitatem. 182. *seq.*
- Potestas œconomica in quonam resideat? 306.
- Potestas Viri in Uxorem unde desumatur, & quò se extendat? 305. *seq.*
- Patriæ potestatis origo quæ sit? 399. Ad quæ se extendat? 308. *seq.* & 313. *seq.*
- Suprema Potestas quid sit? Ejusque necessitas. 329. *seq.*
- Supremæ Potestatis varix species. 330. *seq.*
- Quam esse oporteat Supremam Potestatem, ut felix sit Reipublicæ status? 332.
- Quomodo Suprema Potestas dicatur esse a Deo? 336. *seq.*
- Ruffoi de Suprema Potestate absouæ sententiæ. 338. *seq.*
- Quid de Principe polygamo scripserit Thomasius? 401.
- Quomodo se gerat Princeps supremus in puniendis Subditis? 349. *seq.*
- De Jure Principis supremi in res sacras. 397. *seq.*
- An Principi supremo competat jus in bona Subditorum, & quando? 361. *seq.*
- Ad standum promissis absolutè tenemur J. N. 269.
- Pro-

- Protestantes esse extra Ecclesiam Christi convincuntur ex
 J. N. 86. seq.
 Dei erga res creatas Providentia contra Epicurum, ac Deis-
 tas. 49.
Providentiæ Divinæ quænam sint partes? 51. seq.
 Argumentis Epicuræorum, ac Deistarum contra Providen-
 tiam satisfit. 57. seq.
 Propter corruptos mores Providentiam Dei negant homi-
 nes. 56. seq.
 Deum ratione suæ Providentiæ nihil minus beatum esse. 58. seq.
 Non est indignum Deo rebus nostris providere. 60. seq.
 Hieronymi locus, qui contra Providentiam videtur, ex-
 plicatur. 62.
 Vitæ nostræ incommoda, ac mala optimè stant cum Dei
 Providentia. 63. seq.
 Hominum iniquorum multitudo quomodo componatur cum
 Dei Providentia. 67. seq.
 Ex bonorum distributione nihil eruitur contra Dei Provi-
 dentiam. 71. seq.
 Adolescentem, qui Tribunum occiderat volentem vim in-
 ferre ejus pudicitie, Marius Imperator absolvit. 240.
 An sit licitum castrare Pueros propter vocem? 224.
 Puffendorpius meritò reprehenditur, quòd in fundamentali
 legis naturalis principio neque Dei, neque sui ipsius pri-
 mariò meminerit. 5.
 Puffendorpij argumenta suadentia propriam cujusque instru-
 ctionem. 192.

Q

R

- D** Eo judicare Reges, unicè reservatur. 346.
 De consilio dato Regi Cambyfi a regni sui Primoribus. 375.
 Sin-

- Singulorum regiminum emolumenta, ac detrimenta. 332. *seq.*
 Religio quid sit? in quonam consistat? 113.
 Religio naturalis sine *vera Dei cognitione* an dari possit? 115.
 Religionis utilitas, atque adeo necessitas ad Juris naturalis Officia explenda. 116. *seq.*
 Religionis cultum Deus jure suo exigit a Creaturis. 120. *seq.*
 Veræ Religionis characteres quinam sint? 122. *seq.*
 Religio penes Heterodoxos Laicorum potestati subjicitur, penes Catholicos non ita. 139.
 Contra veram Dei Religionem patrata delicta ab Ecclesiastica pariter, ac Laica potestate puniri possunt. 141.
 De remissione injuriarum ex J. N. 261. *seq.*
 Pro reparanda injuria personali quid agat homo ex J. N? 272.
 Represaliæ an liceant, & quo pacto? 374.
 Responsiones ad Lockii argumenta pro possibilitate materiæ cogitantis. 153.
 Restitutiones fontes qui? 268.
 Retractionum exempla præclara. 269.
 Revelationis utilitas, ac necessitas in Religionis negotio. 132. *seq.*
 Extra Romanam Ecclesiam non dari veram Religionem. 134. *seq.*
 Christianum non posse esse verum Patriæ amatorem, malè asserit Ruffous. 321. *seq.*
 Civitatem ex solis Civibus Christianis non posse diu subsistere, malè affirmat Ruffous. 324. *seq.*
 Ruffoi de Suprema Potestate absenti sententiæ. 338. *seq.*
 Ruffoi contractus socialis expenditur, & confutatur. 338. *seq.*

S

DE Jure Principis Supremi in res sacras. 358. *seq.*
 Sanctos fuisse canonizatos Populi voce, quo sensu dicatur? 32. 33.
 Cano.

Canonizationes Sanctorum quâ diligentia fieri soleant in Ecclesia ?	32. <i>seq.</i>
Cognita voluntate Dei circa modum satisfaciendi Deo pro peccatis, ex J. N. tenemur, modum illum adhibere: quod est contra Protestantes.	109. <i>seq.</i>
Ad intelligentiam Scripturarum requiritur interpres, & quidem infallibilis.	95.
Senæcæ, & Stoicorum error circa Suicidium.	215.
Servitutis variæ species.	317.
An jus in Servos se extendat ad sæviendum contra illos?	398.
Quanam arte Dominum suum Servus a cæde servaverit?	393.
Servuli cujusdam immane supplicium Cæsar remittit.	319.
Servuli atrocissimum genus mortis.	319.
Servorum facinus egregium pro servanda Domina.	3. <i>seq.</i>
Juvenum Siculorum, erga Parentes suos insigne facinus.	393.
Argumentum Socratis de Animæ præexistentia.	167.
Socratis præcepta circa corpus.	195.
Spes in J. N. erga Deum requiritur etiam in sententia Ethnicorum.	98. <i>seq.</i>
Spei objectum quodnam? Et quænam sint objecti hujus conditiones?	106. <i>seq.</i>
Spinozæ fatuum argumentum ad extirbandam humanæ libertatis ideam.	144.
Spinozæ delirantis systema de unica Substantia.	138. <i>seq.</i>
An Ecclesia sit Status in Statu?	157. <i>seq.</i>
An Stuprator teneatur dotare Stupratam?	274.
Quid sit, occupare rem, & facere suam?	281.
Autochiria, seu Suicidium est verum homicidium.	207. <i>seq.</i>
Pœna apud Hebræos contra Suicidas.	209.
Exempla ex Scripturis, & Historiis Sanctorum pro Suicidio quomodo explicanda?	210. <i>seq.</i>
Error Donatistarum, seu Circumcellionum de Suicidio.	214.
An dari possit ratio aliqua ad se occidendum?	215. <i>seq.</i>
An Superstitio sit vitiosa per defectum, an per excessum?	83.

T

- D**E Magistratum electione optimæ sententiæ Octaviani Augusti, ac Tiberii Cæsaris. 341. *seq.*
 Quid distet tolerantia religiosa, a tolerantia civili? 365.
 Indifferentissimus, ac Tolerantissimus impugnantur. 125. *seq.*
 Tournemini Systema de mutuo Corporis, Animæque commercio. 158. *seq.*
 An traditio rei sit ad dominium necessaria? 284.
 Quid sit de transitu per alienas terras dicendum? 339. *seq.*
 De Jure exigendi tributa in Principe Supremo. 361. *seq.*
 An teneatur Innocens se sistere Tyranno, a quo sit occidendus, si illi a Republica id præcipiatur ob commune bonum? 266.
 An teneatur Virgo se sistere Tyranno, ut ab isto violetur, si bonum Reipublicæ id postulet? 266. *seq.*

V

- A**N liceat Venditori aliquid celare, ut rem suam pluris vendat? 385. *seq.*
 Verbum Dei *unicè* nequit esse, fatente ipsomet Coccejo, *ex se solo, omnino* Judex controversiarum. 95.
 Ad arcendam mutilationem an liceat violenta defensio? 240. *seq.*
 An liceat violenta defensio rerum ex lege Evangelica? 243.
 An teneatur Virgo se sistere Tyranno, ut ab isto violetur, si bonum Reipublicæ id postulet? 266. *seq.*
 An Viro equestri liceat aliquando accipere duellum? 252. *seq.*
 De Viro occidente Adulterum, vel Uxorem in adulterio deprehensam. 267.
 Potestas Viri in Uxorem unde desumatur, & quò se extendat? 305. *seq.*
 Viæ

Vitæ nostræ incommoda , ac mala optimè stant cum Dei
Providentia . 63. *seq.*

An teneamur , vitam modis omnibus producere ? 219.

An ad conservandam vitam propriam possit licitè patrari
adulterium , vel quid simile ? 232. *seq.*

Cognitâ voluntate Dei circa modum satisfaciendi Deo pro
peccatis , ex J. N. tenemur , modum illum adhibere :
quod est contra Protestantes . 109. *seq.*

Egregia apud Tullium Architæ oratio contra voluptates . 263.

Quid requiratur ad Usucapionem , & Præscriptionem ?
(286. *seq.*

An , si non peccâisset homo , fuisset usus nuptiarum ? 293. *seq.*

Volfii absona præcepta circa Corpus . 195.



